BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
36 H
17

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

40 40
G C
40

MAGNÆ
DEIPARÆ
VITÆ
PARS ALTERA.

A Diuino Partu ad triumphalem Aſſumptionem, & alia maxima, tum in cælo, tum in terris æterna decora.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Bibl. Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu

MEDIOLANI,
Ex Typographia Philippi Ghiſulphij.
Superiorum permiſſu.

INFANTVLO CIRCVMCISO Cum IOSEPHO MARIA Auguſtiſſimum IESV nomen imponit.

KALENDAE.

ELOG. XVI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Et poſtquam conſumati ſunt dies octo, vt circumcideretur Puer, vocatum eſt nomen eius Ieſus. Lu. 2.

Domine Dominus noſter quam admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra? Pſ. 8.

Saluete mundi renaſcentis Kalendæ;
& quia non anni,
ſed æternitatis parentes, perennate.
Auſpicijs melioribus
vos IESVS Infans inaugurat,
quam Ianus ſenex.
Ille vna duplicis fabuloſa larua perſonæ fuit:
hic vero prodigio vna geminæ
Perſona naturæ.
Ille regnans iuſſit aureum ſæculum Italiæ ire:
hic naſcens toti orbi ætatem gratiæ peperit.
Anno ergo ineunti orbis terrarum
Iani nomen detrahe:
in faſtis cæleſtibus IESVS pro Iano legitur.
Idem gemino natiuitatis,
& circumciſionis myſterio,
non vultu intercalaris,
annum naſcens conſecrat morientem,
circumciſus, ac pene moriens naſcentem.

Pater futuri ſæculi naſcens,
mundũ duplici titulo potuit ſtatim poſſidere,
cùm vetus crimen ſuo ſanguine expiauit,
& nouam ſuo nomine dedicauit ætatem.
Si tamen iſti tituli diuidi poſſunt;
nam titulus nominis IESV, eſt titulus crucis.
Ortus morti, Bethleem Hieroſolymæ,
incunabula cruci præluſerunt.
Eo ſanguine ſcriptum,
quo Mater naſcenti impoſuit;
eodem *Filius* moriens ſibi ſuperponi voluit.
E cruciario nunc diuinum nomen,
cruciferum dicas;
nam ſuſpenſum olim in crucis capite,
nunc, cùm pingitur, crucem geſtat in corde.
Vt hic dies initium ſalutis,
dierum Rex agnoſceretur,
debuit purpuratus incedere.
At purpuram non muricis ſanies;
ſed Regis Regum ſanguis dedit.
Phlebotomia hæc Infantis Dei,
totius mundi lepram curauit.
Niſi velis feſtinata miſſione ſanguinis voluiſſe
ſuis amoribus,
qui veræ febres cordis ſunt, mederi.
Vtcunque per lacteam viã aſcendant ad cælũ;
ad Deum homines;
per ſanguineam e cælo deſcendit
ad homines Deus.
Vbi deinde Deus Stygmaticus eſſe cæpit,
admiranda metamorphoſi
ſeruitus migrauit in regnum,
& Reges Regum
Summi Pontifices,
Serui ſunt Seruorum Dei.

Ineffabilẽ

Ineffabile nomen in eodem ſenſu
VERBO ſuo indidit Pater in cælis,
in terris Mater.
Impoſitio terrena, echo cæleſtis fuit,
vbi quod Pater imPONIT, PONIT mater;
quod manDAT, DAT.
Magni nominis pretium ne quæras:
idem eſt nominis IESV, & mundi pretium.
Emptum eſt eo ſanguine,
quo mundus redemptus.
Primum rubricatis caracteribus euangelium,
in IESV nomine legitur.
Nulla ſigizia fauorabilior IESV nomine,
primas poterat ſignare
ephemerides chriſtianas.
Apagite grammatici:
nihil in hoc nomine cum veſtris legibus.
Hoc nomen ſemper cum VERBO eſt:
neque declinari debet, neque caſibus ſubiacet.
Ita propriũ eſt VERBI, vt cum metaphora ſit,
facta eiuſdem magna e cælo
in terras translatione.
Eo ſolo, quia ſemper VERBO iungitur
recta poteſt oratio conſtrui.
Actiuam habet ſignificationem, & paſſiuam;
omnes nimirum amandi, & patiendi modos.
Nec tantum benè dicit, qui IESVM loquitur,
ſed rectè facit.
Adeſte philoſophi,
reiecta omni alia,
hac vna philoſophia nominali ſapietis.
Nunquam magnum IESV nomen
ab eô Verbo ſeiungitur, in quo omnia legimus.
Cum enim illud Pater dixit,
omnia dixit,

Dici omnia de Matre poſſunt,
cum illud fecit.

Circumciſio veritatem ſuſcepta probat humanitatis, & nomen Ieſus, quod eſt ſuper omne nomen, gloriam indicat Maieſtatis, S. Bern. ſerm. de Circumc.

Si tentaris a Diabolo, ſi ab hominibus opprimeris, ſi conficeris ægritudine, ſi doloribus fatigaris, ſi deſperationis agitaris ſpiritu, ſi concuteris formidine, ſi dubitate pulſaris; Ieſu nomen edito: in arduis, in periculis, in terroribus, in domo, in via, in ſolitudine, in fluctibus, vbicunque exciteris Saluatoris profer nomen. B. Laur. Iuſtinian. de Circumciſ.

De impoſitione Auguſtiſſimi nominis Ieſu, Infantulo circumciſo.

CAP. XVI.

Elapſo a diuino partu octiduo, eadem feliciſſima die natus eſt annus nouæ ætatis gratiæ pater, renatus eſt mundus, & ſupra communem Solem, Infantulo Deo circumciſo, eique Auguſtiſſimo IESV nomine impoſito, geminum myſterium terras, cælumque illuſtrauit. Exercita eſt innocens, ac pia teneri corpuſculi laniena procurante Matre, ſed Patre exequente. Ab vtroque verò virgineo coniuge corporato Verbo inditum eſt ſanctiſſimum nomen, quod iam Angelo

nomenclatore nouerant ſcriptum digito Dei in adamantinis tabulis æternitatis, & cæli faſtis. Idem Bethlemicum mapale, in quo diuinus Infans natalibus ſuis mundum conſecrauit, ſupra gemmantem Cyri Regiam, ſupra auream Neronis ædem, imò ſupra ipſius Solis ſtelligeras domos pretioſiſſimum, magnorum Sacramentorum conſcium fuit. Hæc illa domus Dei fuit, in qua cruento ſacrificio diuina victima litata eſt, & per vulnera cultro lapideo circumciſionis miniſtro, duriſſimo nimirum ſtylo, æternoque, Infanti Deo ſcriptum eſt IESV nomen. Ille tandiu ſine nomine fuit, quandiu ſine vulnere, nec potuit niſi poſt vulnera IESVS eſſe, ac poſt tantum nomen, Numen haberi. Abdica ſummo magiſtratu Conſules tuos Roma, imo Auguſtum ipſum, rerum imperio! Vnus eſt, qui Rex Regum toti orbi conſulat, & imperet, conſulatumque iniens ſalutis, melioribus auſpicijs Kalendas Ianuarias inauguret in ſui ſanguinis purpura trabeatus. Huic vni terrarum orbis faſces ſubmitte. Inchoetur ab hoc anno omnis chronologia felicitatis: primogenitum hunc diem non candidus notabit lapis, ſed auſpicatior rubicundus. Puduit ſiquidem lapideum cultrum Infantem Deum ferire; & ſtatim erubuit. Miror non emollitum fuiſſe lapidem Agni ſanguine, qui frangeret adamantes. De ſuo Summus Sacerdos. vt amantius litet, ſe ipſum lactentem hoſtiam ſacrificat. Tota cædua arbor vitæ, vt primum germinat, incipit opobalſamum ſtillare ſalutis, & medicis plagis ſanare mundi plagarum omnium lethales plagas. In hoc Sacrificio docet Deus In-

ſans ſacrificandam eſſe non hominis tantum, ſed anni infantiam, nec frugum tantum primitias, ſed dierum. Expectate mortales cruciatuum nimbos Sole occidente: oriens rubet aurora ſanguinea. Sponſus ſanguinis, quia amans, impatiens moræ initin prima infantia cruentas nuptias, formoſus tamen in ſtola ſua, non in purpura aliena. Immixtum IESV ſanguini MARIÆ lac, dum lactentem Dilectum, & cruentatum, candidum ſimul fecit, & rubicundum. Expectet etiam non Hebræus tantum populus, ſed captiua vniuerſa humana Reſpublica excuſſo internæ Egypti iugo carnifice, eliſaque fractis catenis tyrannide Principis tenebrarum copioſam redemptionem, quando Agni dominatoris terræ, hominumque luſtratoris in ſpelunca Bethlemide, quæ mundi renaſcentis ad nouam ætatem gratiæ, metropolis eſt, non anni tantùm, ſed mundi ianua hiſce Ianuarijs Kalendis diuino cruore linitur. Ita Infantulus Deus lapis angularis ab ipſa prima infantia attritus ictu lapidei cultri, illum ignem concipit, quem venerat miſſurus in terras, non torridæ tantum, ſed glacialis zonæ, imò totius mundi triumphatorem, humanis verbis per igneas linguas propagatis, VERBVM diuinum circumquaque ferentibus. Ita exercituum Deus, vt victricem omniũ patientiam doceat, initiatur vulneribus ad victoriam, triumphaturus in ligno lapidem ſuperat, & progymnaſmate circumciſionis cæleſtis Agoniſtæ proludit ad Crucem. At vnicum vulnus plures ferit MARIAM, & IESVM, cum totus ex Matre Filius, tota in Filio Mater viueret, & idem ex Filij vulneri-

bus,

bus, ac Matris vberibus mutato colore flueret ſanguis. In vulnere Filij Protomartyr Mater a nondum euaginato Simeonis gladio primò feritur, eodem lapideo cultro, ictu fraudulento IESV corpus & MARIÆ cor, quod IESVS erat, altè vulnerante. Nec Iſaaci diuini ſacrificio defuit Sacerdos ſimul, & Pater, nouus Abraham, qui intento ictu, & inflicto vulnere potuit etiam veterem geminare. Ita dum Filius e venis, ſanguinem fundunt parentes e corde in lachrymas eliquato, nec niſi ſummi pretij pyropis; & margaritis baccatum Regum Regi naſcenti imponitur mundi diadema. Eadem ſpelunca, amoris, ac doloris vulcania triſulcum lapideum fulmen elaborarat, quod vnico ictu, ſed trifido vulnere Ieſum, Mariam, & Ioſephum vulneraret. Hac voce ſanguinis nunc primum VERBVM Infans clamat, & licet vocem in ſpelunca ſonantem mundus non audiat, ad eius tamen ſonum abyſſus tremit, empyreum plaudit. Vbi deinde communem aram ſalutis MARIÆ ſinum, hominum ſeruator diuinus ſanguis imbuerit, incipiet vniuerſum terrarum orbem conſecrare. Nunc primùm immortalis Deus ſanguinem ſtillans, mortalem quoque ſe eſſe demonſtrat in homine. Sed adſcito diuino IESV nomine iterum in ſua mortalitate immortalitatem, & Deum in homine explicat. Quid lux tanti nominis in IESV ferat, ſi ſola in Ioſue vmbra tam ingens prodigium dedit? Non ſolis tantum, ſed Dei ſolſtitium dabit: aſtra trahet ab oriente, non ſiſtet in occaſu. Quid enim non illuſtre expectabitur a luce, cuius vmbra geminat diem, & facit, vt ſtante cælo,

mobile firmamentum fundetur in terris? Victor Imperator triumphale nomen non niſi ſuo ſanguine primùm ſcribere debuit. Adora Numen in nomine terrarum orbis, latrante erebo, ac mugiente, cælo gratulante inter naturæ prodigia conceptum, inter Dei victorias natum ad tergemini mundi inferni, noſtratis, ſuperi, triumphum. Hoc prius ſtellis cælum, immortali caractere formauit, quam mortalibus elementis terra compoſuerit. Hoc ex Dei in cælo, ex MARIÆ in terris nomenclatura mundum conſecrauit. Hoc vnicum nomen archetypa ſapientia fabricauit Dei Filio, in quo VERBVM corporatum, ſua omnia nomina, ac titulos explicaret. In hoc vno nomine ſalutari, quod ſalutem vbique ſonat, Angelus Caduceator Salutationem Dei Matri, orbi terrarum ſalutem attulit. Hoc nomen Rex nominum diuino ſemper ſanguine purpuratum regnauit. Hoc nomen chriſtianæ militiæ teſſera eſt, victoriarum epinicion, inſcriptio triumphorum: hoc Euchariſticon cæleſtium gratiarum, hoc diuinorum omnium amorũ lemma. Hæc vox Auguſtiſſima IESVS, corporati Dei cognomentum, VERBI nomen, Diuinitatis caracter, humanæ ſalutis ſignum, diuinæ gloriæ titulus, militantem Eccleſiam conſecrat, triumphantem beat inter æterna ALLELVIA ſuperum plauſibus feliciſſimis, intermixta. In hac vnica voce omnigenæ ſcientiæ enciclopedia euoluitur: in hac clauditur bonorum Ilias. Hæc prodigiorum epitome in duplici Syllaba NON PLVS VLTRA diuinæ omnipotentiæ erexit! Tantum hæ duæ ſyllabæ valent! Etiam anonymum Deum
mundi

mundi Seruatorem, e ſeruatore mundi nomine IESVM dici oportuiſſet. Nec nomen eſt, ſed Numen. Tanti pretij hoc nomen eſt, quanti Deus. Sed heus O IESV Socij, quos tanto cælum donauit nomine, adeſte! Non geſtandum eſt tantum vobis glorioſiſſimum nomen in fronte; ſed inſerendum pectori; elementis enim gratiarum compoſitum ſtylum amoris poſcit, ac tabulas cordis. Nec altè tantùm eſt hoc, aureo ſtylo ſculpendum pectori, ſed largè, cum ſalutem ſonet, ſpargendum manu. Hebraicis, græcis, latiniſque litteris inſcriptū eſt in titulum crucis, vt ſciatis eſſe omnium linguarum nomen. Hoc vno nomine, ſapientiſſimè litterati, omnes ſcientias, ſed præſertim Alfa & Omega Diuinitatis orbem terrarum docete. Si IESV nomini verbum ſemper iungatis vera Filij Dei imitatione orationem dabitis, quæ maximè ſtylum diuinum ſapiat. Hoc nomen vos, ſaluti omnium addicit, & affigit cruci, neque enim vitæ nomen legitur, niſi vbi Thau crucis, littera mortis ſubſcribitur. Vti fabricatum in cæleſti capitolio apicem gloriæ confert, ita in Bethlemide caſa impoſitum, abyſſum humilitatis ingerit; inditum enim eſt Infantulo Deo, peccati, quo nihil humilius dici poteſt, larua perſonato. Legitis: IESV nomen oculos illuſtret. Dicitis: orationem imbuat. Scribitis: ſtylum perficiat. Ambulatis: ſit comes. Agitis: ſit auſpicium. Hoc Auguſtiſſimum diuinum, ac veſtrum nomen (abſit verbo omnis iactantia) vobiſcum viuat; os claudat in morte; & ſit glorioſiſſimum tumuli epitaphium. Nemo interim titulum nominis IESV in eius Socijs

accuſet ſuperbiæ. Euerſor ſuperbiæ eſſe debet hominibus, titulus in tanta Filij Dei humilitate inſtitutus. Nomen IESV nomen eſt Dei. *Accelera Teſtina Prædare*: Innocenti rapina mundum e faucibus orci, e poſſeſſione Inferni Tyranni eripuit. Crucem merebatur, licet illa in præmium ceſſerit, non in pœnam. Cum tamen ſit crucis titulus ad commiſerationem prouocare debet, non ad inuidiam. Neque conqueratur Societas IESV ſe de titulo calumniam pati, qui in ſolo iure patiendi fundatus factus eſt de iure patronatus Dei, in beneficium omnium patientium. Titulus crucifixus, nec retineri ſine cruce poteſt, nec abdicari cum cruce debet.

ELECTIORA
Ex Sacris Scripturis, SS. Patribus, Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Doctoribus Scholaſticis de impoſitione Auguſtiſſimi nominis Ieſu Infantulo Circumciſo.

SYNOPSIS.

1 Circumciſionis pueri IESV tempus, & locus. 2. MARIA procuratrix, IOSEPHVS miniſter. 3. Vſus lapideo, non ferreo cultro. 4. Licet nulla neceſſitate teneretur, iuſtiſſimis tamen de cauſis Deus infans duram, & probroſam legem Circumciſionis impleuit. 5. An ſacrum præputium a Beata Virgine fuerit aſſeruatum. 6 Eadem die Infantulo circumciſo MARIA, & IOSEPHVS Auguſtiſſimum IESV nomen imponunt. 7. Huius magni, & diuini nominis Maieſtas, potentia, efficacia, ſuauitas, & omnigena excellentia. 8. An habeat efficaciam ex opere operato, & quomodo adorandum ſit?

Circumciſionis pueri Ieſu tempus, & locus.

I.

De tempore dubitari non poteſt, cum expreſsè habeamus ex diuina Sacri Euangelij hiſtoria Lucæ 2. *Et poſtquam conſumati ſunt dies octo, vt circumcideretur Puer &c.* Neque licita erat legitima circumciſio ante octauam diem, de tali determinata die lege lata diuina, vt habetur Gen. 17. *Infans octauo die circumcidetur in vobis.*

De loco maior eſt difficultas. Scio diuerſas eſſe ſententias. S. Hilarius initio pſ 118. putat puerum IESVM fuiſſe Hieroſolymis in templo circumciſum. Niceph. l. 1. hiſt. c. 12. huic diuino ſacrificio, quo primùm Seruator hominum ſanguis litatus eſt, domum S. IOSE-

PHI adſcribit. Alij cruento myſterio ſynagogam aliquam Bethlemicam aſſignant. Communis, & verior ſententia eſt circumciſum fuiſſe puerum IESVM in Bethlemide ſpelunca, in qua natus eſt. Apertè hoc teſtatur S. Epiph. in pandec. l. 1. tit. 1. & her. 20. contra Hærodian. c. de præſ. Chriſti his verbis. *Chriſtus natus eſt in Bethleem, circumciſus in ſpelunca, oblatus in Templo. Huius authoritati multũ deferri debere* ait S. Hieron. ad Pamm. epiſt. 6. *quia loca Sancta ſæpe luſtrauit*. Suffragatur Toletus in c. 2. Lucæ cum alijs multis ſacrorum Euangeliorum Interpretibus. Obſeruantiſſima legis diuinæ Deipara Sanctiſſima à loco virginei partus non receſſit, nec Templum adijt vſque ad Purificationem, vt docet alleg. S. Epiph. t. 1. l. 1. c. 8. poſt hær. 20. Circa domum S. IOSEPHI probabile eſt pauperem fabrum non habuiſſe propriam domum in Bethlemico pago, & prope illum. Non ſibi conſtare Nicephorum obſeruat Suarez r. 2. in 3. p. d. 15. ſ. 1. nam poſt circumciſionem inuentum fuiſſe a Magis adoratoribus Infantem IESVM in ſpelunca ipſa Bethlemide aſſerit. Nec obſtat quod modo ſacellum ferè dirutum inueniatur diſtans a diuino præſepi quingentos paſſus ab oriente paululum meridiem verſus vt notat Fran. Quareſmus tom. 2. ſuæ eluc. l. 6. c. 3. per. 3. quod etiam nunc domus S. IOSEPHI Sponſi S. Genitricis MARIÆ nuncupatur. Eſt enim veriſſimiliter Baſilica in honorem S. IOSEPHI extructa, & de more Sacræ Scripturæ dicitur domus Ioſeph, vti Templum domus Dei. Hoc indicare videtur Niceph. c. 30. loquens de Templis ab Helena

lena Auguſta in Paleſtina ædificatis. Omnes tandem Synagogas excludit Toletus in c. 1. *Lucæ* ann. 137. docens Infantes non in Synagogis, ſed in proprijs ædibus ſolitos fuiſſe circumcidi.

MARIA procuratrix, IOSEPHVS Miniſter.

II.

NON erat certus Sacramenti circumciſionis miniſter, vt probat Abulenſis in cap. 1. Ioſue, & infertur ex c. 4. Exod. & c. 1. l. 1. Machab. Vnde nihil cogit nos dicere fuiſſe aduocatum aliquem Sacerdotem. Interfuiſſe Virginem Matrem circumciſioni Filij pro certo habent omnes ferè Eccleſiaſtici Scriptores, SS. Patres, & Doctores Scholaſtici. Negat tantum Io. Gerſon ſ. de circumciſione cum aliquibus alijs, apparatum alioquin circumciſionis luculentè, & eleganter deſcribens. Imo nonnulli cenſent Puerum IESVM fuiſſe ab ipſa Matre circumciſum, vti Gregor. Gallicanus in ſuo marial. ſub tit. de amore Virg. & Franciſcus Syluius in 3. p. D. Th. q. 27. a. 1. Videntur fauere tum D. Hieron. l. de vera circumc. dicens. *Chriſtus octaua die circumciditur a Matre*, tum D. Bern. tract. de planctu Virg. vbi ait, *Virgo Chriſtum genuit, lactauit, octauâ die circumcidit.* At probabilius eſt B. V. procuraſſe quidem hanc legis obſeruantiam, & fuiſſe aram tanti Sacrificij virgineum eius ſinum, miniſtrum tamen S. Ioſephum fuiſſe. Hæc eſt communis Patrum ſententia, quos adducit Moral. l. 5. tract. 3. præſertim Ephrem or. de Natiu. Optati Milleuitani, imo ipſius S. Hieron. ac S. Bern.

& aliorum. Poterat quidem a Matre Sanctiſſima, exerceri pia innocenter laniena, nec erat nouum, vt habetur Exod. 4. de Sephora & 1. Machab. 1. ac 2. de alijs Matribus. Sed fiebat hoc tantum vrgente neceſſitate, cum paternum potius officium requireret, & animum robuſtiorem. Licet autem B. V. robuſtiſſimi eſſet animi, ad quodcunque mandatum diuinum exequendum, probabilius tamen eſt non voluiſſe Dei Matrem a communi vſu aliarum Matrum recedere.

Vſus lapideo, non ferreo cultro.

III.

IN lege primò lata circumciſionis nullum præceptum extat de lapideo cultro potius, quam de ferreo vt notant S. Th. 3. p. q. 7. a. 3. Hugo Victor. l. de Sacram. p. 12. c. 2. & ante ipſos Iuſtinus Martyr in dial. contra Tryh. Vbi tamen Deus præcepit circumciſionem poſt quadraginta annos celeberrimæ illius peregrinationis ad terram promiſſam dixit Ioſue Principi, & Imperatori populi Iudaici: *Fac tibi cultros lapideos, & circumcide filios Iſrael*. Hoc obſeruatum fuiſſe legimus ex. 4. a Sephora, quæ Deip. Virginis figura erat, Vnde iure dixit S. Bernardus ſ. 1. de Circ. *Non repulit Chriſtus cultrum lapideum*. Eadem eſt ſententia S. Auguſt. l. 2. de grat. c. 3. Bedæ, Aymonis, Mag. ſentent. l. 4. diſt. 1. & aliorum.

Licet nulla neceſſitate teneretur, iuſtiſſimis tamen de cauſis Deus Infans duram, & probroſam legem circumciſionis impleuit.

IV.

IN Dei Filio concepto de Spiritu Sancto, in quo non ſolum erat plenitudo diuinita-

tis

tis corporaliter, ſed gratiæ, & aliorum donorum cæleſtium, certum eſt nullã fuiſſe neceſſitatem circumciſionis inſtitutæ in remedium primigeneæ labis, quam omnis protoplaſti Adami poſteritas in pacto cum primo parente inito incluſa, contrahit, vbi primum concipitur. Neque obſtat, quod de ea præceptum diuinum extaret; quia nulla lege ipſe Legislator tenebatur. Neque rurſus obſtat, quod præter emundationem a macula originali circumciſio caracter eſſet, qui diſtingueret Dei populum ab alijs vt notant S. Io. Chriſoſt. hom. 39. in Gen. Thedoretus q. 3. & alij, tum Patres, tum Doct. Scholaſt. nam Filius Dei vnigenitus per vnionis hypoſtaticæ excellentiam ab omnibus alijs eminentiſſimo modo diſtinguebatur. *Ad quid* (iure ſic puppulum circumciſum alloquitur Mellifluus Doctor ſ. 1. de circ.) *circumciſio neceſſaria, qui peccatum non comiſiſti, nec contraxiſti? Quod ipſe non feceris ætas manifeſtat: quod non contraxeris multò certius probat, & Patris Diuinitas, & Matris integritas*. Sunt tamen nobiliſſimæ rationes, ob quas decuit Seruatorē mundi, ſplendorem Patris, & figuram ſubſtantiæ eius, ſpeculum ſine macula & imaginem bonitatis illius, ſanctum, innocentem, impollutum, ſegregatum a peccatoribus, imò excelſiorem, cælis factum, & impeccabilem duræ, & probroſæ legi ſubijci, ac peccatoris laruam induere. Ille de quo legitur Iſ. 43. *Ecce noua facit omnia* voluit inquit Auguſt. de Ciuitate Dei antiquata Synagoga renouationem Eccleſiæ oſtendere. *Quid*, *ait ipſe*, *circumciſio ſignificat vetuſtate exuta, niſi naturam renouatam?*

tam? Imò per illam ſignificatur nouitas Spiritus in lege gratiæ futura, quam Apoſt. ad Rom. 8. vocat *circumciſionem cordis. Quid eſt* (Sancti Auguſt. verba ſunt tract. 30. in Io.) *circumciſio, niſi carnis expoliatio?* Hoc ipſum ante Auguſt. dixerat Philo Heb. l. de circumc. his verbis. *Per circumciſionem ſignificari arbitror exciſionem voluptatum, quæ mentem faſcinant.* Anticipauit quoque ſolutionem pretij redemptionis in ſua infantia DEVS-HOMO, vt patefaceret deſiderium noſtræ ſalutis, indicaretque cælo rubente in aurora ſanguinea veſpertinas tempeſtates, & ex paucis cruoris guttis circumciſionis, quam copioſa futura eſſet apud eum, paſſionis, cruciſque redemptio iuxta illud 3. Reg. 18. *ecce nubecula parua facta eſt in pluuiam grandem.* Aliam rationem affert S. Bern. loc. cit., vt nimirum eſſet cum hac larua peccati ſummæ humilitatis idea nō ſolum, vt legimus ad Philip. 2. *in ſimilitudinem hominum factus*, ſed vt idem Apoſ. ad Rom. 8. ait *in ſimilitudinem carnis peccati. Audiuimus* inquit *expreſſum magnum pietatis Sacramentum, audiuimus congruam lectionem Verbo abbreuiato, quod fecit Dominus ſuper terram. Abbreuiatum enim in carne, amplius abbreuiatur ſuſcepta etiam carnis circumciſione.* S. Epiph. hær. 30. dicit Chriſti Domini circumciſionem fuiſſe veluti lydium lapidem humanitatis corporati Verbi, vnde viſi fuerint inſanire Valentinus aſſerens eius carnem non ex humana, ſed cæleſti materia fuiſſe compoſitam, & Apollinaris conſubſtantialem diuinitati, & impoſſibilem. Hinc etiam apertè deſipuere Manichæi phantaſticam ſibi illā fingen-

ſingentes, & imaginariam non veram, ac realem. Plures alias nobiliſſimas rationes afferunt Patres, præſertim S. Ambroſ. l. 1. de Abraham, S. Auguſt. ſ. 9. in Nat. Dom. & fusè, ac ſcitè S. Th. 3. p. q. 37. a. 1. in corp & alibi. Eędem rationes, quæ probant decuiſſe IESVM Infantem circumcidi, probant etiam decuiſſe B. V. intereſſe circumciſioni, eamque procurare. Sed quid rationes congerimus cur voluerit puer IESVS ſponſus ſanguinum in infantia ſua candidus, & rubicundus circumcidi, cum propter eaſdem rationes fuerit circumciſio, ac tota humani generis redemptio. *Neque enim quærere eſt* inquit S. Bern. ſ. 2. de circ. *cur voluerit Chriſtus Dominus circumcidi. Propter hoc ſiquidem circumciſus eſt, propter quod natus, propter quod paſſus.*

An ſacrum præputium a B. Virgine fuerit aſſeruatum.

V.

IPſa B. Virgo Sanctæ Birgittæ, vt habemus in eius reuel. aperuit ſe particulam diuini corporis in circumciſione præciſam vſque ad mortem diligenter conſeruaſſe, & inſtante morte S. Ioanni dediſſe. Hanc eandem dicunt in Baſilica Lateranenſi cuſtodiri, & coli S. Bonau. in 4. q. 12. & alij. Imo Innocent. 3. l. de Myſt. Miſſæ refert ſacrum præputium ab Angelo fuiſſe delatum ad Carolum magnum & ab eo Aquiſgrani in Templo collocatum, poſtea vero a Carolo Caluo Romam translatum ad locum in Baſilica Lateranenſi, quem propter Sacrarum Reliquiarum multitudinem vocant Sancta Sanctorum. Hæc quomodo

cohær-

cohæreant cum doctrina S.Th. 3.p.q.54.a.2. & aliorum ſcholaſtic. Doct. fere omnium, dicentium omnia, quæ ad integritatem corporis Chriſti Domini pertinent abſque vlla diminutione fuiſſe in eodem reſurgente, explicat Io. Carthag. tom. 1. l. 4. hom. 8. Init quoque duas vias ad enodandam hanc difficultatem Io. Baptiſta Nouatus t. 1. c. 12. q. 6. Prima via ſuggeritur a ſupplemento Gabriel. in 4. diſt. 44. q. 1., vbi dicitur particulam illam in circumciſione decifam, peculiari miraculo remanere in terra, & in corpore Chriſti Domini in cęlo. Hoc nullam inuoluere contradictionem illi omnes docent, qui replicationem eiuſdem corporis per abſolutam Dei potentiam in duplici loco admittunt, vt Scotus, Aleſis, Maior, Richardus, & alij, quos referunt Bellarm. l. 3. de Euch. c. 3. & Albertinus in prædic. VBI corroll. 2. dub. 2. Alteram viam init ex ſententia Suarez t. 2. in 3. p. d. 47. ſ. 1. ſuppoſita doctrina S. Auguſt. in Enchyr. & S. Anſel. in c. 4. ad Epheſ. dicens Corpus Chriſti Domini rediuiuum habuiſſe præputium formatum ex aliqua parte materiæ illius, quæ aliquando fuit in Corpore Chriſti, & per continuam nutritionem fuerat reſoluta, præputium verò in circumciſione abſciſſum in terris remanſiſſe. Hoc factum eſſe ſupponit ſalua ratione reſurrectionis, quam iſta variatio non tollat. Etiam ſanguinem effuſum in circumciſione putat Nouatus rel. ex Suarez. loc. cit. ſ. 3. fuiſſe aſſeruatum, vſque ad reſurrectionem, & rationes affert. Illi tamen in re valde incerta nec ſuffragari poſſum, nec audeo refragari. Illud mihi certum eſt hanc actionem

Chriſti

Chriſti Domini fuiſſe à perſona infinitæ dignitatis, & conſequenter infiniti valoris in ordine ad merendum, & ſatisfaciendum, vt enim deffinit Clemens VI. in extrauag. *vnigenitus. Vna gutta Sanguinis Chriſti Domini fuit ſufficiens pretium ad redemptionem totius mundi iuxta illud* Io. 1. *Sanguis Ieſu Chriſti Filij eius emundat nos ab omni peccato*.

Eadem die Infantulo circumciſo MARIA, & IOSEPHVS Auguſtiſſimum IESV nomen imponunt.

VI.

IPſa octaua die a natiuitate impoſitum eſt Auguſtiſs. IESV nomen conſuetudine vſque a Patriarcha Abrahamo deducta, vt notat Ven. Beda in Lucam. Illi Deus præcipiendo circumciſionẽ nomen mutauit, ex Abramo Patre excelſo, iubens Abrahamum eſſe Patrem multarum gentium. Romani, vt narrat Plutarchus in ſuis enblemm. fæminis octauo, maribus nono die nomen imponebant. Athenienſibus vt refert Ariſtot. l. de hiſt. anim. impoſitum eſt ſeptimo vtriſque, licet deinde vſque ad decimum ſucceſſu temporis fuiſſe dilatam nominationem teſtetur Alexander ab Alexandro. Aliqui tantum barbari, vti Atlantes populi ex Plinio l. 1. c. 8., & alij quorum mentionem facit Solinus c. 94. ſine vlla impoſitione nominis anonimi erant. Ita vero S. IOSEPHVS Auguſtiſſimum IESV nomen, quod Angelo monitore didicerat, impoſuit, vt nullo modo excludi MARIA Deipara debeat, cũ qua commune hoc priuilegium habuit, Ioſepho legimus Matth. 1. dictum fuiſſe *vocabis*

nomen eius Ieſum, & Marię Sanctiſſimę Luc. 1. *Ecce concipies in vtero & paries Filium, & vocabis nomen eius Ieſum.* Principalis ratio huius admirabilis nomenclaturæ expoſita fuit ab Angelo cum dixit. *Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum a peccatis eorum.* Hoc habuit priuilegium B. Virgo ſupra ipſum etiam Virgineum Sponſum, quod ſanctiſſimum nomen, ſicuti prima e cælo ab Angelo nomenclatore habuit, ita prima omnium mortalium protulit. Vbi enim legimus in cantico Deiparæ *Exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo* legunt alij, & verſio iuxta lectionem hebręam eſt *in Deo Ieſu meo*. Rationes cur B. Virginem huius magni nominis impoſitio decuerit, affert Nouatus t. 1. c. 12. q. 5. Inter alias hæc eſt vt nomen IESV per os Mariæ prolatum nobis dulcius eſſet. Nam vt egregiè diſſerit Rup. Abb. in cant. 4. *Per Mammam Eccleſiæ Mariam, quæ terra paradiſiaca eſt, aquæ Diuinitatis nobis dulciores factæ ſunt.*

Huius magni & diuini nominis Maieſtas, potentia, efficacia, ſuauitas, & omnigena excellentia.

VII.

AD huius magni nominis maieſtatem quis non exclamet cum Regio pſalte pſ. 8. *Domine Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra!* Hoc eſt *nomen nouum, quod os Domini nominauit.* Hoc eſt Auguſtiſſimum Nomen, quod per ſua merita theandrica corporatum Verbum ſibi comparauit tergemini inde orbis cæleſtis, inferni, noſtratis adoratione digniſſimum. *Humiliauit*

ſiquidem

ſiqurdem *ſemetipſum* Altiſſimi Filius vt habemus ad Philipp. 21. *factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum &c.* Eius potentia inæſtimabilis eſt. Habemus in ipſo non ſolum æream turrim prouerb. 18. *Turris fortiſſima nomen Domini: ad ipſam currit iuſtus & exaltabitur,* ſed empyreum fulmen aduerſus ignea tela inimici Marci 16. *In nomine meo dæmonia eijcient*. Eſt etiam teſſera ſalutis, & Aſylum miſerorum. Act. 4. *Non eſt nomen aliud ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri*. Eius efficacia incredibilis eſt, nam ex æterni Monarchæ regia promiſſione, quæ irrita eſſe nō poteſt in hoc vno nomine omnis noſtrarum precum victoria continetur. *Amen amen dico vobis* legimus Io.16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis*. Eius dulcedo incomparabilis eſt. Suauiſſimum manna eſt, omnis epilogus ſuauitatis. vnde habetur Apoc. 2. *Vincenti dabo manna abſconditum, & nomen nouum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit*. Opobalſamum eſt, ad omnia vulnera animæ alexipharmacum diuinum. Hinc dicebat Sponſi cæleſtis dilecta Sponſa cant. 5. *Oleum effuſum nomen tuum*. Ad hæc verba ſubiungit S. Bernard. *Electuarium habes O Anima reconditum in vaſculo nominis huius, quod eſt Ieſus, ſalutiferum certè, quodque nulli inuenitur peſtilentiæ inefficax.* Hæc ſuauitas omnibus ſe ſe rebus inſinuat ex eodem Bern. ſ. 15. in cant, his verbis. *Aridus eſt omnis cibus, ſi non*

oleo

oleo iſſo infunditur, inſipidus ſi non hoc ſale conditur. Si ſcribis, non ſapit mihi niſi legam ibi Ieſum. Si diſputes, aut conferas, non ſapit mihi niſi ſonuerit ibi Ieſus. Quid deinde hoc diuino nomine non explicatur? Omnes prorſus Seruatoris Mundi titulos, & laudes exprimit. NOMEN IESV inquit S. Bernardinus celeberrimus excellentiæ nominis Ieſu promulgator t. 4. ſ. 48. *Signum eſt repræſentans omnia, quæ Deus vndique fecit propter ſalutem humanæ naturæ*, vnde legimus etiam Iſ. 9. *Vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis*, & perinde eſt ex S. Io. Chryſ. in Matth. ac ſi dicatur vocabitur *nomen eius Ieſus. Admirabilis fuit* vt notat S. Bern. ſ. 10. Chriſtus Dominus *in natiuitate, conſiliarius in prædicatione, Deus in operatione, fortis in paſſione, Pater futuri ſæculi in reſurrectione, Princeps pacis in beatitudine*. Sed hæc omnia vno IESV nomine exprimuntur, vt etiam S. Hieron. in proph. min. affirmat. Hinc S. Ambroſ. in Lucam ait. *Si mortem times vita eſt: Si cælum tendis via eſt: Si febribus æſtuas ſalus eſt: Si alimento indiges cibus eſt: Si ſitis aqua eſt: Si labore oppримeris requies eſt: Si in certamine verſaris corona eſt*. Totus Chriſtus huius nominis medulla eſt, ſed quando ſuauiſſima eius ſanctitas præcipuè exprimenda eſt. *Cum nomino Ieſum* ait S. Bern. in cant. *hominem mihi propono, mitem, humilem, corde benignum, ſobrium, caſtum, miſericordem, & omni ſanctitate conſpicuũ*. Licet autẽ omnia, quę Seruator Mundi egit, nomine IESV contineantur, præcipuè tamen ſalus noſtra ſignificatur. Hinc eſt quòd vbicunque in Sa-

cris

cris Scripturis inuenitur hæc vox SALVTARE, & SALVATOR S. Hierony. & 70. Interpretes vertunt IESVM. Sic illa verba *Iſ.* 43. *non eſt abſque me Saluator*; *ipſi transferunt non eſt abſque me Ieſus*. Et S. Auguſt. de Ciuit. Dei l. 18. explicans illud Hab. Proph. *exultabo in Deo Ieſu meo* ait non ita ſe probare aliam verſionem *exultabo in Deo ſalutari meo*. Adijcit rationem dicens. Nobis enim dulcius, & amicius eſt nominare IESVM, quam Saluatorem. *Nomen ſiquidem Dei*, vt ipſe alibi ait *iucundũ eſt amantibus Deum ſuper omnem iucunditatem*.

Ingentem & admirabilem virtutem nominis IESV celebrant paſſim SS. Patres. Illud in internis, externiſque periculis, vt ſcutum veritatis adamantinum, defendens nos a timore nocturno, a ſagitta volante in tenebris, ab incurſu, & dæmonio meridiano, agnoſcit B. Laur. Iuſtin. de circumc. Huic conſonat S. Bern. ſ. 5. in cant. in hunc modum loquens. *Cui in periculis palpitanti, & trepidanti inuocatum virtutis nomen, non ſtatim fiduciam præſtitit, depulis metum? Cui in aduerſis diffidenti, iam iamque ſi nomen adiutorij ſonuit, defuit fortitudo? Triſtatur aliquis veſtrum? veniat in cor Ieſus, & inde ſaltat in os. Ecce ad exortum nominis lumen redit ſerenum! Ecce ergo quam ſalutare monitum Apoſtoli eſt dicentis. Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti facite*. Eandem virtutis vim in patrandis miraculis oſtendunt illa verba Marci 16. vbi poſtquã dixit, *In nomine meo dæmonia eijcient*, ſequitur *linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint non eis nocebit*. Hinc

S. Io. Chryſoſ. hom. 5. in Lucam concludit. *Semper Ieſus nominatur, quando à SS. Viris miracula fiunt.*

Immenſam quoque IESV nominis ſuauitatem vbique prædicant SS. Patres, præſertim S. Ambroſ. & S. Bern. Si deeſſent alij tituli iure optimo in mellificio huius nominis ille mellitus, hic mellifluus. Ad illa verba. *Oleum effuſum nomen tuum* concludit S. Bern. quod *Auguſtiſſimum Ieſu nomen eſt in ore mel, in aure melos, in corde iubilus.*

An habeat efficaciam ex opere operato, & quo modo adorandum ſit.

VIII.

IEſu nomen virga eſt ſupra Moſaicam thaumaturga, Reginæ rerum, Omnipotentiæ ſceptrum. Licet autem ſit magna efficacia ſanctiſſimi nominis, vt poſſimus dicere Chriſto Domino cum pænitenti Manaſſe in humili illa, & pia oratione, *concluſiſti abyſſum, & ſignaſti eam terribili, & laudabili nomine tuo,* non eſt tamen dicendum ineſſe illi efficaciam ex opere operato, ſed tantum ex opere operantis, vt de ſanctiſſimo MARIÆ nomine diximus, & Scholaſtici Doctores paſſim docent.

Circa eius adorationem dicendum eſt adorari debere cultu latriæ tanquam proprium incorporati VERBI nomen cum relatione ad ipſum, vt probat Suarez t. 1. in 3. p. d. 54. ſ. 6. cum alijs theologis communiter. Idem Suarez rationes affert, diſput. 15. ſ. 2. cur a SS. Parentibus hoc Auguſtiſſimum nomen impoſitum fuerit, & de hoc de more fusè, & eru-

ditè

ditè diſputat. De nomine IEVOHAH ineffabili tetragrammato tanquam figura nominis IESV mira dicunt Patres, & Sacræ Scripturæ Interpretes, quos refert Io. Carthag. t. 1. l. 5. de Sanctiſſimi nominis IESV excellentia, & eius arcanis hom. 7. Inueniunt quoque plura, & luculenta myſteria numerica in litteris nominis IESV ſanctiſſimi multi Patres præſertim S. Epiph. & Venerab. Beda & alij apud eundem. Præter SS. Patres de Auguſtiſs. nominis IESV excellentia ſcripſerunt relatus Suarez loco iam allegato, Vaſquez 3. p. d. 108. c. 11. Molan. l. 3. de imagin. c. 1. Soto l. 2. de iuſtitia q. 4 a. 2. Corduba l. 1. q. 5. d. 4. a. 4. Magal. proluſ. 9. in Iud. a n. 34. Lucas Tudenſis l. 2. contra Albigenſ. c. 16. Alphonſus Mendoza quodlib. 10. Tolet. in c. 1. Lucæ annot. 85., & 86. Iuſtinian. in epiſt. ad Philipp. Serarius in c. 2. Ioſue a q. 10. Iſagog. in lib. Iud. Nigronius ad initium regular. comm. Societ. Ieſu, Theophil. Raynaud. in Dipt. Mar. p. 1. puncto 8. Io. Carthag. t. 1. l. 5. in vndecim eruditiſſimis homilijs, & alij quamplurimi.

Sed ego ſcrutator Maieſtatis tanti nominis ferè opprimor a gloria, & ipſum audio Chriſtum Dominum mihi ſuccenſentem. *Quid quæris nomen meum, quod eſt mirabile?* vtinam ineptus ad illud explicandum ſemper ſaltem ferrem in fronte cum Paulo, in manu cum Bernardino, in corde cum Ignatio, nec degener omnino eſſem Societatis IESV filius, & indignus tanti nominis hæres. Concludam omnia dulciſſimis verſiculis, quos in feſto impoſitionis nominis IESV in hymno

ſuo pijſſimo canit ſupra omne melos ſeraphica familia.

Nil canitur ſuauius,
Nil auditur iucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quam Ieſus Dei Filius.

MARIAE PVERPERIVM Magorum adoratione nouæ ſtellæ ducatu & ſtatione illuſtratur. SIGIZIAE.

ELOG. XVII.

Ecce Magi ab oriente venerunt Hieroſolymam dicentes. Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? Vidimus enim ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eum. Matth. 2.

Tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuerſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madian, & Epha. Omnes de Saba venient aurum, & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes. Iſ. 60.

Auſpicatiſſimæ Sigiziæ,
toto cælo in vnum aſtrum coacto
coronatis Inſpectoribus,
in bono lumine noctem accendunt.
Prodigium fuit Solem in occidente late re-
eius luciferum in oriente ſpectari,
& quod miremur magis,
non prodromum Solis, ſed pediſequum.
At maius prodigium fuit ſuſpici in terris
inſolens noctis, ac diei commercium,
& in breui ſpeluncæ Bethlemidis epiciclo
Solem, Lunam, & ſidera radiare.
Prodigium etiam fuit ſine furiali coma
Cometa comis.

Innocentem nunc primum cælum
Cometem habet,
& ſine metu Reges vident,
in ortu Regis,
Regibus ortum.
Homicidis cæteris cometis
hic innocentia ſua detraxit infamiam:
En vt natalem nunciat funebris flamma:
Et vt pacem terris feciale ſidus indicit!
Cum ſcelera expiantur in terris;
non debuit cælum eſſe ſceleratum.
Nec miretur quiſquã alias eſſe ſideribus leges:
nouum modò Principem habent.
Ita magnus cæli, & abyſſi Monarca
lucis ſimul, ac tenebrarum diſpenſauit officia,
vt oriens ſidus accenderet,
occidens Solem extingueret.
Intempeſta nocte dum naſcitur dieſcit:
nocteſcit meridiana in luce dum moritur.
Oriens nimirum, & occidens
imperat naturæ, cum paret.
Qui tamen Cometa
ſine metu videtur à Regibus,
non ſine metu Regem videt.
Antea Reges
crinitos de cælo carnifices timebant:
nunc illi carnificem Regem.
Præpoſtera ſunt omnia, cum regnat impietas,
nec ipſa tuta ſunt ſidera.
Quid porrò tutũ etiã cæleſte in aula Herodis,
qui in innocentes hoſtis, in hoſtes innocens,
tam gnauus Tyrannus, quam ignauus Rex,
viſus eſt non oſtrum induere, ſed æſtrum.
Imo purpuram induit, vt naturam exueret,
cum illam ſuorũ filiorum ſanguine ſaturauit.
Si

Si tamen Filij dici poſſuut,
qui Patre caruerunt.
Herodem ſiquidem Patrem,
idem Herodes ſuſtulerat parricida.
Parum erat coronato monſtro
humanitatem exuiſſe,
niſi diuinitatem conaretur extinguere,
quam nequaquam timuit,
inter timores ſuos.
Quis optimum Herodem non diceret,
cum Deum timet,
niſi etiam ipſum timeret Deus?

O feliciſſimi Reges cui preciditis! quem adoratis? fallimini. Vbinam regalis cuſtodia ſatellitium? vbi aulea cortina? vbi thronus? vbi diadema Regium? Pro cuſtodia beſtias video, pro throno ſtabulum, & præſepe, pro oſtro, & purpura, pannos, pro diademate paleas. Quis eſt Rex Iudæorum diues, & pauper, humilis, & ſublimis, paruulus, & immenſus, vilis in pannis, pretioſus in ſtellis? S. Bern. ſerm. de Epiph.

Tres Magi tribus partibus orbis Europa, Aſia, atque Aphrica fidei exemplar exiſtere meruerunt. Rup. Abb. de Epiph.

De Mariæ puerperio Magorum adoratione illuſtrato.

CAP. XVII.

IAM cælum plauſerat feſtis cantibus, tota Empyrea Aula in humilem caſam deſcendente, quæ Dei hoſpita, facta iam mundo maior, vti Superos rapiebat, ita

empyreum, & alia omnia capiebat. Iam Orcus ipſe amores noſtros venerabundo timore teſtatus, inſolito tremore abyſſi fundamenta quatiens, ſenſerat nouum ſupra ſe Dei pondus in Bethlemide ſpelunca vagientis. Iam Iudæa Angelo Euangeliſta, Verbum Infans pro Euangelio ſuo promulgante, e vicina turre Aden Paſtores ſuos inter oues triumphali gaudio ouantes Agno Dominatori terræ in caula ſimul iumentorum, & Superum aula regnanti proſtrauerat, vt innocentiſſima artium paſtoritia, quæ prima Deum parentem mundi naſcentis coluerat, eundem etiam adoraret prima parentem mundi renaſcentis. Cum ecce Magi ab Oriente venerunt, & orbis terrarum tributum, quod vnicum deſiderabatur, orienti Regum Regi, tributarij Reges Orientis tulerunt, Deo coronatas victimas poſcente, etiam cum in ſpelunca ſtabularetur, in hara non in ara locatus, vt ad Regum exemplum compoſitus orbis Infantem Dominũ agnoſceret pannoſum quoque, ac iacentem. Aſſurgebant Eoi Principes ſupra populos, quibus imperabant, non Regiæ tantum Celſitudinis, & Maieſtatis eminentia, ſed innocentis in terris magiæ, ſupremæque in cælo ſapientiæ, quibus prudentes Magi, beatique Aſtrologi addicti erant, Celſitudine, ac Maieſtate ſublimes. Ipſe Deus in ſpelunca Bethlemide latitans ſe ſe in cælo explicuit, & quia erat VERBVM Infans, ſed amans, mutam, ſed igneam nouelli ſideris linguam, ſuorum natalium nunciam in ſublimi accẽdit, Angelorum opera, & arte in vnam ſplendoris molem, ac veluti theſaurum pretioſiſſimum, Solis auro, Lunæ

Lunæ argento, aſtrorumque gemmis vndequaque coactis. Huic flori lucis rerum omnium artifex occultam vim, ac penetrabilem in pectora indidit, cuius beneficio tribus radijs, veluti fulminibus piè, ſanctèque icta regia corda non arderent tantùm, ſed igneſcerent. Agnouerunt felices Aſtronomi in Lucifero ſolem: ſapientiſſimi Magi adhuc ignotum humanis oculis in hieroglyphico cæleſti, diuinum VERBVM legerunt. At melioribus auſpicijs cæli Auditores, quam Inſpectores, inſolenti prodigio in aureo legati ſideris ore, Deum ſibi loquentem adorarunt, cum ſpectarunt Infantem. O philoſophiam innocenti magia ſupra omnem naturam altè ſapientem! O theologiam cæleſtem prorſus, non fallaci diuinitione, ſed vera Diuinitate diuinam! Apagitæ cælo, terraque interdicti Myſtagogi cæleſtium ſphærarum, Arbitri orbis terræ, oraculorum architecti, fatorum tyranni, ſyderum inſtitores, in bono lumine cælorum omnium ſplendidè mendaces tenebriones, qui putatis vos de cælo ſapere, cum ſiderali negotiatione bona, ac mala etiam libertatis noſtræ, & vniuerſam dominam rerum prouidentiam ſacrilega præſenſione diſpenſatis! Ita ne illuditis humanis rebus, vt coronatæ noſtræ libertati, qua principes in rerum vniuerſitate regnamus, erratici ignes imperent, & eorum amore, odioue in proſpera, atque in aduerſa rotemur? Abortiuus partus philoſophiæ hic eſt; & furtum diuinitatis hæc diuinatio ſacrilega. Illi verò verſatiles cum ſuis cælis diuinos ſe eſſe putant, cum ne quidem humani

ſint, & infra homines brutorum more deſipiant! Illi punctis ſuis lineis & ſigizijs Clotho, Atropos, Lacheſis, mortalitatis noſtræ humana fata contorquent? Illi Solis Lunæ, aſtrorumque conſiliarij arcanis cæleſtibus ſe præeſſe iactant? Ita plane: cum tacenda ſolùm ſciant, dicenda ignorent. O vaniſſimam Aſtrologorum coniectorum nationem, falſam non minus, quam fallacem! O ſummam in hoc genere fingendi licentiam! An quidquam eſſe poteſt Reginæ menti cum erroribus cælorum, ac legibus, vertigine, ac mora, occurſu planetarum, & conuictu, intuitu ſtellarum, & indole fatalis, æternæque ſeruitutis? An vlla cæli monarchia, an vlla ariſtocratia aſtrorum eſſe poteſt in liberos homines, vt inde mancipia ſint luminum ſupernorum? Iure gentium, Sapientiſſimorum, ac Sanctiſſimorum Patrum Senatus conſulto, vniuerſæ naturæ plebiſcito, edicto Vicariæ numinis Vaticanæ cortinæ, dominum animal, homo ab hac ſtellarum tyrannide liberatur. Grandis macula inuritur aſtris innocentibus hac ariolantium Chaldæorum inſania, quæ Principum auro, & populorum aura per glorioſa mendacia ad omnem impietatem velificatur. Fortaſſe veritate ſucceſſuum Aſtrologi coniectores ſtellarum placita commendabunt? Quaſi verò ingens miraculum nō eſſet inter aſtrologicarū tripodum mendaciſſima oracula fortuitam aliquā veritatem non inueniri. Fortaſſe impugnabunt nos ridendis illis vrbium, arciumque geniturís? quaſi vero vt vrbes, arceſque euertant terræ rebellantis motus, aeris irati turbines, audaces flammarum globi, arietantium

tormentorum impulſus, temporis helluonis edacitas expectare debeant Aſtrologorum Horoſcopos, & ſiderei Magiſtratus authoritatem. Quid quod idem cælum vni Regi genitale eſt, & infinitæ popularium hominum multitudini: iiſdem ſtellis Iro ſæpius alicui & Cræſo, Achylli, & Margiti, Cæſari, & Bambalioni eodem aſpectu radiantibus? Quid quod cælites illæ domus, in quibus tanti ſua beneficia, & maleficia locant, imaginariæ prorſus ſunt, ac merum nihil? Quid quod arbitrarius eſt etiam ille, quem ipſi, vt cortinam ſuorum oraculorum adorant, monſtrorum illuſtrium circulus? Quid quod propter motuum conuerſionem, trepidationemque cæleſtium orbium, nunquam eadem cælo facies eſt, vnde nulla veritas experientia magiſtra, præſertim in cælo ficto, & inter nutantia, ac pugnantia Aſtrologorum coniectorum iudicia, ſtabiliri poſſit? Inſolentes nob.s Perſæ: ignotas Perſis Iudi imagines ſuæ ſpheræ barbaricæ inſuerunt: euerterunt Arabes figuras Chaldæorum: Hebræi fixere cælo elementa litterarum, & ex abecedario illo ſtellanti prima ſcientiæ ſuæ principia legunt: nos innocentes feras ſtellis, nimirum illuſtribus membris animamus.

Sed ſatis iam aberrauimus cum erraticis hominibus nihil a cælo trahentibus præter vertiginem, nihil a noctibus miſerè vigilatis præter tenebras. Ad purpuratos aſtrologos redeo, iucundumque ſpectaculum ſideris peregrini. Mathematici noſtri Reges æque Cælorum, ac Regnorum ſuorum Iudices, ſiderum erroribus populos regunt: eadem religione

ſuprema, ac terrena metiuntur, & conformatis ad ſanctiſſimas illas leges vtbibus, altius conſulunt vaticinia veritatis. Agnoſcunt nuperum illum cæli hoſpitem, tanquam ſalutis phoſphorum, & diuinorum natalium teſtem, atque interpretem luculentum. Altè nimirum aſſurgunt ſupra cæterorum Mathematicorum populum Aſtrologi coronati, vt iure non Sapientes tantum inter Reges, ſed Reges inter Sapientes dici poſſint. Exoritur repente vndequaque radiatum, ac veluti crinitum nouitium ſidus, inſolentique deſcenſu, ac ſtatione fulgurat orienti. Suo capiti ſtellantem furiam, ſplendidum Regibus carnificē, venena tam vibibus flammam, minitabundum populis fecialem, cæli oſtentum, ſiderum monſtrum, aeris peſtem, telluris eiectamentum, ignium colluuiem, rogumque communem totius Orientis exhorruiſſent, ſi non ſupra aſtra ſapuiſſent. Oraculorum diuinorum magiſterio eruditi de funeſtiſſimo fænomeno beatè iudicant, aſſeruntque felicem Regibus, populis ſalutarem, illum diuini Solis Luciferum illuxiſſe, quem amore ardentem non minus, quam igne, nato Numini inter genethliacas faces cælum accenderat. In hoc ſidere non fidei tantum, ſed ipſius Dei Horoſcopum venerantur, planetam dominatorem orbis chriſtiani, nec fortunam tantùm maiorem, ſed maximam etiam infelicibus. Diceres dubitaſſe cælum quì immortalis Deus, mortalis eſſe poſſet, & nouum ſidus veluti oculatum teſtem admouiſſe. Diceres naſcente Infante cæli principe, non ſolum cum milite præſidiario in terras cælorum aulam transferri, ſed famula-

famulatricem ſtellarum familiam augeri. Excantantur interim non ab hominibus aſtra,ſed ab aſtris homines, nec illa in terras, ſed illi in cælum rapiuntur. Parum erat ſanctiſſimis cæleſtium Inſpectoribus, oculis contemplari nouum cæli auctarium, niſi etiam auribus ſapuiſſent,auditaque muti luminis ſimul,& eloquentis legatione, oculatæ prudentiæ auritam fidem addidiſſent. Quanquam quid non perſuadeat orator, cum faces admouet, & ipſa artis argumenta ſunt flammæ? Spectatores ſunt cæteri Aſtrologi; auditores etiam noſtri, ſed feliciſſimi, cum illis omnis pythagorica cæleſtium harmonia ſphærarum in vno ſidere ſonat, concentuque multiplici vnicum VERBVM explicat,quod tamen totam Patris, omnia in eo dicentis, eloquentiam exhauſit. Ita verò tacitus ille de cælo Orator cæleſtia oracula auditoribus Regibus feliciter ſuaſit, vt ad peregrinationem accenderit per auias eremos, locorum interuallo, hyemis inclementia, domeſticis iacturis, externiſque periculis aſperam prorſus, ac formidandam Itum eſt aduerſus omnia regnatricis artis politica effata. Sed non niſi calcatis terrenis omnibus, ſupra mundum Deus inuenitur. Intenti diuinis, clauſerant humanis omnibus oculos, & vnicum THEOPOLITICON legebant in cælo, quòd Reges ipſos feliciſſimè regeret. Erraſſent ſi cum hoc octauo planeta,omnium fortunatiſſimo peregrini ſapientes non erraſſent. Rectis tamen ad Deum itineribus tendunt, & ſine errore; nam ſtellam ducem ſequuntur, quæ VERBI illius, ad quod ducebat imitatione,nec falli prudens poſſet,nec falle-

re in-

re innocens vellet. Iter itaque exantlant ſumma in aggrediendo fortitudine, conſtantia in perſequendo ſingulari, celeritate in conficiendo pene incredibili. Ducis nimirum ſideris exemplo ne dicam, an raptu cæleſti, magnis ſiderum itineribus gradiuntur, quæ diurnam, nocturnamque peregrinationem non niſi immenſo ſuo orbe definiunt. Non primùm nunc peregrinatur ſapientia cum coronatis hiſce philoſophis. Nulla fere philoſophia adulta creuit in patria. Græcia in Ægypto: Latium in Græcia magnificentius ſapuit. Ipſæ Lacedemoniæ Lycurgi leges, Pythagoricæ inſtitutiones, Platonis academia, perypatheticum Lycæum, merces fuere peregrinæ. Sed nulla ſapientior peregrinatio fuit, quam noſtrorum Regum ad illud diuinum VERBVM, in quo etiam Infante omnia explicatè legi poſſent oracula veritatis. Ventum eſt tandem Hieroſolymam Iudaici Regni principem ſedem; vbi enim auſpicatius quærerent regnantem Puerum, quam in Regia vrbe, quæ nomine etiam ſuo pacis auſpicia præferret? Sed orbe pacis non minus, quam Aula Herodis turbata, Hieroſolymæ Babylonem ipſam inueniunt. Quid pacatum reperiatur in terris, vbi turbatur ciuitas pacis? Non mirum tamen illam turbari, cum furentem Æoliam vitiorum in Aula foueret. Auaritia, ambitio, luxuria, impietas Hærodianæ Aulæ principes venti regnabant. Hieroſolyma turbata procellã excitauit, quæ vnico, quod adhuc radiabat Magorum ſidere extincto, totum cælum eripuit. Interim Hæbræus græciſſat Herodes. Ad ænigmata ſua confugit Sphynx coronata, & vulpis pellem

induit

induit populi ſui populator, Regius Leo. Aduocantur legis Doctores, ſed exleges, & malo Principe non meliores Conſiliarij, concepto ſceleri obſtetricantur, vt infelicius pariatur. Bethleem puelli Numinis patriam pronunciant, ne deeſſet Regiæ proſcriptioni locus. Sub eodem aſpectu Magorum ſtella, aureę linguæ aſtrum, & comæ fulminantis, Solem nunciarat, Regemque terruerat. Fingit hic ſe Numen venerari velle, ac ſi Religio fabula eſſet. Verus Herodes omnẽ religionem eiurauerat: ſolam perſonam laruatus retinet, nunquam magis verè impius, quam cum fictè pius. Hanc hiſtrionicam pietatis ſæpius extra ſcænam non interaulæa, ſed in aula Reges exercent, & aliquando totum regnum teathrum eſt. Anguis inter flores latens, atrocius ſæuit, quo tectius. Grande timeri debet periculum vbi idem amantes quærunt, & hoſtes: vel illi falluntur, vel iſti fallunt. Nullum nocentius odiũ eſt, quam cum ſe ipſum exuens, amorem mentitur, gemmantemque ab eo arcum, & aurea ſpicula mutuatur, vt veneno inficiat, & crudelius ſæuiat. Sed innocentibus, nec verum odium, fictis armatũ amoribus, nocet. Imo Regis impietas, pijs Regibus profuit. Vt Herodianæ fraudis nodos, ſolueret, iam e cælo deſcenderat Deus. Vtcunque præcox Antichriſtus Herodes, quem Orcus ante Chriſtum pepererat, cælo, regnantia ſcelera abhominanti, inuiſus eſſet, totus tamen etiam patebat. Quid enim cælum celare poſſis, in quo præſcia Numinis ſapientia arcanis notis omnia celauit, in immenſis illis voluminibus illuſtri prorſus ſtylo deſcripta. Iterum in rediuiuo

diuino ſidere reuiuiſcunt peregrinorum Regum gaudia, redditurque ſerenitas, quam turbata Hieroſolyma eripuerat. Apparitorem, de cælo facem præferentem, ducem ſequuntur Bethlemici itineris, monētem ſimul aureo ore, fictum Regem in aula regnare, verum in caula ſtabulari. Prodroma hæc ſtella Soli Deo concentrica rectà ad natalem puppuli Numinis caſam duxit, & ſignans diuinam patriam ex felicibus Aſtrologis, feliciores Topographos fecit Diuinitate inuenta, infinito interuallo omnem diuinationem ſuperante. Ibi vicino Sole, lege iam ſideribus omnibus lata, ſidus euanuit. Illis hoc duce opus erat, non interprete, VERBO diuino cum e proximo legi cepit, licet breuiſſimis notis inſcriptum, ſe ipſum innocentibus Magis fuſiſſimè explicante. Excipiuntur paupere caſa, quam naſcenti Deo hoſpitalis rupes locauerat, inhoſpitalibus Bethlemitis inhumanis prorſus hominibus fores claudentibus. Aperuiſſe dixiſſes emollitam cautem cæli, terręque amori, amanter cor ſuum in fortunatiſſima illa ſpecu. Non turbantur Regiæ humilioris aſpectu; ſciunt enim diuina maximè patere, cum latent, nec ſine latebris eſſe debere pretioſiſſimum in ignoto Deo omnium bonorum theſaurum. Imo nec mirantur in præſepi iacentem attractis ad ſe ſe paleis DEVM ADAMANTEM. Aliquid ſupra naturam fieri credunt, colendi in terris cæli cultores, ſapientiſſimi Aſtronomi, vbi inſolens ſpectant Solis, aſtrorumq; commercium. Iam fabulam eſſe diſcunt præſepe in cælo ſtellis illuminatum, dum ſtellas ſupra verum præſepe, in terra ſpeculantur. Iam in

vno aſtro omnium ſuorum votorum firmamentum ſuſpiciunt. Solem, quem hyberno ſolſtitio in Capricorno rebantur, in Virgine inueniunt, & pro felicitatis nomine, quod Arabiæ felicis inquilini Reguli deſeruerant, ſummæ felicitatis Numen aquirunt. Hæc illis ſpelunca cæleſtis omnis ſcientiæ lyceum eſt. Quid enim vltra cælum per partes ſpecularentur, qui vno intuitu Solem, Lunam ſidera cum Deo, & Superis omnibus mirabantur? Et iure in ſecundi Adami. cæleſtis exortu cælum non cænum inuenitur, vt omnes ſcirent quantum diſtat verum Deum naſci, ab homine ficto. Omnia ſtatim dediſcunt humana, diuinis paradoxis eruditi. Æternitatem ortus, anguſtiæ explicant immenſitatem: vnus Infans omnigenam eloquentiam, vnicum VERBVM totam philoſophiam docet. Inde totam ebibunt Magi potentiſſimi magiam amoris. O conſilia altiora ſupra communem ſapientiam! Agnoſcunt ſapientiſſimi Reges Deum abſconditum ſub hominis vultu, vident vniuerſum in Paruulo, audiunt in vagitu Tonantem, reiectiſque ſenſuum legibus, ipſi primi ſentiunt pannis purpuram, antro Regiam, fæno venerationem, brumis incendia, anguſtijs felicitatem, ſapientiam infantiæ, ſordibus ineſſe Maieſtatem. Illud verò ſupra omnem admirabilitatem eſt, cum ante Deum Reges populus fiunt, & orientis theſauros vectigales pendunt Deo orienti. Multiplex ſapientia cum munere certat; nam Regi, Deo, Homini regia, diuina, humana, munificè, religiosè, prudenter, prodigunt, adolent, donant. Aurũ Regi tributarium ſoluunt, Regem cordium omnium

omnium amori : thus Deo, odoratum adorat ę Diuinitatis ſacrificium : myrrham homini, qui immortalitatem omnibus hominibus erat allaturus. Ingentia donaria offerunt, maiora tamen referunt. Aurum donant : gemmis redonantur, quibus diuites ſunt cæleſtis Sponſi manus, tornatiles, aureæ, plenæ Hyacinthis. Funebris myrrha pretium illius immortalitatis eſt, qua initiantur. Thus in Sacrorum Reges illos conſecrat. Orientis gazis ditior Bethleem, quam Roma triunphat, ſed pretioſiora recipit a Deo oriente. Prima hæc munificentia Dei inopis manus ditauit. Hæc apophoreta ſaturnalitijs diebus in regale xeniũ ſapientiſſimi homines Infantulo Numini donant, ſe ipſum infinito fænore redonanti. Aurum hoc placet, quod non infernum ex abyſſi ſinu Plutus, ſed ſupernum e cæli theſauris amor erogauit, & myrrhæ, ac thuri iunctum ſacrificium hominum eſſe voluit, non idolum, ad Infantis Dei pedes proiectum, non immortalium manibus adoratum. Non diſpar fuit manus, & linguæ ſapientia, qua fuit adoratio adornata. Dedit lingua manui eloquentiam : fecit manus pretium orationi. Hac tanta luce regalis dies inter cæteras dierum Regina communem Solem dedignata, nouelli luminis ſtatione illuſtri, ſereniſſimorum Regum theſauris peregrinis, Domini rerum Regis Regum, totiuſque Empyrei in Bethlemide ſpelunca habitantis Maieſtate irradians, eodem, quo ſignata fuit aſtro, veluti lapillo non candidata tantum, ſed ſtellata, ſummam indixit cælo, terriſque beatitatem. Hac felicitate fortunati Curſores cæleſti

ducatu

ducatu in antri diuini carceribus metam inuenerunt. Hac religione de Perſidis Schola Magi innocentes, ſapienteſque Aſtronomi vnicum ſidus Dei phoſphorum, heſperum idolatriæ in Arabico cælo, reliquis contemptis, ac tres ſoles IESVM, MARIAM, & IOSEPHVM in Paleſtino adorarunt. Hiſce auſpicijs orbi terrarum, quem naufragum in pluuio mari tres homines Sem, Cham, & Iaphet repararunt, Melchior, Baltaſſar, Gaſpar, vt e communis perfidiæ naufragio emergeret, portum fidei aperiunt, ac primi mundi orthodoxi Patriarchæ eſſe meruerunt, veri orbis terrarum Triumviri, tres viri Aſiæ, Aphricæ, Europæ pares. Vtinam ad horum Regum exemplum totus ſe ſe componeret orbis.

ELE-

ELECTIORA
Ex Sacris Scripturis, SS. Patribus, Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Doctoribus Scholaſticis de Maria puerperio adoratione Magorum illuſtrato.

SYNOPSIS.

1 SS. Magorum Pueri IESV Adoratorum Magia. 2. Regia dignitas. 3. Nomina. 4. Patria, expenduntur. 5. Nouæ ſtellæ, quam in oriente viderant præ notiones. 6. Natura, exortus, myſteria, ducatus in peregrinatione ad natum Regem Iudæorum, & omnigeni ſplendores ex SS. præſertim Patribus aperiuntur. 7. Eiuſdem occaſus in mora Hieroſolymitana, nouus exortus in itinere Bethlemico, ac ſtatio ſupra ſanctum Præſepe illuſtrantur. 8. Vbi SS. Magi in gremio Deiparæ Virginis cum ipſius ingenti gaudio diuinis myſterijs ab eadem inſtructi. 9. Decima tertia a partu virgineo die. 10. Apertis theſauris ſuis, & oblatis auri, thuris, & myrrhæ muneribus per manus MARIAE, & eadem interueniente puerũ IESVM adorarunt. 11. IESVM a MARIA lactari conuenientiſſimum fuit. 12. MARIAE IESVM lactantis deliciæ, ac beatitas. 13. Affectus, & priuilegia. 14. Sapor Deip. Virginis lactis Infantulo IESV dulciſſimus. 15. Et ingens meritum lactationis ordinatæ etiam ad Filij paſſionem, inſtitutionem Auguſtiſs. Sacramenti, & ſpiritualem noſtram nutritionem. 16. An Virgini Matri lac diuinitus ſupra naturam inditum fuerit? 17. Quem influxum habuerit in Filij corpus? 18. An dederit nouum titulum ad Virginitatem ſeruandam Virgini Matri? 19. An aliquid Mariani lactis aſſeruetur in terris? 20. An vim habeat impetrandi in cælo?

SS. Magorum Pueri Ieſu adoratorum Magia.
1

IN ipſa MAGORVM voce prima controuerſia eſt. A ſapientia MAGOS apellatos fuiſſe

fuiſſe affirmant S. Anſel. Venerab. Beda, Rup. Abb. S. Baſilius Magnus hic, & alij ferè omnes. Sed cum Magia duplex fuerit ex Cælio Rhodigino l. 9. antiq. lect. altera honeſta, & laudabilis ad philoſophiam naturalem ſpectans, altera infamis, ſuperſtitioſa, & commercijs inferorum inquinata, vtra in Magis, Infantis Dei Adoratoribus fuerit, ab aliquibus dubitatur. Illorum innocentiam tuentur, & Magos philoſophos fuiſſe affirmant Niceph. l. 1. c. 13. Innocentius III. Summus Pontifex de Epiph. Vener. Beda S. Anſel. Auctor imperfecti, & Gloſſa ordinaria in hunc locum. Sed eos in alio Magorum ſuperſtitionibus deditorum genere collocant S. Th. 3. p. q. 36. a. 3. S. Hieron. in c. 19. Iſ. S. Auguſt. ſ. 2. de Epiph. S. Ambroſ. ſuper c. de Magis S. Iuſtin. mart. in dial. contra Tryph. S. Baſil. Mag. or. de Chriſti generat. & alij. Theophilactus in cap. 2. in Matth. ad commendationem diuinæ miſericordiæ cum admiratione expendit, quod Chriſto Domino teſtimonium perhibent Magi, qui magis aduerſarij erant Deo, & obnoxij Dæmonijs. Alij, & probabiliſſima opinio eſt eos adſtruunt peritos ſcientiæ cæleſtium, & in omni aſtronomiæ genere verſatiſſimos. Hæc facultas in ijs regionibus maximè in pretio erat, vnde MAGI, nimirum Sapientes illius magiſtri dicebantur.

Regia dignitas.

II.

DE eorum Regia dignitate maior eſt dubitatio. Illam certè ſacer Agiographus Matthæus, qui vnicus inter Euangeliſtas hanc

adora-

adorationem deſcribit, ſilentio præterijt. Sed communis vox PP. & ſenſus Catholicorum, ex antiquiſſimis etiam picturis, quæ eos coronatos exhibent, Reges fuiſſe teſtantur. Inter cęteros manifeſtè hoc affirmant D.Auguſt.l.3. de mirab. Sac.Script. & ſ.43.ad Tr.in eremo, S. Athanaſ.q. 2.ad Antioch.S.Anſel.de Bapt. Chriſti, S.Io. Chryſoſ. hom. de Chriſ. nat. S. Iuſtinus Mart. in dial. c.Tryph.S. Epiph. in comp. doctr. Incognitus in pſ. 77. & alij. Fauet Card. Baron. cum alijs fere omnibus Hiſtor.Eccleſiaſ. Adducunt oracula Regij Pſaltis, & euang. Prophetæ, quibus vtitur etiam Eccleſia Cathol. in feſto Epiph. *Reges Tharſis, & Inſulæ munera offerent: Reges Arabum, & Saba dona adducent. Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui. Omnes de Saba venient aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes.* Cur S. Euangeliſta nullam mentionem Regiæ dignitatis fecerit adducit luculentiſſimas rationes Io. Carthagena t.1.l.6. hom. 1. Sentio Reges fuiſſe, ſed paruos, cum etiam a Sacræ Scripturæ vſu alienum non ſit, vt probat Serloghus t.1. in cant. antel. 5.n.128. Toparchas, quos dicere poſſumus Regulos alicuius regionis, ſimpliciter Reges apellare. Hinc doctus. Simon de Caſſia l.1.c.12. ait. *Erant in regione aliqua orientalis plagæ tres viri nobiles, parui tamen reges, Magi a Sapientibus dicti.*

Nomina.

III.

Eorum nomina vt communis fert opinio fuere GASPAR, MELCHIOR, BALTASSAR.

SAR. Ab Ebraido tamen. eiuſque locupletatore l. contra Valdenſes c. 12. aliter nominantur, Appellices, Arnetus, Damaſcus & Hebraicè Galgalad, Magalad, Serachim. Sed non eſt a communi ſententia recedendum.

Patria expenduntur.

IV.

SED vndenam venerint, cum oriens, ex quo veniſſe certum eſt Matth. 2., habeat magnam regionum multarum latitudinem, incertum eſt. Ab vltimis Æthiopiæ finibus veniſſe aſſerit hic S. Hilarius S. Iuſtin. mart. in dial. c. Tryph. ex Arabia, S. Maxim. Taurin. ſ. de Epiph. ex Chaldæa, S. Io. Chryſoſt. hom. 7. in Matt. ex Perſia, Abulenſ. in c. 24. ex Metopotamia, & fuiſſe Balaam ſucceſſores, quæ Patrum ſatis communis ſententia eſt, & valde probabilis, cum hæc regio ad orientem Iudeæ ſit. Singularis ſententia Doctoris Nauarri fuit de orat. c. 21. n. 22. SS. Magos veniſſe ex Indijs orientalibus, & nominatim ex Regno Calecutano.

Noua ſtella quam in orinte viderunt pranotiones.

V.

HAbuiſſe aliquam in anteceſſum notitiam de hac ſteila Infantis Dei nuncia Sapientes cæli inſpectores ex ſcriptura Sem Patriarchæ Noe Filij affirmat S. Io. Chryſoſt. opere imperf. in c. 2. Matth.. Imò ait in illa ſtella apparuiſſe admirabile fænomenon, nimirum Virginem pulcherrimam inter bracchia ſuauiſſimum Puppulum amplectentem, eiſque ſuaſiſſe peregrinationem, rectique ſe

Ducem

Ducem, ac Magiſtram itineris obtuliſſe. At ex Balaami vaticinio *Orietur ſtella ex Iacob*, naſcituræ nouæ ſtellæ, naſcente Meſſia mundi Seruatore, ſcientiam habuiſſe Aſtrologos Reges aſſerunt S. Ambroſ. in c. 2. Lucæ S. Hieron. in c. 2. Matth. S. Greg. Nyſſ. or. de Nat. Chriſti S. Baſil. Mag. or. de Ch. gener. & alij multi.

Natura, exortus, myſteria, ducatus in peregrinatione ad natum Regem Iudeorum, & omnigeni ſplendores ex SS. Patribus præſertim aperiuntur.

VI.

De noua hac ſtella, cuius monitu, & legatione cæleſti arduam illam, longamque peregrinationem orientis Reguli aggreſſi ſunt, illuſtria ſunt SS. Patrum, & Interpretum Sacræ Scripturæ teſtimonia. *Non ex illis hæc erat ſtellis* (verba S. Auguſt. ſunt l. contra Fauſtum, *quæ ab initio creaturæ itinerum ſuorum ordinem ſub Creatoris lege cuſtodiunt*. Ita etiam ſentiunt Orig. l. 1. contra Celſum, S. Io. Damaſc. l. 1. c. 7. Niceph. l. 1. c. 15. & alij. Non eſt itaque hęc noua ſtella in numero fixarum ſtellarum firmamenti, quæ 1022. ſpectabiles ab Aſtronomis numerantur, & multò minus ſeptem errantium, quos Planetas vocant, collocanda. Fuit cæleſte prodigium, ſiue potius aereum fænomenum ex diuino imperio opera Angelorum conflatum in maſſam quandam lucis illuſtrem, & more ſiderum vndequaque radiantem. S. Auguſt. de mirab. Sac. Script. l. 3. c. 40. putat Spiritum Sanctum, qui in baptiſmo Chriſti Dom. Columbæ, &

die

die Pentec. igneæ linguæ ſpeciem induit, SS. Magis figuram huius ex legis ſtellæ exhibuiſſe. Certè Spiritus Sanctus, non ſtella illa ſanctos Reges illuminauit, accenditque ad iter Bethlemicum iuxta illud Mag. Leonis de Epiph. *Dedit aſpicientibus intellectum, qui præſtit ſignum, & quod fecit intelligi fecit inquiri*. Sed magis conforme communi prouidentiæ Dei eſt motorem huius nouæ ſtellæ fuiſſe aliquem Angelum, atque ita ſentiunt Euthym. Theophilactus, & alij fere omnes hic. Non fuit ergo mirum, quod hæc ſtella, vt canit Prudentius in ſacro hymno Angelica architectura fabricata ſuperarit ſplendoribus ſuis ipſum Solem ſtellarum principem, & fuerit.

Stella, quæ Solis rotam
Vincit decore, & lumine.

Hanc nouitiam ſtellam tantorum myſteriorum conſciam, & miniſtram vocat S. Maximus ſ. 3. de Epiph. *Verbum quod effulſit de cælo*, & iure cum indigitaret VERBVM cæleſte, quod è cælo recens exortum effulgebat in terris. *Linguam cælorum* hunc nouum cæleſtem nuncium apellat ſ. 2. de feſt. Epiph. dicens: *Nobis hoc lingua annunciauit Apoſtolorum: ſtella illis tanquam lingua cælorum*. Nec cantum Apoſtoli munus annunciantis bona nupero ſideri attribuit S. Leo ſ. 4. de epiph. ſed Euangeliſtæ his verbis. *Quod mundum humano poterat eloquio doceri, cælo fecit Euangelizante cognoſci*. Sed nulla plenior laus, quam vt dicit idem Auguſt. eſſe *ſtellam Domini, ſtellam eius*: Hanc ſtellam noſtratem ſupra omnes cæleſtes coruſcaſſe, & præter internam Spiritus Sancti illuminationem, Deum ipſum In-

ſantem ſua luce oculis quodamodo obieciſſe, aſſerit S. Maximus hom. 3. de Epiph. his verbis. *Quis enim dubitet ipſam ſtellam latioribus, & fulgentioribus radijs coruſcaſſe, quæ cæli, terræque lumen humanis oculis ingerebat?* Illius certè figura erat, vnde S. Auguſt. de Epiph. ſic SS. Magos alloquitur. *Stella, quam vidiſtis, Chriſtus eſt.* Et certè ex S. Paſchaſio in pſ. 44. dicitur *Ieſus quiddam ſidereum habuiſſe in vultu, & in oculis, quod diuinitus permulceret pios, & terreret reprobos. Aliàs enim nequaquam eum ſtatim ſequuti eſſent Apoſtoli ad vnius iuſſionem, nec qui ad comprehendendum eum venerant proſtrati mox ſola voce corruiſſent. Quid quæritis ſtellas* ita exprobrat omnibus mortalibus S. Ambroſ. epiſt. 39. *ad ſeminandas feliciter fruges, Chriſto non quæſito? Vna mihi ſtella abundat præ omnibus & ſtella ſplendida, & matutina, cuius ad exortum ſeminata eſt non frugum, ſed Martyrum ſeges, quando Rachel plorabat Filios ſuos.* Hanc ſtellam, illuſtrem cæli oratorem fuiſſe quoque typum B. Virginis plerique piè ſpeculantur, nec aberrant; cum illa iuxta communem SS. Patrum ſenſum ſit *ſtella Maris* omnium amorum, & omnium cordium cynoſura. Idem de gratia S. Remigius dicit. *Illuminationem fidei* in ea ferè omnes SS. Patres agnoſcunt.

Ad cæleſte monitum muti ſideris, nimirum eius primum exortum, docti cælorum Inſpectores ſtatim ſe ad iter accingunt. Eorum promptiſſima expeditio explicatur à ſacro Chronographo nullam interponente moram, & interuallum *inter vidimus ſtellam eius, & venimus* mirum in modum. Id ipſum luculen-

tè ex-

te exprimit S. Eccleſia illis verbis quæ, SS. Magis attribuit ad primum nouelli ſideris ortum. *Magi videntes ſtellam dixerunt ad inuicem. Hoc ſignum magni Regis eſt. Eamus & inquiramus eum, & offeramus ei munera aurum, thus, & myrrham.* Sed aurea ſunt Pet. Chryſol. verba, quibus de tergemino Mago nouæ ſtellæ Inſpectore loquitur. *Sequitur, currit, peruenit, inuenit, gaudet, procidit, adorat;* quaſi eodem tenore a ſapientibus peregrinis ad primum ſtellæ irradiantis aſpectum hæc omnia peracta fuerint. Abiuraſſe in contemplatione noui aſtri coronatos Aſtronomos omnem ſuperſtitioſum cultum aſtrorum, aſſerit idem S. Pet. Chryſol. ſ. 146. ad illa verba *ecce Magi ab oriente venerunt. Ab oriente* inquit *ad orientem veniunt Magi, vt ſuſciperet venientes ipſe, qui iuſſerat vt venirent. Quando enim Deum Magus, niſi Deo iubente perquireret? Quando Regem cæli niſi reuelante Deo Aſtrologus inueniſſet? Quando vnum Deum ſine Deo Chaldæus adoraret in terra, qui in cælo Dijs totidem, quot ſideribus ſeruiebat?* Inſaniam Priſcillianiſtarum, aliorumque Gnoſticorum hæreticorum dicentium hanc ſtellam, quæ Infanti IESV ancillata eſt, & ipſis ſeruis ſeruijt, fuiſſe Domini dominatricem, & vt vocant Aſcendentem Horoſcopum iam ſupra acriter, & efficaciter a Greg. Mag. refutatam exhibuimus. Audiendus tamen eſt iterum Pet. Chryſol. ſ. iam laudato 146. qui de puero IESV loquens ſic ait. *Qui habet ſtellam, non habetur a ſtella, nec ipſe agitur curſu ſtellæ, ſed ipſe ſtellæ agit curſum.* Et ſ. 2. de Epiph. ad illa verba *ſtellam eius* & quid non eius ſubiungit *ſtella eius, &*

non ille ſtella. Stella hæc miniſtra viæ, non vitæ, comes Magorum, non cognata Chriſti, non domina Dominantis, ſed ancillula ſeruorum.

Illud mirum in hac ſtella, quod Soli Deo concentrica exlegi curſu præibat quidem peregrinantes Regulos, ſed motu omnino ad eorum peregrinationem temperato cum ſtantibus ſtans, cum ambulantibus migrans, illorum prorſus ſeruitio mancipata. *Ambulante mago* inquit Petr. Rauennas ſ. 165. *ſtella ambulabat: ſedente Mago ſtat ſtella: Mago dormiente excubat ſtella. Sic ſentit Magus, vt quibus par conditio eſt, par ſit neceſſitas ſeruiendi, & ſtellam iam non Deum credit, ſed iudicat eſſe conſeruam, quam cernit taliter ſuis obſequijs mancipatam.* Nec ſolum præibat philoſophos Reges hoc nuperum aſtrum, ſed quodamodo manu ducebat, vi quadam magnetica cordium pelliciens, & attrahens. *Neque enim* ait Io. Chryſoſt. hom. 2. *ibat propter Magos tantummodò, ſed præibat quodamodo apprehenſa manu trahens eos, viamque demonſtrans lucente prorſus die, luceque rutilante.*

Eiuſdem occaſus in mora Hieroſolymitana, nouus exortus in itinere Bethlemico, ac ſtatio ſupra ſanctum Præſepe illuſtrantur.

VII.

Hieroſolyma alioquin viſio pacis magiſtrum itineris ſidus extinxit. Ipſi tamen prudenter in vrbe Iudææ Regina, natum recens Iudæorum Regem quærebant. Attonitus Herodes *turbatur, & omnis Hieroſolyma cum illo*. Inſanam fuiſſe huius Aſcalonitæ tyranni turbationem demonſtrat S. Hilar. de In-

fante Deo ſic loquens. *Non venerat vt alienam inuaderet gloriam, ſed vt donaret ſuam, nec vt regnum terreſtre prariperet, ſed vt caleſte conferret, non caput ad gemmarum diadema, ſed ad ſpineam coronam praparauit*. E contra SS. Magos ante Chriſti cognitionem factos iam Chriſti Confeſſores aureo ore commendat Io. Chryſoſ. in Matth. his eos verbis alloquens. *O beati Magi, qui ante conſpectum crudeliſſimi Regis, priuſquam Chriſtum cognoſcerent Chriſti facti ſunt Confeſſores! Adhuc non viderant Chriſtum, & parati erant mori pro eo.* Admirabilius prodigium S. Pet. Chryſol. ſ. 1. de Epiph. in Iudæa perfidia, & Æthnica pietate, quam in recens nato ſidere orientis agnoſcit. *Plus caleſte* ait *de Magis, quam de ſtella ſignum eſt; quod Iudaa Regem, quod legis Authorem Magus ſcit, neſcit Iudaus*. Herodem ad dolos confugientem in illis verbis. *Ite & interrogantes diligenter de Puero renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum* ſic ſugillat gloſſa, ac deſcribit. *Herodes deuotionem promittit, ſed gladium acuit, malitiam cordis depingens colore humilitatis*. Iterum exoriente, & præeunte ſtella, quam verè *Dominica natiuitatis miniſtram* appellat S. Maxim. ſ. 3. de Epiph. tandem SS. Magi inuenerunt diuinum Infantem cum Deipara Matre, votorum ſuorum metam, apicem, ſummam. Peregrinantis cum Regulis orientis, nouæ ſtellæ ducatum, & ſtationem ſupra caput Pueri, quaſi luciferi prope Solem ſic S. Auguſti. in Matth. deſcribit. *Quid autem mirum ſi Sole iuſtitia orituro ſtella miniſtrabat diuina. Stetit enim ſupra caput Pueri, quaſi*

 dicens.

dicens. Hic eſt. Admirabili hoc, & cæleſti aſteriſmo notari voluit corporatum diuinum VERBVM. *Stella in aere* clamat hic B. Pet. Dam. de Epiph. *corpus lucidum: ſtella in terra Virgo Maria: Sol in præſepio Chriſtus noſter!* Infantem diuinum a SS. Magis fuiſſe inuentum adhuc in ſpelunca Bethlemide, vbi erat ſacroſanctum præſepium, thalamus naſcentis Regum Regis venerandus, affirmant plures Patres, S. Epiph. hær. 51. S. Hieron. epiſt. 17. & 27. in metrico S. Paulæ epitaphio, S. Iuſtinus Martyr in dial. cum Tryph. S. Gregor. Nyſſ. or. de Ch. Natiu. S. Io. Chryſoſ. hom. 7. in Matth. Theophilactus in c. 2. Matth. Iſidorus Peluſ. l. 1. epiſ. 378., & conſentit Caſtro in hiſt. Deip. alios Patres referens, cum pleriſque alijs. Suffragantur theologorum Principes S. Auguſt. ſ. 1. de Epiph. & S. Th. in Matth. gloſſa interlinearis & alij. Adſtipulatur communis traditio vt probat Canus l. 1. de loc. theol. c. 5. Teſtes ſunt Eccleſiaſticæ picturæ. Sancta quoque Eccleſia canit in antiph. Epiph. *Hodie ſtella Magos duxit ad præſepium. In præſepi tunc iacebat* inquit S. Auguſt. ſ. 2. de Epiph. *& Magos ab oriente ducebat: abſcondebatur in ſtabulo & agnoſcebatur in cælo, vt agnitus in cælo manifeſtaretur in ſtabulo.* Conſonat S. Cyprianus ſ. de ſtella, & Magis. *In loco* inquit *vili & ſupellectile vili Rex Regum, & Dominus dominantium inuenitur, cognoſcitur, adoratur.* Similia habet Epiph. ſiue ſit iunior, vt Delrius contendit comment. 10. in cant., ſiue ſenior his verbis. *Apparet ſtella Magis, donec veniret ſupra Infantem in ſtabulo (vbi enim Chriſtus ibi & cælum) nam*

ſtabu-

ſtabulum viſum eſt eſſe cœlum in terra. Nec minus egregiè in rem noſtram S. Bern. ſ. 1. de Epih. in hunc modum SS. Magos compellat. *Quid facitis o Magi quid facitis? Lactentem Puerum adoratis in tugurio vili, in vilibus pannis? Ergone Deus eſt iſte? Deus certe in templo ſancto ſuo? Deus in cœlo ſedes eius, & vos eum quæritis in vili ſtabulo, in Matris gremio? Quid facitis, quod & aurum offertis? Ergo Rex eſt ipſe? Et vbi Aula Regia, vbi Thronus, vbi curia regalis frequentia? Nunquid Aula eſt ſtabulum, Thronus Præſepium, curia frequentia Ioſeph, & Maria? Quomodo ita inſipientes facti ſunt viri ſapientes, vt adorent Paruulum deſpicabilem tam ſua ætate, quam paupertate Suorum?* Hinc illorum fides ab ipſo & ab alijs SS. Patribus commendatur. Pro omnibus ſit illud Rup. Abb. de Epiph. Dom. elogium. *Tres* inquit *Magi tribus partibus orbis Europa, Aſia, atque Aphrica fidei exemplar exiſtere meruerunt.* Et aliud S. Leonis Magni ſ. 4. de Epiph. *O perfecta ſcientia mirabilem fidem, quam non terrena erudiuit ſapientia ſed Spiritus Sanctus inſtituit! Viderunt, & adorauerunt Puerum quantitate paruulum, aliena opis indigum, fandi impotentem, & in nullo ab humana infantia generalitate diſſimilem.* Audiendum vltimo loco eſt, quod ipſa B. Virgo S. Birgittæ l. 7. c. 24. circa hoc reuelauit. *Dixit etiam mihi,* ait, *eadem Mater Domini. Filia mea ſcias, quod quando tres Magi venerunt in ſtabulum ad adorandum Filium meum, bene ego antea præſciebam eorum aduentum, & quando intrauerunt, & adorauerunt eum, exultauit tunc Filius meus, & præ gaudio habebat tunc faciem hilariorem. Ego etiam ni-*

 mis

mis gaudebam, & lætabar mirabili gaudio exultationis in mente mea attendens ad verba eorum, & actus, conſeruans ea, & conferens in corde meo. Non obſtat, quod dicat Sacer Euangeliſta SS. Magos intrantes domum inueniſſe Deum Infantem, & adoraſſe, quia Hebræorum mos eſt quamlibet manſionem etiam nidum auium, domum vocitare. Cur voluerit a Peregrinis Toparchis Rex Regum in ſpelunca ſtabulans adorari, varias rationes affert Io. Bapt. Nouatus t. 1. de Emin. Deip. c. 13. q. 1.

Vbi SS. Magi in gremio Deiparæ Virginis cum ipſius ingenti gaudio diuinis myſterijs inſtructi ab eadem.

VIII.

ADoratum fuiſſe in Matris gremio Infantem IESVM nimirum in throno gratiarum, & Paradiſo deliciarum præter S. Bern. ſupra relatum teſtatur S. Io. Chryſoſt. hom. 8. in Matth. Veriſimile deinde eſt poſt humilem magnorum illorum totius Gentilitatis Triumuirum adorationem, & regia donaria, B. Virginem illis modeſtè exhibuiſſe tractandum manibus, & oſculis ſuauiandum ſuauiſſimum Pupulum, imo aperuiſſe arcana cæleſtia de Incarnatione corporati verbi, & illius Infantis, quem inter amplexus ſuauiabantur, Diuinitate. Ingeſtum fuiſſe a B. V. puerum IESVM Magis, vt illum adorarent, habemus ex S. Ambroſ. ſ. 1. de Epiph. Inter MARIAM & Magos ſacra diuerbia deſcribit Card. Viguerius chorda 4. c. 18 & 19. Inſtructos fuiſſe SS. Magos a B. V. in fidei myſterijs vti incarnationis diuini Verbi, quæ ſine notitia myſterij Trinitatis

tis Auguſtiſſimæ explicari non poteſt, futuræ mortis, triumphalis reſurrectionis, & huiuſmodi putat Io. Bapt. Nouatus t. 1. c. 13. q. 3 & probat tum rationibus, tum authoritatibus SS. Patrum præſertim S. Greg. Thaumat. de S. Annunciat. S. Cyrill. Alex. contra Neſtor. S. Anſel. de excell. Virg. c. 7. Rup. Abb. in cant. l. 1. S. Auguſt. ſ. de natiu. S. Bern. hom. 4. ſuper miſſus eſt. Sed hi Patres reuera non ita clarè loquuntur, vt hoc efficaciter euincant. De Virg. Matris gaudio ingenti in adoratione Magorum, imo & Filij, vt vidimus ex reuelationibus S. Birgittæ dubitari non poteſt. Spectabat nouis prodigijs cælo, terraque illuſtribus apparuiſſe benignitatem & humanitatem Saluatoris noſtri, & inter delicias ſuas habere eſſe cum Filijs hominum, traxiſſe cum oriente tributario, & auroræ Regibus, populiſque, ad cunas ſuas Mundi incunabula, & Eccleſiæ orientem. Attrectabat ſuis manibus Deum viuum, ac verum, inter vlnas amplectebatur, oſculis ſuauiabatur Cælitum Paradiſum, terrarum delicias, amores vniuerſi. Audiebat apud omnes Dei Mater, & quod illi chariſſimum erat, ac dulciſſimum Mater Virgo. Conditorem Mundi, qui implet omne animal benedictione, & dat omnibus affluenter ad vbera ſua admotum, lacte ſuo ſaginabat. Poſſidebat iam deſiderium collium æternorum, & prima noſtræ reparationis initia delibabat. Vno verbo poterat Infanti Deo dicere (quo nihil maius inter humana excogitari poteſt) cum æterno Patre *Filius meus es Tu. Ego genui Te.*

Decima tertia a partu Virgineo die.

VIIII.

AFfirmant hoc Ammon. Alex. in harmon. Card. Baron. in annal. Barrad. in Matth. l. 6. q. 1 c. 8. Suarez t. 2. in 3. p. d. 3. ſ. 4. & alij innumeri. Sed ſupra omnes vim facit Eccleſ. Catholicæ ſenſus diem Epiph. ſexta Ianuarij, quæ a natali 13. eſt, celebrantis. Nec incredibile eſt iter a Magis eo dierum ſpatio exantlatum; nam Dromedarijs, vt indicatur Iſ. 60. vſi ſunt, qui, vt notat Philoſtratus in vita Apollonij vno die 40. leucas conficiunt. Epiphaniam ſanctiſſimam in diem Veneris incidiſſe probat Lucidius Mathemat. l. 7. c. 2. a Barradio relatus. Et verum eſt, ſi ortus Chriſti Domini fuit die Dominico, vt aſſerit ſexta Synodus c. 8. & a Niceph. l. 1. hiſt. c. 12. S. Anton. 1. p. hiſt. t. 5. c. 1. Euſeb. l. hiſt. c. 5. Gulielmo Durando l. 6. ration. c. 13. Dadræo l. de emend. temp. alijſque affirmatur. De die Epiphaniæ, cui non orientis tantum Mundi, ſed orientis Dei ſplendor, imò ipſe ſereniſſimus empyrei Infans irradiat, varia extant SS. Patrum elogia. *O dies* exclamat Orig. hom. de Epiph. *omni Sole lucidior! O tempus a cunctis ſæculis expectatum! Hodie verus Sol ortus eſt Mundo. Hodie in tenebris ſæculi, lumen exortum eſt. Hodierno die* inquit etiam S. Auguſt. ſ. 9. de Epiph. *manifeſtus Redemptor omnium gentium fecit ſolemnitatem. Hodie* ſubiungit ſ. 10. *gratiam lucis in die lucis, filius lucis irradiat* & concludit. *Aperiatur hodie omne os dilectiſſimi, & collaudet omne verbum Dei Verbum, quod effulſit de cælo. Feſtiuitas declarationis*

apellatur a S. Leone Mag. ſ. 4. de Epiph. *dies luminum* a S. Greg. Nazianz. or. de eadem, & alijs illuſtribus titulis ab alijs SS. Patribus celebratur.

Apertis theſauris ſuis, & oblatis auri, thuris, & myrrhæ muneribus per manus MARIAE, & eadem interueniente Puerum IESVM adorarunt.

X.

DE adoratione Magorum omnia, quæ ſummam pietatem decent, conijcere licet. Pater æternus Filio ſuo naſcenti non Angelos tantum muſicis cantiunculis plaudentes, ſed Hebræos per Paſtores, & AEthnicos per hos Reges, quos primitias gentium vocat S. Auguſt. hom. 4. de Epiph. voluit fidelitatis veluti Sacramentum præſtare & illuſtribus prodigijs cælo, terraque, vniuerſam in eius obſequium iurare naturam. Impletum eſt tunc illud orac. Iſ. 41. *Dabit in conſpectu eius Reges, & gentes obtinebit*. Ita in editione vulgata. Sed apud 70. interpretes legitur, *Vocauit eam ad pedes ſuos* ideſt *gentium multitudinem*, & Origen. addit *per Incarnationem, quando noſtra mortalitate indutus Chriſtus Dominus fecit ſe omnibus in ſua Epiphania illuſtrem, & manifeſtum*. Appendices adorationis fuere munera Aurum, Thus, & Myrrha, plena myſterijs, quæ SS. Patres expendunt, & celebrant. Extat nobile illud Iuuenci Poetæ carmen de ſacris donarijs cum myſtica alluſione ad Infantem IESVM.

Thus, Aurum, Myrrham Regique, hominique Deoque, Dona ferunt.

Eodem modo, quo iſti, vt aliqui putant, Sabæi Principes, Nicaula celeberrima illa Regina Sabeæ Salomonem oblatis ſimilibus muneribus adorauit. *Sed pluſquam Salomon hic.* Pluribus, & maioribus theſauris redonati ſunt Adoratores Magi, quàm ipſi puerum IESVM donarint. *Inuenerunt puerum cum Maria Matre eius.* Ad hoc bonorum omnium *non plus vltra* ſtandum eſt. Quid enim vltra quæri poſſit IESV in ſinu MARIÆ inuento, in quo repoſiti ſunt theſauri Diuinitatis, & omnia? *Neque enim vnum bonum IESVS eſt* vt notat Seraph. Doctor, *ſed omnia bona.* Quod ſi vnum bonum eſt, *bonum eſt* vt notat mag. Albert. tract. 3. de Miſſa *omnis boni, quod omnia beneficat, & ſine quo nihil eſt bonum.* Vnde bene dicebat amantiſſimus Dei, ac totus cor Auguſt. ſ. 50. ad Fratres. *Chriſtus eſt dilectus noſter, requies noſtra, ſanitas noſtra, gaudium noſtrum, felicitas noſtra, refrigerium noſtrum, amænitas noſtra, & quidquid ſanctè deſiderare poteſt anima noſtra, hoc totum nobis Chriſtus eſt. Beatus Apoſtolus dicit. Erit Deus omnia in omnibus. Auare quid tibi ſufficit, ſi Deus tibi non ſufficit?* Infanti IESV per MARIÆ manus ipſa interueniente oblata fuiſſe a SS. Magis magna munera, veroſimile eſt, præſertim largè, & magnificè profuſa a liberaliſſimis Principibus. Ab his ſapientibus totius orbis magiſtris diſcere poſſumus omnium internorum, & externorum bonorum noſtrorum oblationem per MARIÆ Deip. manus Deo eſſe gratiſſimam. Id ipsũ etiã mellifluus Doctor monuit ſ. de aqued. vbi ait *Quidquid illud eſt, quod offerre Deo paras; Mariæ commendare memento, vt eodem alueo*

ad largitorem gratiæ gratia redeat, quo fluxit &c. poſt pauca concludit. *Ideò modicum illud, quod offerre deſideras gratioſiſſimis illis omni acceptione digniſſimis Mariæ manibus offerendum tradere cura, ſi non vis ſuſtinere repulſam.* Ipſa verò interueniente SS. Magos IESVM Infantem adoraſſe nemo miretur; nam *B. Virgo* vt ait S. Cyrill. Alex. *cooperata eſt ad conuerſionem omnium gentium. Per te* (ſic illam alloquitur) *omnis creatura idolorum errore detenta, conuerſa eſt ad agnitionem veritatis, & fideles omnes ad ſanctum Baptiſma peruenerunt &c.* Aymon l. de Epiph. refert ex Greg. Turon. hanc ſtellam orientis peracto ſuo munere, & Infante IESV indigitato deſcendiſſe in quendam puteum iuxta Bethleem, nec tamen ibi ſuum occaſum habuiſſe; nam omnes verè Virgines ad ea vſque tempora ſtellam in prædicto puteo videbant. Sine vllo fundamento hoc dicitur, & fabulam olet. Inania quoque mera eſt, quod dicitur a quodam nupero Scriptore, quem ſuppreſſo nomine reijcit Theoph. Raynaudus in Dipt. Mar. p. 1. puncto 8. tres Magos fuiſſe Enochum, Melchiſedechum, & Eliam. Vt deinde defendat communem traditionem, quæ fert vocatos fuiſſe Melchiorem, Gaſparem, & Baltaſſarem addit fuiſſe binomios, vti tres pueros Babylonicæ fornacis. In hoc plura abſurda inuenit, eruditiſs. Raynaud. nec ego amplius in his gerris immoror. Latitaſſe SS. Magos in reditu in montibus, & ſpeluncis abſconditos ab æſtro, & furore Herodis in eius ditione, narratur in vita S. Theodoſ. Cænobiar. apud Metaphr. 11. Ianuar., nec inueriſimile eſt.

IESVM a MARIA lactari conuenientiſſimum fuit.

XI.

HOC probat multis PP. teſtimonijs,& rationibus Io. Bapt. Nouatus t. 1. de Em. Deip. c. 11. q. 1. Et certè nobiliſſima virginea caro Infantis IESV non niſi virgineo Mariano lacte nutrienda erat, vt ab illa, a qua primigeneas partes diuinus Puppulus beatiſſimi corpuſculi acceperat, etiam adnatas per nutritionem adſciſſeret, ac totus, vt ita dicam, ſuæ Matris eſſet, & ipſa quoque Mater tota ſui Filij eſſet, neque cum nutrice corporis ſubſtantiam, amoriſque ſenſum diuideret. Deinde tradi a Matribus natos alendos alienis nutricibus videtur eſſe quidam defectus materni amoris, qui in MARIAM Deiparam cadere non poterat. Accedit quod vt docet Auicenna l. 1. ſen. 3. doctrin. c. 2. lac Matris eſt magis nutriens, quia magis ſimile eſt ſubſtantiæ nutrientium præteritorum, quibus alebatur fætus in vtero. *Quid indignius* exclamat *Aulus Gellius* l. 12. noctium Attic. c. 1. *quam Infantem ſtatim a Matre relinqui, quem in vtero nutriuit? Quis hoc in feris quantumuis immanſuetis obſeruare potuit? Quanta cura Leana, Tigrides, & Lupa ſuos fœtus nutriunt? Quanta Apri?* monſtrum eſt in ſacris paginis quod Struthio, de quo legitur Iob 39 *Struthio duratur ad Filios ſuos, quaſi non ſint ſui*, ſit Filiorum ſuorũ deſertor. Vnde dicitur Thren. 4. *Sed & Lamiæ nudauerunt mammas ſuas, lactauerunt catulos ſuos: filia populi mei crudelis, quaſi Struthio in deſerto.* Aliæ innumerabiles

biles rationes conuenientiam Marianæ lactationis probant, ſed hæ ſufficiant.

MARIAE IESVM lactantis delicia, & beatitas.
XII.

IMmenſam dulcedinem, & veluti vbertatem gaudiorum ex vberibus ſuis profluentem, qua B. Virgo in ſuo puerperio perfuſa eſt, preſertim in IESV Infantis lactatione miris modis exprimunt Patres. Exclamare libet, cum Giſdelberto in Altercat. c.7. qui ſic illam alloquitur. *O Mater matrum, Virgo Virginum, ſtella ſtellarum, dulcedo Maria credentium animarum, quo modo, quo affectus occurſu ſuſcepiſti Creatorem tuum? Nuncia vita audiſti, corde credula Filium Dei concepiſti, Sacrarium facta es Spiritus Sancti! Chriſtum ergo factorem creaturarum noua, munda, vnica, vnicum genuiſti ſtupenda dulcedine fouiſti, lactaſti ſplendidis vberibus. Nutriſti paruulum, & magnum, læta de paruulo, tremebunda de magno, veſtiſti, cibaſti.* Nec minus egregiè B. Pet. Dam. in extaſi ſtuporis ſ. 2. de Nat. Virg. hæc habet. *Iacet intra materna viſcera paruulus, qui cum coaterno Patre rerum omnium iura gubernat immenſus! O beata vbera, quæ dum tenue lac puerilibus labris infundunt, Angelorum cibum, & hominum paſcunt! Exiguum exprimunt liquorem, & mundi reficiunt Creatorem! Qui ſua virtutis imperio marium procellas mitigat, qui fluminibus indeficientem aquarum impetum ſubminiſtrat, qui aridam terram innumeris vbique fontibus irrigat, raras de virgineo pectore guttas lactis expectat! Manat liquor ex vberibus Virginis, & in carnem vertitur Saluatoris? Hic, di-*

lectiſſimi

lectiſſimi Fratres mei hic rogo perpendite, quam debitores ſimus huic beatiſſimæ Dei genitrici, quantaſque illi poſt Deum de noſtra redemptione gratias agere debeamus. His ſimilia habent S. Io. Damaſc. ſerm. de Annunc. Lucas Tudenſis l. 2. contra Albigenſes c. 16. Rup. Abb. l. 1. in cant. ad illud *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur*, Auctor ſerm. de Natiu. apud S. Cyprian. S. Anſel. l. de excell. Virg. c. 4. Guarr. Abb. ſ. 2. de Aſſumpt. Amed. Lauſan. hom. 4. Concludam cum S. Auguſt. ſ. 9. de temp. in hæc verba. *Cum gaudio dicamus S. Virg. Mariæ Matri Dom. noſtri Ieſu Chriſti, dicamus, & non confundamur. Lacta Mater Chriſtum, & Dominum noſtrum, & cibum. Lacta panem de cælo venientem, & in præſepi poſitum velut piorum cibaria iumentorum. Illhic enim cognouit Bos Poſſeſſorem ſuum, & Aſinus præſepe Domini ſui, circumciſio ſcilicet, & præputium cohærendo lapidi angulari, quorum primitiæ fuerunt Paſtores, & Magi. Lacta eum, qui talem te fecit, vt ipſe fieret in te, qui tibi & munus fœcunditatis attulit conceptus, & donum virginitatis non abſtulit natus.* Extollamus etiam vocem cum muliere euangelica in illam Marianorum elogiorum epitomem, & lactenti Deo dicamus. *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti.*

Affectus, & priuilegia.

XIII.

AFfectus, & priuilegia MARIÆ IESVM lactantis explicat elegantiſſimè S. Baſilius Seleucienſis or. in annunc. B. Virg.. Ad illa verba Sponſi cæleſtis cantic. 8. *Soror noſtra*

ſtra parua, & vbera non habet, Sponſæque amantis reſponſionem. *Ego murus & vbera mea ſicut turris, ex quo facta ſum coram eo, quaſi pacem reperiens* alludens Guillelm. Abb. hæc habet *vbera Mariæ* celebrans. *Vbera Mariæ ſemper turgent charitate Dei, & proximi, murus ad protegendum, Mater ad nutriendum, murus infirmis, Mater paruulis. Nullus* (ſic ſequitur in perſona B. V. loquens) *me putet habere, quo nutriam, & non habere quo muniam. Materna pietas mea, quos nutrit, etiam munit.*

Sapor Deiparæ Virginis lactis Infantulo Ieſu dulciſſimus.

XIV.

IESVS etiam deliciabatur, cum exugebat materna vbera, & ex illis verum nectar, & ambroſiam Diuinitatis alimentum, cæleſteſque prorſus lautitias hauriebat. Illud pſ. 21. vſurpare poterat. *Spes mea ab vberibus Matris meæ*, & illud ſacrorum cantic. lætabundus iactare *Bibi vinum cum lacte meo*. Hæc verba expendens noſtrorum ſæculorum Thaumaturgus S. Antonius Patauinus in Domin. 3. Quadrageſ. ait. *Quare non dixiſti Domine Ieſu bibi acetum meum cum lacte meo? & reſpondet. Virginalibus enim vberibus lactatur*. Mariani lactis admirabilem quendam ſaporem, & Puero IESV dulciſſimum deſcribit Bernardinus Buſtenſis ſ. 3. de partu B. Mar. p. 2. Sed maximum, & ineffabile condimentum erat amor; nam vt etiam ille comicus Poeta cecinit in Caſſin. *Vbi amor condimentum erit, quoduis placiturum credo*. Erant quoque ſummæ deliciæ Infanti diuino, dum illi ex lactatione virginea fiebat

tempe-

temperamentum delicitaſſimum, & aptiſſimum ad ſentiendum ictus paſſionis intentiſſimo modo, quod maximè optabat, & de quo apprimè gaudebat propter infinitum ſuum amorem erga homines. Hunc affectum indicat illud ad Heb. 10. vbi, quaſi gratias agat æterno Patri de hac felicitate ſummè patiendi dicit. *Corpus autem aptaſti mihi*. Sed clarius eundem exprimit S. Auguſt. ſ. de Annunc. ſic B. Virginem alloquens. *Lacta Maria Creatorem tuum, panem cæli, pretium mundi. Præbe lambenti mamillam, vt ille pro ſe percutienti præbeat maxillam*. Impletum eſt itaque plenè de Deo lactente illud oraculum Iſa. 15. *Lætabitur Infans ab vbere*.

Et ingens meritum lactationis ordinata etiam ad Filij paſſionem, inſtitutionem Auguſtiſſimi Sacramenti, & ſpiritualem noſtram nutritionem.

XV.

DE merito MARIÆ IESVM lactantis mira dicit Hailgrinus exponens illa verba ſacr. cantic. *meliora ſunt vbera tua vino*, & vt ipſe legit *botris* aſſeritque non minus meruiſſe Deiparam lactantem, quam Martyres ſanguinem ſuum fundentes his verbis. *Vbera quoque botris aſſimilata ſunt, ex quo mirabilis prærogatiua merendi monſtratur in B. V., quæ non minus meruit fundendo de vberibus ſuis ad Filij nutrimentum lac, quam Martyres, qui per botros figurantur, meruerunt fundendo ſuum ſanguinem in martyrio. Omnium enim operum merces ſecundum radicem charitatis penſatur*. Non implicat fuiſſe tam intenſos actus Charitatis

merito-

meritorios in B. V. lactante, vt intenſiſſimos actus charitatis SS. Martyrum ſuperarit in merito; ſed an de facto ita acciderit nō audeo definire. Ingens fuiſſe meritum dubitari non poteſt. Inter alia motiua, eo affectu Deip. Virgo Deum Infantem lactabat, vt lac in ſanguinem conuerſum ſub torculari Crucis veluti botrus ſuauiſſimus exprimeretur. Vide Rup. Abb. ad illa verba Cantic. 1. *Faſciculus myrrha dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur*, ait. *Ad vbera deforis ſtringebatur, & eiſdem lactabatur vberibus, ſimulque inter vbera intus in corde futurorum praeſcio ſemper apparebat, quali eſſet morte moriturus*. Sic B. Virgo in delicijs ſuis quodamodo ſaltem merito martyr lac ſuum quod iuxta definitionem Clementis Alexand. *eſt ſanguis conſentiente pietate floreſcens*, & conſequenter ſanguinem ſuum fundebat, ſanguinemque fundendum pro hominū ſalute IESV puerulo plena ſumma erga Deum, & homines amoris, propinabat.

Eo etiam affectu lactabat IESVM MARIA, vt ille, qui mamilla Patris eſt virgineo lacte nutritus totus in Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento nobis lacteſceret. *O nutrix omnia nutrientis* exclamat Methodius or. in Hypap. & expreſſius B. Pet. Dam. ſ. 2. de Natiu. *O beata vbera, quæ dum tenerum lac puerilibus labris infundunt, Angelorum cibum, & hominum paſcunt!* Hinc iure S. Germ. in theor. rerum Eccleſiæ dicit. *Crateras ſanguinis Chriſti interpreteris mammas Deiparæ, ſalutare lætitiæ poculum, & tutelare conſeruatorium totius generis humani*. Certè in Euchariſtico conuiuio, qui corpore, & ſanguine Filij Dei ſaginatur

tur mamilla Regum lactatur, & cibum grandium ſumit, imò aliquo modo virgineo lacte nutritur. In capite ſiquidem, & Sponſo Eccleſiæ Filio ſuo Deip. Virgo nos quoque membra, & ſeruos lactabat, vt philoſophatur egregiè Guillem. Abb. ad illa verba cantic. 4. *Duo vbera tua ſunt duo hinnuli. Per hoc*, ipſe ait, *quod facta eſt incarnati Verbi Mater corporalis, facta eſt membrorum eius Mater ſpiritualis. Per quod Caput noſtrum ſecundum carnem concepit, membra eius lacte alenda ſuſcepit.* Similia habet Rich. Victor. ſ. in cant. c. 23. his verbis B. Virginem alloquens. *Carnalia in te Chriſtus vbera ſuxit, vt per te nobis ſpiritualia fluerent &c.* & paulò poſt. *In te ergo concreuit lac diuinæ miſericordiæ, & ex te nobis profluxit. Ipſa prius repleta es, & ex te nobis deſcendit hæc abundantia.* En quibus pietatis, & obſeruantiæ officijs colere debemus B. Virginem, vt nutricem noſtram, & quo mutuo amore omnes fideles tanquam noſtros collactaneos, eodem paſtos virgineo lacte, & nutritos amare!

An Virgini Matri lac diuinitus ſupra naturam inditum fuerit.

XVI.

AFfirmant in Virgine Deipara lac miraculoſum fuiſſe Ghislerus in c. 1. cantic. Ludouicus de Ponte l. 1. in cant. Exhort. 10. & alij. Suffragatur S. Vincentius Ferrerius, qui ſ. de Natiu. Chriſti hoc expreſsè aſſerit. Eruunt ex S. Athanaſ. in ſerm. de deſcript. Mariæ & Ioſeph & ex S. Io. Damaſc. in carmin. de Annunc. Primus ſic loquitur. *Vbera B. Virginis*

natura

naturæ conſuetæ radicem non habuerunt, longèque à naturali conſuetudine, legeque fuere aliena. Lac nouo, & peregrino fluxit modo. Secundus hæc habet. *Quonam modò lac profundas o caſta Virgo, mortalis lingua loqui non poteſt. Noua enim natura res oſtenditur.* Hoc innuere videntur etiam illa Catholicæ Eccleſiæ verba in officio Circumciſ. *Ipſa Regem Angelorum ſola Virgo lactabat vbere de cælo pleno.* Negant virgineum lac ſupra naturam fuiſſe Vincentius Regius in ſuis dilucidat. Euang. l. 1. theor. 3. Nouatus t. 1. c. 11. q. 2. & alij ex S. Hildeph. ſ. de Aſſump. & B. Laurent. Iuſtin. ſ. de eadem, vbi introducit Filium ſic Matrem ſuam alloquentem. *Me quidem ſuſcepiſti, in te, me concepiſti, & genuiſti de te, tuo me lacte nutriſti.* Vtraque ſententia conciliari poteſt, & dari conueniens explicatio Patribus vtrique parti fauentibus, ſi dicamus multiplex quidem miraculum præceſſiſſe, nimirum quod Virgo virtute Spiritus Sancti conceperit, & quod virginei ſanguinis attractio ad locum generationis, in quo Chriſtus Dominus virtute Spiritus Sancti momento conceptus eſt, breuiori tempore facta ſit, quam ſola naturæ vi fieri ſoleat. Sed hoc duplici miraculo præmiſſo cum prodigioſa natiuitate, videtur lac virgineum naturaliter fuiſſe conſequutum; nam naturale eſt mulieri parienti, quod ſanguis menſtruus ad mamillas confluat, ibique ad alendum fætum noua concoctione in lac conuertatur. De miraculo ipſius natiuitatis Chriſti Domini, quod lac virgineum præceſſit iam ſupra egimus.

Quem influxum habuerit in Filij corpus?

XVII.

ILlibatum, & virgineum lac Virginis Matris influxiſſe in egregiam Filij ſui indolem dici poteſt, vt eruditè probat Nouatus t. 1. de em. Deip. c. 11. q. 3. quatenus proportionatum erat ad perfectiſſimum illius temperamentum fouendum, & conſeruandum, alimentum; vnde Mariani lactis excellentia illuſtrius patet. Inſtillare nutrices cum lacte, ratione temperamenti corporei, quod per alimentum formatur, aliquo modo etiam mores aſſerunt Ariſtoteles l. 1. phyſioogn. Galenus de tuenda ſanit. l. 1. Auuicenna l. 1. fen. 3. doct. 1. c. 2. Cum hoc tamen ſtat Chriſtum Dominum tum ratione viſionis beatæ, tum ratione vnionis hypoſtaticæ fuiſſe impeccabilem, vt docent S. Th. & alij Doctores ſcholaſtici.

An dederit nouum titulum ad virginitatem ſeruandam, Matri Virgini.

XVIII.

EX IESV Infantis lactatione MARIAM Deip. nouum titulum habuiſſe ad virginitatis illibatæ florem cæleſtem ſeruandum aſſerere videtur Alanus ad illa verba cantic. 1. *Meliora ſunt vbera tua vino. Quæ delectabiliora ait, quæ meliora, quam illa vbera, quæ propinauerunt lac Chriſto non ex libidinis fœditate, ſed ex virginitatis fœcunditate? Talia optabat Chriſtus vbera, à tali vbere lac ſugere, quod non ſaperet carnis lubricum, ſed virginitatis antidotum.*

An

An aliquid Mariani lactis aſſeruetur in terris.

XVIII.

Aſſeruari aliquid teſtantur, & pluribus in locis in Eccleſia S. Mariæ Maioris, vt legitur in libello Romæ impreſſo inſtante Mauritio Bona de rebus admirandis eiuſdem Ciuitatis, in Eccleſia S. Cecilia, vt habetur in tabella expoſitarum reliquiarum, Pariſijs in Templo Regio, vt refert Petrus Bonifacius l. 2. faſtorum, Toleti vt tradit Marinæus Siculus l. 5. de rebus Hiſpaniæ. Aſſiſij quoque in Eccleſia S. Damiani fideles lac B. Virg. venerantur. In plaga Auſtrali extra Bethleem antrum eſt, quod antrum S. Mar. Virginis apellatur. In hoc ſe recepiſſe B. V. aliquando, vt ſolitaria contemplationi vacaret ſui puerperij tempore, indigenæ dicunt. Terra huius antri purgata, & exſiccata prodigioſis curationibus Mahumetanis ipſis hominibus, vt refert Fran. Quareſmus tom. 2. l. 6. c. 1. pereg. 3. ſalutaris eſt, & *lac Domina noſtra* vocatur. Neque, vt ipſe aduertit mirum videri debet ineſſe hanc vim medicam, & beneficam terræ illi ſanctæ aliquando Virginei lactis guttis ſanctiſſimis reſperſæ, cum terræ Melitenſi in gratiam S. Pauli Apoſtoli, vt meminit etiam Card. Baronius t. 1. annal. Eccleſ. conceſſum fuerit hoc priuilegium. Huius antri, circa quod eſt Eccleſia S. Nicolai, mentio fit in quadam Bulla Gregor. XI., & in quodam manuſcripto vetuſtiſſimo locorũ terræ ſanctæ hæc verba leguntur. Item Eccleſia S. Nicolai, in qua eſt Crypta, in qua fertur latuiſſe Beatiſſimam ſemper Virginem MARIAM, cum

Puero

Puero IESV. Aliqui Sancti admirabili priuilegio dicuntur a Dei matre Virgineo lacte paſti vt Mellifluus Doctor S. Bernardus, & iuxta id quod teſtatur Card. Baronius an. 1028. S. Fulbertus Carnotenſis in præmium ſuauiſſimum ſingularis illorum pietatis.

An vim habeat impetrandi in Cælo.

XX.

ADhuc in cælis Filio Virginem Matrem vbera oſtentare, vbi ad placandum Patrem ipſe vulnera oſtentat, teſtatur S. Bernardus ſuper Miſſus eſt egregijs illis verbis: *O homo ſecurum habes acceſſum ad Deum; vbi Mater ſtat ante Filium, & Filius ante Patrem; Mater oſtendit Filio pectus & vbera: Filius oſtendit Patri latus, & vulnera. Nulla ergo poterit eſſe repulſa; vbi tunc incurrunt amoris inſignia.* Hæc Bernardus MARIÆ Deiparæ alumnus feliciſſimus totus Virgineo lacte delibutus, cui refragari nefas eſt. Iure itaque Eccleſia Sancta clamat, *Beata vbera, quæ lactauerunt Chriſtum Dominum*: & nos o Deipara Sanctiſſima gratulabundi tibi dicimus illud cantic. 1. *Lætabimur in te memores vberum tuorum.*

LVSTRAT

Se purificatione legali, & Infantulum diuinum in vlnis Simeonis Deo ſiſtit.

PARADOXA.

ELOG. XVIII.

Et poſtquam impleti ſunt dies purgationis eius ſecundum legem Moyſi, tulerunt illum in Hieruſalem. Lucæ 2.

Et placebit Domino ſacrificium Iuda, & Hieruſalem, ſicut dies ſaculi, & ſicut anni antiqui dicit Dominus omnipotens. Mal. 3.

Nulla maiora prodigia Hieroſolyma vidit;
nulla maiora paradoxa orbis terrarum legit;
quam purgatam in Templo puritatem,
redemptum inter altaria Redemptorem.
Adeſte ſuperi:
dignum eſt veſtris oculis ſpectaculum,
innocentia perſonata.
Illam non tollit peccati larua;
ſed geminat.
Auguſta Mater eodem iure vtitur,
quo Filius Imperator.
Hic priuilegio Circumciſionis ceſſerat:
illa reijcit purgationis.
Hoc Mariano fænomeno nullum admirabilius
cælum dedit.
Si tamen ex abyſſo humilitatis potius nō fuit,
quam è Cælo.
Apagite hinc Hæretici tenebriones,
qui ad hunc Solem etiam nocteſcitis.

Solem ſuum ad quodcunque teleſcopium
DIVINVS GALILEVS
ſine maculis eſſe voluit,
innocentium ſplendorum.
Si quæ in immaculato Speculo
maculæ ſpectantur,
oculi Spectatoris mendacia ſunt.
Non impleuit tantùm Mater Virgo legem;
ſed ſuperauit,
Agnum Legislatorem exhibens pro legali.
Abſtinete poſthac a pia laniena
Victimarij Poppæ:
vnus hic AGNVS DEI oblatus,
exauthoratis omnibus veſtris victimis,
coronata diuinorum altarium hoſtia erit.
Poterat etiã ſine gemina columba lex impleri;
vbi Virgines Sponſi
primogenitum ſuum ſiſtebant.
Detrahite poetæ biuges columbas
fædi amoris currui,
quando illis vtitur Mater pulchræ dilectionis.
Pudeat poſthac fabulas ipſas impudentes
in curru Veneris,
magnæ Virginis oblationem collocare.
Poſt hanc MARIÆ oblationem
omnia alia Deo Sacrificia viluerunt;
nec quidquam fere aliud Deo debuit
orbis terrarum,
qui omnia ei in Filio dederat.
Iuſtus Simeon Deum lactentem
vbi pectori admouit,
iure deinde oracula ore edidit,
è Sacerdote Propheta,
loquens Dei VERBO, non ſuo.
Oraculis Cycnæus ſenex
olorinum

olorinum cantum addidit,
quo ſuæ morti præcineret
immortalitatis candidatus.
Si tamen mori poterat
mortem inuitans, cum vitam ſtringeret.
In diuerſo emiſphærio cor,& oculi erant:
oculis noctē indicit, cum Sol cordis exoritur.
Sapientes oculi, qui Dei VERBVM legerant,
alia omnia dedignabantur aſpicere.
Poſt Dei viſi nobile ſpectaculum
maiora videri non poterant,
minora non debebant.
Iure etiam ſecunda Anna, prima felicior,
non expectat ſuum Samuelem, ſed ſpectat,
& gratiam in nomine ſuo præferens
illius in Diuino VERBO adorat Authorem.
Eadem ieiuna ab humanis cibis,
& diuino muſto ebria,
cum oraret euaſit oraculum.
Quid aliud expectemus
vbi ad Arcam Domini acceſſit,
& in Sanctis-Sanctorum ſtetit?

Hodie ſiſtitur Creatori terræ fructus ſublimis: hodie placabilis, & Deo placens hoſtia virgineis manibus offertur in Templo. S. Bernardus ſ. 2. de Purif.

O quam pium ſpectaculum, quo non niſi pij delectari probantur! Stat hinc Virgo, & Mater non cuiuſcunque, ſed Dei. Suſcipitur hinc Infantulus paruulus Virginis Filius, cuius Diuinitatem non capit mundus. Occurrit hinc inde Propheta, atque vterque ſexus de Puero prophetat. Ambroſ. Anſbertus ſ. de Purific.

De Purificatione Matris, & Filij oblatione.

CAP. XVIII.

DE magno munere, Superis plaudentibus, terra, cælumque certarunt. Obeunte anno 8. Kal. Ianuar. Filium Dei cælum terræ dederat: altero ineunte 4. non. Februar. poſt quadraginta dierum ſpatium terra cælo redonat. Prima hæc e ſpelunca Bethlemide veluti e Vulcania ſua flammis, teliſque ſuis armati diuini amoris expeditio fuit. Adeſte Angeli, alijque beati cæli Ciues, & in hac ſua extaſi amorem, nimirum amantem IESVM medium inter MARIAM, ac IOSEPHVM, peregrinũ deducite. Nulla certè vnquam dignior pompa empyrei Anphiteathri Spectatores rapuit, & admiratione ſuſpendit. Quid enim admirabilius, & inter humana diuinius, quam Virgo geminata etiam felicitate ſimul Mater, e collo pretioſiſſimum virginei pectoris monile prætendens Deum adamantem? Hoc nouo corde, cui ipſa vitam infuderat, mutuis officijs ore, & oculis meliorem vitam inſpirante, ac reſpirante, magnæ Deiparæ pectus verius viuebat, quam ſuo. Adhærebat lateri Virginis Matris IOSEPHVS, non minus fidus comes, quam Sponſus virgo. Aligeri cælites circumquaqne ſtipabant diuinam familiam peregrinantem: acclamabat ſupra caput cælum: infra pedes terra

adoratis ſignata veſtigijs, ſibi ipſi poſt libata ſanctiſſimis pedibus oſcula, gratulabunda geſtiebat. Hoc apparatu admirabili Hieroſolyma, nouo titulo viſio pacis, venientem excepit in materno ſinu ſupra omnem triumphi ſpeciem glorioſiore, Principem pacis, tergemini orbis ſuperni, noſtratis, infernique victorem. Hic vnus diuinæ familiæ in Templum ingreſſus feciſſet, ſi non inueniſſet Templo portam ſpecioſam. Hic iterum Salomonium Templum implens gloria Domini dedicauit; non tamen in nebula, ſed in luce habitantis, cum in MARIÆ ſinu. Hæc vnica e Regio ſanguine Nazatenæ virgunculæ Purificatio legalis, ſupra ſummi Sacerdotis, totiuſque Leuitici populi cultum ſacras Ædes luſtrauit. Hæc ſupra omnes Hecatombes vna victima Dei Filius altaria conſecrauit; noua inferente diuino VERBO in materni ſinus ſacrario, plena oraculis Sancta-Sanctorum. Matris Virginis puritati, nihil Purificatio detraxit, ſed illam geminauit, ipſa humilitate ſuis vmbris, puriſſimi conceptus, partus, ac puerperij ſplendoribus gratiam, decoremque addente: Imitata eſt Purificata Mater Filium Circumciſum, & diuino Soli Mariana nubes parelia dedit. Ferè erubuerunt candidæ columbæ in legitimum, licet pauperrimum altiſſimæ humilitatis tributum oblatæ, cum ſenſere ſe a Matris Virginis liliato candore ſuperari. Magna mulier Sole amicta, Luna calceata, Stellis coronata, quã ecclypſim lucis pati poterat? At regium horologium, in quo retrogradus æternus Sol ad decimam humanam lineam per nouem Angelicas deſcenderat,

vmbris ſuis inſigne, tenebræ ipſæ illuſtrarunt. Nullo tamen ſplendore magis illuſtris fuit Purificatio Matris, quam Filij oblatione. Dicite ſuperi! Quanta oblatio fuit in Templo Hieroſolymitano pretioſiſſima totius orbis terrarum Dei domo, Deum per MARIÆ manus Deo ſiſti! Prima Deipara Deo obtulit non imparis, nimirum diuinæ victimæ Sacrificium. Primam init ſummus Sacerdos in hoſtiam oblatus, adhuc Infans Templi poſſeſſionem. Exulate e Templo mortua ferarum corpora. Filius hominis corporatam Diuinitatem Deo ſiſtit. Iuge Sacrificium erit ſub imagine morientis ſemper renaſcens hoſtia immortalis. Eſte procul etiam vos diuino flagello digni profani Sacrorum venditores, & Oues, Boues, Columbas, omnemque brutalium Sacrificiorum lanienam e Dei domo exportate. Vnus *Dei Agnus*, *qui tollit peccata mundi*, vera pacificorum hoſtia, aras imbuet, templa implebit, orbem terrarum conſecrabit. Illuſtria diuini amoris in Matre, & Filio Sacramenta duo luculentiſſimi teſtes Simeon, & Anna oraculis ſuis firmarunt, illam Deiparam, hunc Meſſiam pronunciantes. Fortunatiſſimus ſenex diuinum Puſionem inter vlnas ſuas excipit, & in amplexu vitæ mortem exoptat; Et iure cum eſſet diei ſalutis nuncius Lucifer, occidere debuit in ipſa prima orientis Solis infantia. Adhuc neſcit per humanitatem Dei, abrogatum eſſe capitale edictum *non videbit me homo, & viuet*. IESV & MARIA viſis, alia omnia ita viluerunt, vt claudi oculi æternum voluerint, & poſt tam nobilem diem, noctem pati, quaſi puderet Solem poſt Deum aſpicere.

re. Niſi velis fulgurantem oculis ſuis amabilem Puppulum ita aciem oculorum iuſti ſenis perſtrinxiſſe, vt cæcitatem intulerit prodromam mortis. Æſtimandi ſunt anni non numerandi: expendenda vita non momentis horarum, ſed meritorum. Gnauis Viris dies ſæculares ſunt: ignauis ſæcula ipſa ephimera. Nemo cum dignitate moritur, niſi moriens dignus vita. Iam tantum Viri pondus ſenio potius emeritæ virtutis, quam ætatis grauiſſimi, Iudea amplius ſuſtinere non poterat, nec erat quod iuſtus in amplexu vitæ mortem perhorreſceret, cũ præſertim illa ſagittaria Parthico more ſemper feriat, fugientes adoriens, adorientes fugiens, & citius inuitos, ſerius volentes vincens. *Sacerdos magnus, qui in diebus ſuis placuerat Deo, & inuentus erat iuſtus* pulchram vitæ fabulam non melius, quam in hoc actu abſoluere potuit. Tunc enim illam abſoluere debemus, cum Deus nodum ſoluit, & omnium plauſum meremur. Quæ maior ipſius læthi lætitia, quam hominem efferri, cum Deus offertur, & Sacerdotem ſua morte viuentis diuinæ hoſtiæ Sacrificium cumulare? Poſt tot occiſas victimas, ſi poteſt ipſe Sacerdos victima occidat, & occumbat cum in Deum inter bracchia exceptum, cadendum eſt. Ita primus poſt Deum natum, Sanctorum fænix inter vitæ amplexus mortem quæſiuit, immortalitatem habuit, magnumque traxit ex funere fænus. Illam mortem quam optat legis Sacerdos, Sacerdotium legale habebit, vt in gemino IESV Zorobabelici Templi vita initium ſortiatur, & finem. Quod enim ſine IESV Templum eſſe poſſit? Felix Sacerdos

Simeon, qui non e fronte Dei nomen ſuſpendit,ſed inter bracchia ſtrinxit Dei VERBVM, & ineffabile TETRAGRAMMATON non ore protulit, ſed prætulit cordi. Maior fuit manibus Deum circumſcribens, quam in ſacerdotali veſte deſcribens orbem terrarum. Illa ſacri paludamenti coſmographia hanc diuinam hypapantem non æquat. Sed canora oracula,& olorina moribundi ſenis, quę non rapiant? Qui ſuperuenerat in MARIAM Sanctus Spiritus potuit ſupereffuſus etiam Simeonem implere, & anticipata miſſione pacatè ſine tonitruo, ac fulmine iuſti ſenis linguam accendere. Prima diceres paradoxa diuini VERBI, oracula Simeonis. Amplexus vitã ſolui ſe poſcit a morte, genethliacon Infantis Dei cum ſuo epicedio confundens. Omnium ſalutem in multorum ruinam edicit, & Verbum veritatis album innocentiæ, in ſignum ſuſpendit, cui amentatis ipſius impiæ & mendacis amentiæ telis contradicetur. Quid cum ab Exercituum Deo,qui venerat,vt gladium mitteret in terras, miſſionem a bello poſtulat?Quid cum apud Filium orator pacis, Matri bellum fecialis indicit, & e Sacerdote Poppa in Sacrificio ſalutari pulcherrimę animæ gladium carnificem intentat? Quid cum lactentem oſculo Infantem excipit, & cruentatum reddit Crucis oraculo? Nimirum iam tum cruciarius Deus amores ſuos aperiebat, & ambitum Crucis. Interim dum fortunatiſſimus Sacerdos Deum Infantem vnicam Empyrei gemmam pro rationali pectori ſuſpendens inter mortem, vitamque medius immenſum Dei etiam paruuli pondus nec ſuſti-

ſuſtinere poteſt, nec deſerere debet, Annã quoque annis æque, ac meritis venerabilis oracula Simeonis geminat. Ad VERBI nimirũ, licet Infantis præſentiam, orantes oracula fiunt, & vtriuſque ſexus ſilicernium prophetat. MARIÆ priuilegium fuit in Filij oblatione etiam fœminas prophetides eſſe. Profanis orbis terrarum Sibyllis etiam ſacram Iudæam addite. Ita in Simeone, & Anna, decrepiti Æthniciſmi, & anus Synagogæ ſenio renouando diuinus Infans proluſit. Vltimum ſpectaculum fuit, expectatiſſimum ſæculis omnibus Redemptorem quinque ſiclis a Parentibus redimi. Infans redimitur a Parentibus quinque ſiclis: a diſcipulo triginta vendetur Vir. Ita ſemper amor voluit proſtare Diuinitatem, & cum omne pretium ſuperet, eſſe tam paruo venalem. Paruo redimitur, magno homines gratis venundatos redempturus. Redemiſſet tamen ſe ipſum Redemptor Infans omni pretio, vt in MARIÆ manus remigraret. Ad redemptionem totius orbis hęc redemptio progymnaſma fuit. Seruato myſtico numero pro ſiclis orbis Redemptor totidem plagas ſoluet. Ita nimirum iubebat lex non iuſtitiæ, ſed amoris. Poſt hæc illuſtria oracula primus Meſſiam iam veniſſe Simeon ſuperis, Herodes Inferis, ille immortalitatis Phoſphurus, hic æternæ mortis Heſperus nunciauit.

ELECTIORA
Ex Sacris Scripturis, SS. Patribus, Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Doctoribus Scholaſticis de Matris Purificatione, & Filij Oblatione.

SYNOPSIS.

1 AN B. Virgo cum puero IESV commorata fuerit in Bethlemico hoſpitio vſque ad ſuam Purificationem, & quid ibi egerit? 2. Exempta erat B. V. a lege purgationis propter eximiam ſuam puritatem. 3. Cur eam implere voluerit? 4. An MARIA purificata puritatem auxerit? 5. Matris purgatio cum Filij oblatione coniuncta euaſit illuſtrior. 6. Puer IESVS non erat obnoxius legi præſentationis, vnde nec B. Virgo tenebatur eum in Templo ſiſtere Domino. 7. An a SS Parentibus par Turturum, an par Columbarum oblatum fuerit, & de eorum myſtica ſignificatione? 8. An legale ſacrificium ad Matris Purificationem, an ad Filij Præſentationem pertinuerit? 9. An quinque ſiclis iuxta aliam legem Redemptor a MARIA, & IOSEPHO redemptus fuerit? 10. De iuſto Simeone oblatum IESVM inter vlnas ſuas excipiente, eiusque ex SS. Patribus, geſtis, & laudibus. 11. De Anna Propheтide eundem ſacris Encomijs celebrante. 12. De Terebintho B. MARIAE Virginis, ſub qua cum puero IESV in hoc itinere Hieroſolymitano quieuit.

An Deip. Virgo cum puero IESV commorata fuerit in hoſpitio Bethlemico vſque ad ſuam Purificationem, & quid ibi egerit?

I.

IN Bethlemico hoſpitio hæſiſſe Deip. Virginem cum Puero IESV illos 40. dies, quos ritè purgationi impendit, cenſet Suarez t. 2. in 3. p. d. 15. ſ. 1. & iam ex S. Epiph. & alijs ſupra

ſupra diximus. At quid egerit ſuperuacaneum eſt quærere in illo Paradiſo deliciarum inter amplexus, & oſcula Dei Infantis, *illum lactans cum admiratione gratulatoria Angelorum* vt inquit Delrius in cap. 4. cantic. ſ. 1. v. 10. §. 4. *dicentium. Quam pulchra ſunt mammæ tuæ*, cum vt ipſe ait *penderet ab illis ſpecioſus præ filijs hominum Dominus Angelorum*. Illuſtri hypotipoſi inexplicabilem in Deip. Virg. horum iucundiſſimorum dierum felicitatem exprimit S. Anſelm. l. de excell. Virg. c. 4. concluditq; hac oratione ad Filium. *Deus Fili huius feliciſſimæ Matris, qui es virtus, & vera ſapientia ſummi Patris oramus te, quatenus ipſa miſericordia, qua factus es homo pro nobis inſinuare digneris cordibus noſtris, quo animo, qua cogitatione ferebatur hæc dulciſſima Mater, cum te inquam talem, ac tantillum in bracchijs ſuis exultans, & læta teneret, cum tibi Infantulo dulcibus oſculis, & frequentibus congauderet, cum te lachrymantem ſupra genua ſua, quibus poterat modulis conſolaretur, cum denique alijs, & alijs ſtudijs, ad quæ ipſam materna pietas informabat, tibi pro qualitatum viciſſitudinibus ſedula blandiretur*. Sed virgineæ lactationis ſuauitas omnia ſuperabat ſic ab Auct. ſ. de Nat. Ch. apud S. Cyprian. deſcripta. *Paruulus ſugens vbera pura alimonia vtebatur, & foris ſacri pectoris defecatum edulium ori mundiſſimo infundebat. Sed & cor Matris quadam dulcedines, quæ humanum ſuperant intellectum imbuebant, eratque vtrinque mira iucunditas, cum pia ſanctæ Matris, & deuota humilitas, & Sancti Sanctorũ immenſa benignitas confœderatis affectibus iungerentur*.

Exempta erat B. V. à lege purgationis propter eximiam ſuam puritatem.

II.

Habetur lex Purificationis Leuit. 12. his verbis. *Mulier ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum immunda erit, nec ingredietur in Sanctuarium, donec impleantnr dies purgationis ſuæ*: Iſti dies in partu maſculi quadraginta erant. Vti filius *innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cælis factus* Sanctus Sanctorum non obligabatur lege Circumciſionis, ita nec puritate purior Mater, quæ hoc titulo, quia Mater Sancti Sanctorũ ipſa eſt SANCTA SANCTORVM, vt ſcitè colligit Bernardinus Sen. cum alijs Patribus, lege Purificationis. Hinc ait S. Bern. ſ. de Purif. ipſam alloquens. *O B. Virgo Mar. verè non habes cauſam, nec tibi opus eſt Purificatione; Sed nunquid Filio tuo opus erat Circumciſione. Eſto tamen inter mulieres tanquam vna earum, nam & Filius tuus ſic extitit in medio puerorum.* Hoc ipſum innuit Auc. ſ. de Nat. Ch. apud S. Cyprianum. De exemptione Mar. a lege Purif. egregiè diſſerunt præter PP. allatos Theophil. in 2. Luc. S. Cyrrill. in Leuit. l. 8. Euſebius Emiſſ. de Purif. Mar. Origen. hom. 4. in Leuit. S. Hildeph. ſ. de Purif. S. Io. Chryſoſt. or. de occurſ. Dom. Euthymius in Lucam B. Laur. Iuſtin. in feſto Purif. Paulus Burgenſis in c. 12. Leuit. Rabanus de Cleric. inſtit. c. 3. Guarri. Abb. ſ. 1. de Purif. Et qui inſtar omnium ſunt Princeps theologorum S. Auguſt. l. de quinque legibus c. 5. & S. Th. 3. p. q. 37. a. 4. In reuelationibus S. Birgittæ l. 6. c. 57. ſic Mar.

ipſa

ipſa Deip. loquitur. *Filia mea ſcias, quod ego non indigebam Purificatione, ſicut aliæ fæminæ, quia Filius meus, qui natus eſt ex me ipſe mundauit me; nec ego aliquam quantumcumque minimam maculam contraxi.* Argumentum efficax cur non teneretur lege Purgationis B. V. a Filij Diuinitate deducitur, tanquam radice eximiæ puritatis maternæ. Vnde ait S. Eligius de Purif. B. V. *Nequaquam immunda iudicatur, quæ Sancto Spiritu obumbrante totius munditiæ, & ſanctitatis Auctorē genuiſſe probatur.* Conſonat huic Nicetas in comm. in Luc. his verbis. *Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere ineffabili modo, quia ſine viri ſemine, & ſupra naturæ captum citra vllas ſordes. Vbi enim Deus nihil illhic ſordidum, & immundum.* Hinc toto cælo diuerſa fuit purgatio MARIÆ, & aliarum fæminarum, vt explicat egregiè S. Hildeph. l. de Virg. & partur. B. Mar. *Ideò inquit alia erat purgatio illa fæminarum, in qua purgabantur non minus delicta animorum, quam vitia corporum, & alia purgatio Mariæ, in qua non aliud, quam pro myſterio conſuetudo legis ſeruabatur, quia nullis egebat purgamentis, quæ Dominum de ſe omnium purificatorem genuit incarnatum.*

De puritate proximo titulo exemptionis a lege Purificationis, qua Virgo Virginū ſplenduit plura ſupra diximus. Addo nunc a pio B. V. cultore obſeruari quod Deus vbique terrarum prouidit SS. Patres Matris ſuæ puritatis panegyriſtas. Extulerunt eius inexplicabilem candorem S. Ephrem Diaconus in Syria, S. Baſilius Mag. & S. Gregor. Nazianz. in Cappadocia S. Io. Damaſc. in Arabia S.

Gregor.

Gregor. Thaumat. in Ponto, Sophronius in Paleſtina, S. Epiph. in Cypro, S. Cyrill. Alex. & S. Athanaſ. in Ægypto, S. Germ. Patriar. Conſtant. in Thracia, S. Hieronym. in Dalmatia Rup. Abb. & Albertus Mag. in Germania, S. Anſelm. & Venerab. Beda in Anglia S. Irenæus, & S. Bern. in Gallia; S. Hildephonſ. in Hiſpania, S. Cyprian. & S. Auguſt. in Aphrica, S. Thomas, & S. Bonauentura in Italia, S. Io. Chryſoſ. & S. Greg. Mag. in orientali, & occidentali imperio. Audio Hæreſiarcham Caluinum in c. 1. Lucæ fædè blaſphemantem his verbis. Non magnoperè eſt laborandum, vt MARIAM purgemus ab omni vitio. Hiſce inconditis vocibus grunnit lutulentus Nouatorum, quos Maximilianus Sandæus in ſuâ Myſtica Luna eclipſata, & alij referunt, vniuerſus grex. Sed iſti noui Antidicomarianitæ a Pet. Caniſ. & alijs Catholicis Athletis ſatis, ſuperque debellati ſunt, ac profligati. Mei inſtituti non eſt in hoc libello hæc fuſius perſequi. Obmuteſcant ranæ ſeriphiæ paludis ſtygiæ ad olorinum cantum SS. Patrum. *Omnibus modis Sanctam* apellat B. Virginem Timotheus Conſtantin. in or. de Simeone *per illum, qui domicilium habuit in ea, & ſupra quam dici poteſt inculpatam*. Vnde a S. Maximo cum quadam Emphaſi dici potuit. *Omnis pulchritudo ad Virginem comparata deformitas eſt, & omnis innocentia peccatum*.

Actualiter nunquam peccaſſe B. Virginem certiſſimum eſt, quidquid in contrarium oblatrent verberabiliſſimi maſtyges Mariani, quos refert Teccardus ad 3. Irenæi c. 33. & Sandæus loc. cit. Iacobus Schenteius, Brentius,

Filippus

Filippus Melancton, Georgius maior, Spagenbergius, Coruinus, Loſſius, Culmanus, & alij, & ipſi ad denigrandum vbique Mar. Deip. candorē ſuccenturiati Magdeburgenſes Centuriatores. Ex ſenſu Eccleſiæ Catholicæ docet hoc Trident. Concil. ſeſſ. 6. c. 23., & eſſe de fide cenſet Corduba l. 1. q. 17. §. 7. & q. 44. propoſ 1. Annuunt paſſim Patres, quorum ſuffragia luculentiſſima, & nobiliſſimas ſententias latè collegerunt Spinellus in Throno Dei c. 7. Coccius t. 1, l. 3. a. 1. Valentia 3. p. d. 2. q. 1 Iuſtinianus in Epiſ. Iudæ, Raynaudus in Dipt. Mar. p. 2. puncto 9. & alij innumeri. Vnius Auguſtini, & Bernardi teſtimonia adducam, cum alter præſertim Theologiæ Princeps ſit, alter inter B. V. Cultores nulli ſecundus. *Excepta* inquit Auguſt. l. de nat. & gr. c. 36. *S. Virg. Maria, de qua propter honorem Domini, cum de peccatis agitur nullam volo habere quæſtionem. Inde enim ſcimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum.* S. autem Bern. ſic ait epiſt. 174. *Ego puto quod, & copioſius ſanctificationis benedictio in eam deſcenderit, quæ ipſius non ſolum ſanctificaret ortum, ſed & vitam ab omni deinceps peccato cuſtodiret immunem, quod nemini alteri in Natis quidem mulierum credimus eſſe donatum. Decuit nimirum Reginam Virginum ſingularis priuilegio ſanctitatis abſque omni peccato ducere vitam, quæ dum peccati, mortisque pareret peremptorem munus vitæ, & iuſtitiæ omnibus obtineret.* Similia habent B. Pet. Dam. ſ. 3. de Nat. S. Io. Damaſc. or. 1. de eadem Guarr. Abb. ſ. 2. de

Aſſ.

Aſſ. Fulbert. Carnot. hom. 1. de Nat. Deip. Rich. Victor. l. 2. de Emman. a c. 25. ad 31. S. Anſelm. in calce proœmij operis de laud. B. V. B. Laur. Iuſtin. ſ. de Ann. S. Hildeph. ſ. 1. de Aſſ. S. Epiph. or. de laud. Deip. & alij. Immunitatem B. V. a quocunque actuali peccato teſtatur S. Birgitta l. 1. reuel. c. 31. his verbis. *Iſta Regina Cæli ſic pura fuit, quod vna macula peccati inueniri nunquam potuit in ea à principio ingreſſus eius in mundum, vſque ad vltimum diem mortis ipſius*. Iure itaque a Pet. Cluniacenſi apellatur Deipara Mar. *nitens ſemper, ac pura ab omni actuali culpæ labe*, & ab And. Cret. or. 2. de Aſſ. *Sancta Sanctis Sanctior*. Fuere quidem in B. V. affectus noſtri, vt docet ſingillatim Caniſ. l. 4. c. 13. nō tamen fuere inordinati motus præuenientes rationem, eamque captiuantes ſub lege peccati. Hoc Marianæ puritatis excellentiſſimum priuilegium eleganter deſcribit Auct. ſ. de Nat. Chriſti apud S. Cyprian. his verbis. *Spiritus Sanctus poſſidebat domum ſuam, & templum, quod ſibi conſecrauerat, adornabat. Seruabat Sacrarium ſuum, & ſanctimonia thalamum honorabat. Lætificabant conſolationes huiuſmodi animam benedictam, & tanti habitatoris reuerentia concupiſcentiarum ludibria abigebat: legem mentis lex carnis non infeſtabat, rebellio nullam quietem ſpiritus affligebat*. Similia habet Nicolaus Mon. S. Albani epiſt. ad Pet. Cellenſem. Hinc in illa extinctum fuiſſe fomitem peccati communiter Doctores aſſerunt, vt ſupra diximus. Legendi ſunt de hoc præter Suarez rel. Vaſquez 3. p. d. 118. c. 4. Vega in concil. Trident. c. 18. Tol. in c. 1.

Lucæ

Lucæ annot. 67. Salazar de Concept. c. 28. Cathar. l. 2. de eadem ad 3. & allj. Non tamen vllo modo adſcribenda eſt B. Virgini impeccabilitas, quæ neque ex fomitis extinctione, neque ex confirmatione in gratia, neque ex vllo alio ſequitur, vt oſtendit Suarez t. 2. 3. p. d. 4. ſ. 4. & l. 10. de gra. c. 8. cum alijs.

Cur eam implere voluerit?

III.

EXemplar fuit B. V. in ſua purgatione, vt loquitur S. Ambroſ. l. 2. de Virg. *vnde ſumuntur magiſteria expreſſa probitatis*, nimirum omnium virtutum, ſed præcipuè altiſſimæ humilitatis. Ab omni ſiquidem ſorde animi, & corporis puriſſima, non abſimili à Filio Circumciſo demiſſione, purgatione legali voluit adhuc purificari, vt ſingularis illius humilitatis, qua Deum e ſinu Patris in ſuum traxerat illuſtre mortalibus, & admirandum omnibus ſæculis exemplum exhiberet. *Sicut Dominus* inquit Ven. Beda de Purif. B. V., *ac Saluator noſter, qui Diuinitate legem dedit, apparens in homine fieri voluit ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus, ita etiam B. ipſius Genitrix, quæ ſingulari priuilegio ſupra legem fuit pro oſtendendo tamen humilitatis exemplo legalibus ſubdi non refugit inſtitutis*. Attribuo principem locum humilitati in Purificatione Deiparæ, ſed non excludo chorum aliarum virtutum, nam ipſa, vt ait Pet. Chryſol. erat *collegium ſanctitatis* Amorem puritatis in hoc myſterio commendat S. Th. ſ. de Purif.. Obedientiam celebrat S. Ambroſ., concluditque

his

his verbis. *Nec mirum ſi Mater obſeruet legem, quam eius Filius non venerat ſoluere, ſed adimplere &c.* Alij alias virtutes extollunt. Plures rationes cur B. V. voluerit purificari, cum legi minimè eſſet obnoxia affert Io. Bap. Nouatus t. 1. de Emin. Deip. c. 14. q. 2.

An MARIA purificata puritatem auxerit?

IV.

AFfirmari poteſt incrementum accepiſſe puritatem Deip. Virginis a Purificatione iuxta doctrinam Mag. Alberti apud S. Antonin. 4. p. t. 15. c. 20. imo S.Th. 2. 2. q. 7. a. 2. Nam vt philoſophantur, *ſicuti ex eo, quod corporea ſubſtantia, quo magis alteri ſummè puræ accedit v. g. luci, fit purior, ita ſpiritualis, quò magis Deo actui puro accedit, & vnitur. At B. Virgo per exercitium Heroicarum virtutum, præſertim altiſſimæ humilitatis in ſua Purificatione magno gratiæ augmento Deo iuncta eſt: ergo facta eſt purior. Altus eſt Deus* inquit S. Auguſt. ſ. 157. de temp. *erigis te, & fugit a te: humilias te, & deſcendit ad te.*

Matris purgatio cum Filij oblatione coniuncta illuſtrior euaſit.

V.

HAnc purgationem Dei Matri ex tot virtutum ſplendore illuſtrem, fecit longè illuſtriorem Filij oblatio. Quid enim auguſtius inueniri poteſt, quam Deum per manus MARIÆ Deo ſiſti? Ita decebat etiam iuſtos exleges omnem iuſtitiam legis implere. Hoc gratiſſimum cælo, terriſque saluberrimum ſpectaculum egregiè deſcribunt Patres præſertim

ſertim S. Bern. ſ. de Purif. & Ambroſ. Anſbertus ſ. de eodem feſto. *O quam pium ſpectaculum &c.* exclamat Ambroſius, concluditque: *Offertur oblatio pro Puero, non quæ delicta emundet, ſed quæ Sacramenta declaret.* S. Bern. verò oblationem Filij Dei inter manus Matris, cum oblatione eiuſdem inter Crucis bracchia comparat. *Oblatio* ait *iſta ſatis delicata videtur, vbi tantum ſiſtitur Domino, redimitur auibus, & illicò reportatur. Veniet quando non in templo offerretur, nec inter bracchia Simeonis, ſed extra Ciuitatem inter bracchia Crucis. Veniet quando non redimetur alieno, ſed alios redimet ſanguine proprio. Illud enim erit Sacrificium veſpertinum: iſtud matutinum. Iſtud quidem iucundius, ſed illud plenius. Iſtud in tempore natiuitatis: illud in plenitudine ætatis.* Nulli magis conueniebat eſſe Sanctum Domini, quam illi, qui vt habemus ex Daniel. 9. eſt SANCTVS SANCTORVM. Nunquam verius dicere poſſumus cũ Regio Pſalte pſ. 47. quod in hodierna etiam celebritate ſancta vſurpat Eccleſia. *Suſcepimus Deus miſericordiã tuam in medio templi tui.* Per hanc miſericordiam Dei S. Bern. hic de Purif. intelligit ipſum corporatum VERBVM, quod ad ſubleuandam humanam miſeriam noſtram mortalitatem induerat.

Puer IESVS non erat obnoxius legi Præſentationis, vnde nec B.V. tenebatur eum Domino in templo ſiſtere.

VI.

ALiqui Patres cenſent Chriſtum Dominũ fuiſſe comprehenſum verbis legis Præſenta-

ſentationis Filiorum, quæ lata eſt ex. 13. *Sanctifica mihi omne primogenitū, quod aperit vuluam in Filijs Iſrael*, vti Origen. hom. 14. in Lucam Euthymius in cap. 2. Luc. Id. Hieron. l. 2. contra Iouinian. S. Io. Chryſoſ. hom. de occurſu Ch. S. Greg. Nyſſ. hom. in eodem feſto S. Io. Damaſc. de Purif. B. V. Hanc doctrinam ſequutus eſt Amphilochius hom. de Purif. At ſententia contraria communis eſt, præſertim recentiorum, vt docet Suarez t. 2. in 3. p. d. 17. ſ. 2. Affirmant expreſsè contrarium aliqui Patres, præſertim S. Cyrill. Hieroſolim. de occurſ. Dom. S. Ambroſ. ſ. de Purific. Aymon in 2. Luc. quibus Tolet. ibidem annot. 36., cum alijs recentioribus communiter ſuffragatur. S. Cyrill. ſic magnificè ſententiam ſuam exponit. *Samuel quidem, & Iſaac, & ſimul etiam Iacob, & Ioſeph, & alij multi, qui præter ſpem nati ſunt ex ſterilibus, & aperuerunt infertiles vuluas Matrum, Sancti Domini vocati ſunt; Chriſtus autem Saluator vnigenitus cum virginales portas non aperuiſſet non eſt Sanctus Domino, ſed Sanctus Sanctorum, & Dominus dominantium, & Deus Deorum, & Primogenitus primogenitorum, & Rex regnantiū, & vocabitur, & credetur, & nunc in Templo a Simeone prædicabitur. Liber eſt Princeps Legislator a vi coercitiua legis* l. Princeps ff. de legibus. Quid de Supremo Legislatore dicendum eſt, de quo patientiſſimus Propheta ſic loquitur c. 36. *Ecce Deus excelſus in fortitudine ſua, & nullus ei ſimilis in Legislatoribus*. Erat tamen conuenientiſſimum Dei Filium Legislatorem, implere hanc legem, vt probat decē luculentiſſimis rationibus Io. Chartag. tom. 3. l. 8.

l. 8. hom. 8. & ex S. Bern. ſ. de Purific. S. Th. ſerm. de eodem feſto, alijsque Io. Bapt. Nouatus t. 1. de em. Deip. c. 14. q. 6. *Iuſtum eſt* inquit Iſidorus l. 2. ſentent. c. 52. *Principem legibus obtemperare ſuis. Tunc enim iura ſua ab omnibus cuſtodienda exiſtimet, quando & ipſe illis reuerentiam præbet.* Implenda etiam erant diuina oracula. Mal. 3. *Statim veniet ad Templum ſanctum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis.* Et Agg. 2. *Veniet deſideratus cunctis gentibus, & implebo domum iſtam gloria, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ plusquam primæ.* At quomodo poterat præſentari Deo, Dei Filius, ſemper neceſſariò præſens, cuius oraculum eſt Io. 10. *Ego in Patre, & Pater in me eſt, & qui me miſit mecum eſt, & non reliquit me ſolum.* Hanc ſibi queſtionem mouet Angel. Doctor. 3. p. q. 37. a. 3. & reſpondet. *Dicendum, quod ſicut Filius Dei non propter ſe ipſum factus eſt homo, & circumciſus in carne, ſed vt nos per gratiam faceret Deos, & ſpiritualiter circumcideremur, ſic propter nos ſiſtitur Domino, vt diſcamus Deo præſentare nos metipſos, & hoc poſt Circumciſionem factum eſt, vt oſtendat neminem niſi circumciſum vitijs, dignum eſſe diuinis conſpectibus.* Nec ſolum obtulit in Templo Filium ſuum ſanctiſſima Mater, ſed tulit in Hieruſalem, licet aliquantulũ diuino pondere IOSEPHVM Sponſum in itinere bearit, vnde ſacer Euangeliſta dicit. *Tulerunt illum in Hieruſalem.* Hoc obſeruauit S. Bern. ſ. de Purific. & dixit de Infantulo IESV *Portatur a Parentibus, expectatur a ſenibus.* Cum IESVS Infans legi præſenta-

tionis

tionis obnoxius nec eſſet, manifeſtè conſequitur Deiparam Virginem non fuiſſe obligatam illius legis vinculo, & ijſdem honeſtiſſimis rationibus Matrem, quibus Filius ad illam implendam moueri potuiſſe.

An a Sanctis Parentibus par Turturum, an par Columbarum oblatum fuerit, & de eorum myſtica ſignificatione?

VII.

AGnum non fuiſſe oblatum fere citra controuerſiam eſt, & rationes afferuntur a Patribus, præſertim S. Bonauent. in c. 2. Luc. B. Laurent. Iuſtin. ſ. de Purif. S. Mar. & alijs. At in Sacro Euangelio non ſignatè exprimitur, an pro Sacrificio legali turtures, an columbæ oblatæ fuerint, ſed alterum tantum: *Vt darent hoſtiam ſecundum quod dictum eſt in lege Domini par turturum, aut duos pullos columbarum*. Iure non exprimi ſignatè ait Venerab. Beda l. 1. in Luc. propter myſticam ſignificationem, quam habent vitæ contemplatiuæ, & actiuæ, quarum vtraque laudabilis, in Eccleſia Dei colenda eſt. *Columba* inquit *quæ aggregale animal eſt, turtur verò ſolitarium, vitam communitatis, & ſolitudinis, ſeu ſolitariam denotat. Et quia Conditori vtraque accepta eſt hoſtia, conſultò Lucas vtrum turtures, aut pulli columbarum pro Domino ſint oblati non dixit, ne vnum alteri viuendi ordinem præferret, ſed vtrunque ſequendum, vtrunque diuinis laudibus doceret efferendum*. Veriſimile tamen eſt fuiſſe oblatos pullos columbarum a virgineis parentibus, vt ſentiunt Pomerius l. 3. de B. V. p. 1. a. 2. & Maldonatus in c. 2. Lucæ,

Lucæ, fauetque communis fidelium ſenſus; tum quia hoc in vſu magis erat, vnde propolæ columbarum, non turturum diuino flagello Matth. 25. eiecti ſunt e Templo; tum quia viliori pretio venales erant, & B. V. ac S. Ioſephi paupertati magis congruebant. Certè teſtimoniũ paupertatis diuinæ familiæ fuiſſe Agnũ non offerri vt Leuit. 12. præſcribebatur *Deferet Agnum anniculum in holocauſtum*, affirmant Toletus in c. 2. Luc. & Aymon hom. 2. de Purific. *Notanda eſt* ait Toletus *magna, & vera paupertas Chriſti, & Parentum, quæ tanta erat, vt agnum Deo offerre non potuerint, & verba legis in eis ſint verificata, nempe. Si non inuenerit manus eius, nec potuerit offerre agnum, ſumet duos turtures, aut duos pullos columbarum*. Vnde dicendum eſt pretioſa Magorum Regũ donaria eo tempore a MARIA, & IOSEPHO fuiſſe in pauperum eleemoſinas erogata. *O amplectendum* exclamare libet hic cum S. Eligio hom. 2. *fidelibus animis exemplum ſpontaneæ paupertatis! Benignus Deus, & Dominus omnium diues in omnes, qui inuocant illum, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, qui humilia reſpicit in cælo, & in terra, pauper, & humilis pro nobis fieri dignatus eſt, vt nos ſua paupertate, & humilitate excelſos faceret, ac diuites; hic quidem in fide, & ſpiritalium diuitiarum, ideſt ſanctarum virtutum libertate, in futuro autem hæredes regni, quod repromiſit diligentibus ſe*. Hæc eadem conſideratio eſt apud Origen. Magiſtrum Patrum hom. 8. in Leuit. Maximum ſpontaneæ, & religioſæ paupertatis elogium, pretiumque eſt IESVS MARIA IOSEPH. Idem Origenes

hom.

hom. 14. in Luc. beatas has Aues putat oblatas pro puero IESV, & quaſi in Redemptoris redemptionem.

De myſtica ſignificatione Turturum, & Columbarum quæ etiam in Encomium Sanctæ Sponſæ in ſac. Cantic. afferuntur mira habent Patres, præſertim S. Greg. in c. 1. Ezech. S. Ambroſ. ſ. de Purif. S. Bonau. in c. 2. Luc. S. Io. Chryſoſ. hom. de virtut. S. Auguſt. ſ. 2. in Dom. Trinit. Richard. de diff. Sacrific. Abrahæ a Sacrif. B. V. S. Cyprian. l. de vnitate Eccleſ. c. 6. Aymon hom. 2. de Purif. S. Bern. de modo bene viuendi ſ. 6. Gullielmus Paruus in c. 2. cantic. S. Cyrill. l. 15. de ador. in Sp. & verit. Rup. Abb. l. 3. in cant. & alij. Innocentię Symbolum eſſe Columbam, & puritatis nemo non nouit. Vnde S. Ambroſ. in paneg. funebri S. Euſebij ſ. 70. eum cum myſtica columba Regij vatis comparat. *Volauit ergo* concludit *hac die S. Euſebius: feſtinemus. Iam eius innocentiam de volatu, & puritatem eius ex ipſa elatione iudicemus. Tanquam columba enim in domo Dei degens aſſumpſit ſpirituales pennas, & requieuit in Monte.*

An legale hoc Sacrificium ad Matris Purificationem, an ad Filij Præſentationem pertinuerit?

VIII.

AD Matrem pertinuiſſe aſſerunt Lyranus in c. 12. Leuit. Abulens. q. 23. ac 30. & alij. Fauet textus Leuit. vbi dicitur. *Ipſa verò triginta tribus diebus manebit in ſanguine purificat. ſuæ*, & Miſſale Romanum dicens loco EIVS, purgationis MARIÆ. E contra pro

Filij

Filij expiatione offerri debuiſſe illud Sacrificium cenſent S. Auguſt. l. 9. in Leuit. q. 40. S. Th. loc. cit. & eius fidus interpres Caiet. Hugo Cardin. leuit. 12. Rup. Abb. l. 2. in Leuit. c. 16. S. Eligius hom. de Purif. Gloſſa ordinar. Leuit. 12. & alij. Fauere videntur, vt expendit S. Auguſt. verba euangelica. *Induxerunt eum in Templum, vt facerent ſecundum conſuetudinem legis pro eo*; S. Hildeph. expiationi Matris, & Filij deſtinatum fuiſſe ait illud legale Sacrificium ſ. 1. de Purif. his verbis. *Poſtquam autem impleti ſunt dies purgationis eius, vel Domini ſcilicet, vel Matris illius, vno enim, eodemque ordine Mater cum Filio expiari iubebatur*. Eadem eſt ſententia Origen. Theophil. Haymonis, Euthymij, Guarrici Abb. & aliorum hic.

An quinque ſiclis iuxta aliam legem Redemptor a Maria, & Ioſepho redemptus fuerit?

IX.

Aliam legem de redimendo quinque ſiclis Filio fuiſſe a religioſiſſimis Parentibus obſeruatam nemini dubium eſſe debet. Habetur illa numer. 4. *De primogenitis filiorum Iſrael accipies quinque ſiclos per ſingula capita ad menſuram Sanctuarij*. Siclus prout notat Nicolaus de Lyra in c. 30. ex., quo Sacerdotes vtebantur in Templo pondere Sanctuarij iuxta Ioſephum hiſtoricum conſtabat quatuor drachmis, & ſingulæ drachmæ quinque obolis. Io. Carthag. t. 3. l. 8. hom. ſubductis rationibus, & facta ſupputatione quinque ſiclos æquiualere aſſerit Italicis Iulijs, vt vocant, & Hiſpanicis Realibus duodecim. O ſuauiſſi-

mum ęquè, ac ſaluberrimum conſilium omnipotentis amoris! De nobis, qui nullius pretij ſumus proclamat Apoſtolus 1. Cor. 16. *Empti eſtis pretio magno*, & de Deo ſupra omne pretium omnino inæſtimabili, tam vilis pretij redemptionem prædicamus. *O bone Ieſu iam noſter es: te nobis Pater dedit! te nobis Mater emit: noſter es quia datus: noſter es quia emptus: duplici te iure poſſidemus*. Hæc pijſſimi Thomæ a Villanoua verba ſunt ſ. de Purificat. Ita noſter fuit redemptione ſui bonus Redemptor ante noſtram redemptionem. Etiam nunc paruo emitur Deus, oculorum lachrymula pænitenti, amanti cordis ſuſpirio; vnde de ipſo rectè dixit S. Auguſt. ſerm. de verbis Domini. *Tantum valet, quantum habes. Si multum habes multum valet. Si parum: hoc da; & poſſidebis illum*.

De iuſto Simeone oblatum Ieſum inter vlnas ſuas excipiente, eiuſque geſtis ex SS. Patribus, & laudibus.

X.

INſignes valde perſonas elegit Deus in teſtes Diuinitatis Filij ſui, intanta myſteriorum conſpiratione. PROPHETAS vocat Ambroſ. Anſ. ſ. de Purif. & iure, nam vterque de Dei Infantis Diuinitate, quę alijs occulta erat, eiuſque futuris geſtis, oracula edidit. Hunc Simeonem fuiſſe Hillelis cuiuſdam Filium ex libro *Pirche Auot*, ideſt commentatijs Patrum ſcribit Pet. Galatinus l. 1. de arcanis c. 2. De Hillele deinde Simeonis Patre, eiuſque octoginta diſcipulis multa tradit Ioſephus hiſtoricus, & multò plura in libro Sabbath refe-

referente eodem Galat., quæ ad rem noſtram non faciunt, & Rabbiniſmum ſapiunt. Senem venerabilem fuiſſe præter omnes Hiſtoricos Eccleſiaſticos omnes SS. Patres teſtantur annis, & meritis grauem. Illum egregiè deſcribit chariſſimus S. Bern. diſcipulus Guarr. Abb. hic. Inſignem doctrina virum fuiſſe aſſerunt Egeſippus & Nicephorus, & illuſtrem Rabbinum ſacram Scripturam in Synagogis interpretantem. Addunt hæſiſſe ſemel ad illud Iſa. oraculum. *Ecce virgo concipiet & pariet Filium*, & loco VIRGINIS ſcripſiſſe in libro in lucem edendo PVELLAM, iterque prodigiosè iterata voce PVELLÆ, rediјſſe vocem VIRGINIS, vnde a Deo poſtulauit, vt eum certum faceret de Matris Virginis, & Filij naſcituri arcanis mirabilibus, ac Deo annuente illi promiſſum fuiſſe non moriturum, niſi prius videret *ſalutare Dei*. Eundem Simeonem multis precibus a Deo obtinuiſſe, vt poſſet oculos non ſolum figere, ſed attrectare manibus, ſuauiari oſculis Infantem Deum liberatorem mundi, obteſtarique eum iam adeſſe *ante faciem omnium populorum in reuelationem gentium, & gloriam plebis Iſrael* habemus ex S. Auguſt. ſ. 2. de tempore. Imò orantem, & poſtulantem hoc ſanctiſſimum Senem ardentiſſimis votis incitatum fuiſſe a Spiritu Sancto his verbis ſcribit Timoth. Præsb. Hieroſol. de Proph. Simeo. *Surge Senex quid dormis? Tempus eſt, quo oraculum expleri debet. Matura citò; præſto eſt enim, qui te abſoluat. Et paulò poſt. Venit Emmanuel: celeriter ad Templum tranſcurre; in Templo autem meo conſtitutus Sacra de Sacro vaticinare.* Subiungit tanta celeritate ſanctiſſ.

Senem, alas amore pedibus ſuggerente cucurriſſe ad Templum, vt MARIAM, & IOSEPHVM anteuerterit, & in templo aliquandiu expectarit ingentis promiſſi felicitatem. Addit agnouiſſe inter alias Matres Dei Matrem, cum vidit illam (ipſius verba ſunt) *infinito, & diuino lumine circumdatam*. Profuſiſſimis laudibus Patres hunc beatum Senem celebrant, præſertim S. Ambroſ. l. 2. in Luc. S. Auguſt. ſ. 2. de temp. Timotheus Præsb. in hom. de Sim. Proph. Ven. Beda in Luc. S. Cyrill. or. de Purif. Guarr. Abb ſ. de eadem, Euſebius Emiſſ. in die Pur. & alij. Pet. Bleſenſis ſ. 1. de Purif. vt exprimat cæleſtes delicias Simeonis Deum Infantem miris modis ſuauiantis in hæc verba exclamat: *O Senex fidelis, cuius laus in Euangelio, cuius ſenectus in miſericordia verbi! Cum vnicum portes, qui portat omnia verbo virtutis ſuæ aperi nobis, quam ſuauiter inſinuabat ſe viſceribus tuis, quam delectabiliter infundebat ſe animæ tuæ, ſuumque ſpiritum pectori tuo influebat ille, quē tu geſtabas in vlnis.* Sed omnes omnium laudes ab vnico euangelico elogio comprehenduntur. *Ecce homo erat in Hieruſalem, cui nomen Simeon; & homo iſte erat iuſtus, & timoratus, expectans conſolationem Iſrael, & Spiritus Sanctus erat in eo.* In omnium virtutum choro, quem iuſti titulus confert princeps eminebat ardentiſſima Dei charitas, & proximi, vnde dixit S. Ambroſ. loc. cit. *Bene iuſtus, qui non ſuam ſolam, ſed populi gratiam requirebat, cupiens ipſe vinculis corporeæ fragilitatis exolui, ſed expectans videre promiſſum.* S. Auguſt. in omnium virtutum corona radiantem, ac triumphalem prædicat

ſ. de

ſ. de Nat. Dom. Senem apellant *probatum, & coronatum*. Illius affectus S. Cyrill. or. de Occurſ. egregiè exhibet, & his verbis illius teſtimonium, cum inter bracchia Puppulum diuinum ſtringeret, conceptum fuiſſe aſſerit. *Audi Iſrael: audite omnes gentes! quem ego Sacerdos veſter Simeon vlnis geſto, magnaque voce, & prædico, & teſtimonio meo palam commendo; hic Deus, & Dominus eſt.* An fuerit hic iuſtus Simeon Sacerdos non eſt apud omnes certum. Negant Euthymius, ac Theophilactus hìc. Affirmant tamen grauiſſimi Patres S. Auguſt. ſ. de nat. Dom. S. Cyrill. Hieroſ. & S. Epiph. hìc, S. Athanaſ. l. de communi Patris, & Filij, & Spiritus Sancti eſſentia. In altercatione Iaſonis, & Papiſci, quæ inuenitur inter opera S. Cyprian. legimus hunc ſanctum Senem fuiſſe cæcum, & recuperaſſe viſum, vt tanta iam corporatæ Diuinitatis arcana reuelaret, ac publicaret. Sed reuera ſingularis hiſtoria eſt, & ab alijs non narratur. Poſt viſum Dominum delibataſque oculis in vultu, *in quem deſiderant Angeli conſpicere* Paradiſi delicias, fere ſtatim ſolutum vinculis mortalitatis obijſſe S. Simeonem refert Niceph. l. 1. c. 12. his verbis. *Cum Chriſtum conſpexit Simeon carnis mole protinus ſolutus eſt.* Illa vox protinus non mathematicè, ſed moraliter accipienda eſt, ideſt non poſt multum tempus. A Simeone benedictum fuiſſe MARIÆ, & IOSEPHO aliquo modo, non poteſt dubitari, cum ſacer textus dicat. *Et benedixit illis.* Nec refert, quod maioris excellentiæ ſanctitatis fuerint MARIA, & IOSEPH, quam Simeon;
 nam

nam ad authoritatem Sacerdotalem reſpicitur. Vnde hæc benedictio fuit iuxta doctrinam Apoſt. ad Heb. 7. *Sine vlla contradictione minor benedicetur a maiore*. Hanc adſtruit Pelbartus in ſuo Stellar. l. 2. p. 2. a. 3. c. 3. *Benedicta tu in mulieribus, quæ Virginum Virgo, Angelorum Domina, & omnium Regina fieri meruiſti*. Siue hanc, ſiue ſimilem a pijs contemplatoribus inuentam non reijcio, ſed cum Didaco Murillio de vita, & excell. Matris Dei t. 2 tract. 1. diſc. 6 iuxta religioſam B. V. & S. IOSEPHI humilitatem, admitto etiam aliã Sacerdotalem, quæ habetur numeri 6. hac formula. *Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te: oſtendat Dominus faciem tuam tibi, & miſereatur tui. Conuertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem*. Obeunti Simeoni alios Sacerdotes iuſta non perſoluiſſe, ac parentaſſe teſtis eſt S. Epiph. de Prophet. vita, & inter. c. 24. Adducit rationem Cardin. Baron, *quia IESVM inter vlnas ſuas Infantem adorauit, ac publicè Meſſiam, mundique Reparatorem prædicauit*. De turri, & ædibus illi adiectis, in quibus habitaſſe ſanctum Senem incolarum terræ ſanctæ traditio eſt, multa leguntur apud Scriptores de rebus terræ ſanctæ, præſertim apud Bonifacium de per. cul. terræ Sanctæ l. 2. & Franciſcum Quareſmum t. 2. l. 6. c. 5. per. 8. Diſtat hæc, quam turrim S. Simeonis vocant, Hieroſolyma circa duo milliaria, & vnum a Bethlemica via ad eius dexteram partem. Illud Cycnæum canticum, in quod ſanctus Senex erupit, PP. paſſim luculentiſſimis commentis explicant, ſed ſingulari eloquẽtia S. Gregor. Nyſſenus orat. de Hypap.

De Anna Prophetide eundem Sacris encomijs celebrante.

XI.

SImeoni Prophetæ Annam Prophetidem addidit Deus teſtem Diuinitatis, indicem præſentiæ, & gloriæ tubicinam, vt vteique ſexus teſtimonium redderet Infantis Dei. *Decebat* ait Vener. Beda l. 2. in Luc. *omnium Saluatorem ſicut venturum in carne omnium toto ſaculi tempore fidelium facto, vel dicto præſagiri: ita etiam veritatem communi omnium laude prædicari, impleta prophetia, quæ dicit. Iuuenes, & Virgines Senes cum iunioribus laudent nomen Domini.* In Simeone præſignatam fuiſſe legem decrepitam, in Anna gentilitatem viduam egregiè demonſtrat Methodius or. de Hypap. Hanc ſanctiſſimam Prophetidem S. Luc. c. 2. ſic deſcribit. *Et erat Anna Propheteſſa filia Phanuel de Tribu Aſer, & hæc proceſſerat in diebus multis, & vixerat cum Viro ſuo annis ſeptem a virginitate ſua; & hæc vidua erat vſque ad annos octuaginta quattuor, quæ non diſcedebat de Templo ieiunijs, & obſecrationibus ſeruiens nocte, & die.* Elegantiſſimus eſt huius religioſiſſimę fęminæ panegyricus apud Amphilochium Iconij Epiſcopum de occurſu Domini breuis quidem, ſed plenus his verbis. *Corona viduarum mulierum Anna, ſexu mulier, ordine Prophetiſſa, verſans in regno, corpore laxa, ac remiſſa, animo firma, ac neruoſa, facie rugoſa, explicata autem prudentia, ſenio incuruata, recta incedens cognitione, multitudine annorum inueterata, iuueniliter verò exultans diuina ſcientia ieiunans, & non ſe explens ad ſatieta-*

tem, orans, & non vacillans, & domos alienas non obiens, pſallens non nugans, prophetans, & non dicens fabulas, diuina meditans, & quæ ſunt turpia non addiſcens. A S. Cyrill. Hieroſol. appellatur *continens, & religioſiſſima Monialis.* Aſcenderant huius pijſſimæ viduę orantis preces ad cælum, vti ſtatim aſcendunt clamores gementium iuxta illud Eccleſ. 35. *Nonne lachrymæ viduæ ad maxillam deſcendunt & exclamatio eius ſuper deducentes eas? A maxilla enim aſcendunt in cælum & Dominus exauditor non delectabitur in illis.* Sanctiſſimas viduas ſummis laudibus PP. celebrant vt Amphil. Icon. hanc, de qua loquimur loc. cit. S. Ambroſ. de viduis, Iuditham Deboram, Saelem, & alias, omnes celeberrimas fama ſanctitatis viduas. De ſtatu viduitatis præter S. Ambroſ. multa habent S. Fulgentius epiſt. ad Gallam S. Anton. 3. p. t. 2. c. 3. S. Bernardin. t. 4. ſ. 3. S. Hieron epiſt. ad Ageruchiam, S. Auguſt. l. de bono viduitatis S. Clemens Papa l. 3. conſtit. Apoſt. c. 5. & alij. Omittere non poſſum, vtcunque omnia alia omittam, elogium Saluinæ viduæ, ad quam D. Hieron. Leonina ſua eloquentia, ſed his, vt etiam alijs in locis vibrata, & criſpata ſic ſcribit. *Tu verò quæ in tumulo mariti ſepeliſti omnes pariter voluptates, quæſitam purpuriſſo, & ceruſſa faciem ſuper feretrum eius lachrymis diluiſti, quæ pullam tunicam, nigroſque calceolos, candida veſtis, & aurati ſocci depoſitione ſumpſiſti, nihil habes neceſſe aliud, niſi perſeuerare in ieiunio. Pallor, & ſordes gemma tua ſint. Plumarum mollities iuuenilia membra non foueat, balneorum calor, nouum adoleſcentulæ ſanguinem non incendat.*

Hic

Hic panegyricus quidem eſt reſpectu ſanctiſſimæ illius fæminæ, ſed ad alias luculenta parenesis.

De Terebintho B. MARIAE Virginis, ſub qua cum puero IESV in hoc itinere Hieroſolymitano quieuit.

XII.

FRan. Quareſmus terræ Sanctæ diligentiſſimus indagator, tom. 2. elucid. t. 5. l. 6. c. 6. per. 8. meminit arboris celeberrimæ, quæ Terebinthus B. MARIÆ Virginis dicitur. Sub hac, vt teſtis etiam eſt Bonifac. l. 2. de perenni cultu terræ ſanctæ quieuit MARIA Deipara, quando Chriſtum offerendum in Templo geſtabat in itinere Hieroſolymitano. Omnes nationes ait tranſeuntes ſignant ſe ſigno crucis, & adorant Filium, & Matrem, oſculantes arborem, quæ eos ramis, & folijs operuit, & laſſis locum quietis dedit. Hanc arborem ſe inclinaſſe ſupra Matrem, & Filium receptiſſima traditio eſt, vti de alia, cum diuina familia proficiſceretur in Egyptum tradunt Sozomen. l. 5. c. 29. & Niceph. in ſua hiſt. Hanc Infideles ipſi orientales, imo Schiſmatici, Hæretici, Mauri, in pretio habent, ac venerantur.

Admirabilem miraculorum concurſum, quę naſcentem, lactentemque Deum veluti ſanctæ fidei teſtimonia renunciarunt, & publicarunt S. Ambroſ. l. 2. comment. in cap. 2. Lucæ deſcribit his verbis. *Omnis ætas, & vterque ſexus, euentorumque miracula fidem aſtruunt. Virgo generat, ſterilis parit, mutus loquitur, Eliſabeth prophetat, Magus adorat, vtero clauſus exultat, iuſtus cōfitetur, vidua expectat.*

SECESSVS
Totius diuinæ familiæ in Aegyptum.
PEAN.

ELOG. XIX.

Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph dicens. Surge, & accipe Puerum & Matrem eius, & fuge in Egyptum & eſto ibi vſque dum dicam tibi &c. Matth. 2.

Aſcendet Dominus ſuper nubem leuem, & ingredietur Egyptum, & commouebuntur omnia ſimulacra Egypti a facie eius, & cor Egypti tabeſcet in medio eius. Iſai. 19.

Deo Victori:
Io ſuperi dicite: Io pean!
Eadem fuga triumphali lactentis Infantuli,
in ſuo Tyranno illuſo Iudæa ſuperatur:
in ſuis perſtratis Idolis,
debellatur Ægyptus.
Inter vagitus nimirum orbi terrarum Tonans:
inter faſcias fulminator videri voluit.
In circumſcriptum Deum
parum erat ab Auguſto deſcribi,
niſi proſcriberetur etiam ab Herode.
Hic illuſus a Regibus, cum ipſos non poſſet
Regem Regum inſectatur ad necem,
vt in vno Rege
ſe de omnibus vlciſcatur,
eodem iure carnificum Rex,
quo carnifex Regum.

Orientis Regibus impar, & Regi orienti,
Infantibus imbellibus bellum indicit,
hoſtis in pueros,
qui fuerat in hoſtes puer.
Sed inſanum conſilium fuit;
nam dũ vnũ Regẽ nititur tollere, plures facit.
Tot Herodes ſuſtulit in Reges,
quot e populo ſuſtulit,
ipſa cæde lactentis populi,
nouum pariens purpuratum, & coronatum
populum Regum.
Mirum eſt, quod cæca barbaries
in paruis corpuſculis
tot vulneribus locum inuenerit.
Viſum eſt ferrum atrox
plus lactis ſitijſſe, quam ſanguinis.
In tanta tamen Herodis impudentia,
erubuit Herodianum ferrum, & ſenſit nefas.
Nimirum ſæpius ferro ferus eſt durior,
ac teneriora ſunt metalla, quam pectora.
Infanticidio patrato, Deicidio intentato,
primus Herodes anomalis ſceleribus
nomen fecit.
Nec tamen tot Infantium lauiena,
Herodianam lepram curare potuit:
nec ſtagnans tot Agnorum ſanguis,
vnius cordis frangere adamantem.
DEO IGNOTO.
iuſtè ferè dixerim iniuſte Tyranne iraſceris!
Si noſſes, amares.
In caſſum deinde quæris in tenebris,
quem non potuiſti ſtella Duce inuenire.
Fruſtra etiam metuis Regni conſortem Deum:
ſemper Hærodes ſine Deo regnabit.
Etiam non proſcriptus
ab

ab Hærodiana aula Deus exulat.
Imprudenter tandē a nato in ſpelunca Infante
tui rapinam ſceptri times,
quaſi in ſpelunca
pannoſi latere Reges non poſſint;
purpurati in aula regnare latrones.
Parū erat ei configi inter innocentes in ſpecu,
qui optabat inter latrones in monte crucifigi.
Paruulā, quam paruulus mortem noctu fugit,
grandiorem factus vir quæret in meridie.
Ignobilem reiecit in vmbra,
non æſtimans mortem,
niſi maximo probro, in Sole illuſtrem.
Abſiſte Herodes
NON PLVS VLTRA impietatis attigiſti,
ipſius ſuperans futura Neronis vota.
IlleRomani Imperij, ſuo enſi, caput deuouebit:
tu in mundi caput irruiſti.
Quid Deum inſectaris fugientem,
quem ſemper fugeras?
Imò Hebræus idololatra Deum,
& Auguſtum adorans
illum pridem geminando ſuſtuleras,
qui ſingularis neceſſariò cum ſit,
numero perditur.
Illos Deos tantum amabat inſanus ſenex,
qui lapidei cum eſſent regnare non poterant.
Herode victo Egyptum IESVS,
e Iudea triumphator intrauit.
Aureum currum ne quæras victori;
in ſinu MARIÆ triumphanti.
Omnium ſcientiarum primam patriam
vnicum Verbum Infans,
plus docere potuit,
quam omnia Hieroglyphyca ſapientum.
Imo

Imo vbi IESVM MARIAM, & IOSEPHVM
audijt Ægyptus,
ſuos omnes Triſmegiſtos potuit eiurare.
Iterum diuino Victori
Io dicite Superi: Io pean.

Dignatus eſt in Ægyptum fugere, vt poſtea crucem dignaretur aſcendere. S. Fulgent. ſerm. de Epiph.

Ille, qui ſanguinem ſuum pro mundi redemptione fundendum in aliam differret ætatem, Ægypto ſe Parentum miniſterio ſubuectus intulerat, repetens ſcilicet Hebrææ Gentis antiqua cunabula, & Principatum veri Ioſeph maioris prouidentiæ poteſtate diſponens, vt illam diriorem omni inedia famem, qua Ægyptiorum mentes veritatis inopia laborabant, veniens de cælo panis vitæ, & cibus rationis auferret, nec ſine illa regione pararetur ſingularis hoſtiæ Sacramentum, in qua primum occiſione Agni ſalutiferum Crucis ſignum, & Paſcha Domini fuerat præformatum. S. Leo ſ. 3. de Epiph.

De fuga in Aegiptum.

CAPVT XIX.

Illuſtris nati Iudæorum Regis, pupputi Numinis fama, nuncio prius ſidere, tum peregrinorum Regum ſereniſſimis ſplendoribus illuſtrior, Hieroſolymitanis Simeonis, & Annæ oraculis ita inclaruerat, vt coronatus tenebrio Herodes Aſcalonita, lippientibus ex ambitionis fumo, oculis, tantam lucem

lucem ferre non poſſet. Phoſphorum ficta pietate fugarat e cælo: aperta nunc impietate ſolem in terris conatur extinguere. Quid aliud expectari poterat ab immaniſſimo Tyranno, cui MAGNI titulum non granditas virtutum contulit, ſed vitiorum? Ad ſummum enim inſectandi, & perdendi, ſi fieri potuiſſet Dei ſcelus, non niſi per ſcelerum omniũ gradus aſcenditur. Hic Iudaici regni, vti violentus prædo, ita ſpurius Hæres, verus idololatra Idumæus Hebræum mentiens, Regum carnifex. Patriæ parricida, populi populator, Natorum hoſtis, Coniugum lanio, Pontificum Poppa, ſceleſtiſſimus omnium Hebreorum Regum, impiorum epilogus, Roboam iuuenis, Manaſſes vir, Salomon ſenex, vnus omnes æquauit, & cumulo omnium ſcelerum auctarium addidit, cum Deum Infantem neci deſtinauit. Sed fruſtra iacitur rete ab iniquiſſimo inſidiatore. Cælum ſiquidem verus Argus, nouo ſidere oculatum, ſuis cuſtodiendis amoribus vigilabat. Affuit igitur illiquò ex Empyrei aula Angelus monitor, qui IOSEPHO, magno diuinæ familię Æconomo ſeceſſionem cum Sponſa Virgine, & Puero IESV in Ægyptum imperans, vnigenitum æterni Patris Filium, ac Dominum ſuum Herodiano ferro ſubduxit. Ita Aſcalonitam Hærodem illuſit Deus Infans, vt ab Antipa Vir illudi poſſet, vitam fæneratus morti truculentiori, deſtinatoque in adulto corpore maioribus vulneribus loco. Interim Hebræus Tyrannus immaniſſima barbarie, quam Buſiris, & Mezentius, & alia omnia coronata monſtra exhorruiſſent, ratus occultari magnum illum Infantem, quem pe-

regrini Reguli in orbe Regia quæritauerant, & Bethleem natum in ſpem Iudaici Regni diuinæ legis peritis pronunciarant, immiſſa militum ſuorum, ſuique ſimilium manu, ambitione in iram, ira in inſaniam migrante, ne aberraret a ſcopo, innocentem populum omnium lactentium puerorum, qui infra biennium, intra Bethlemicos fines viuebant, laniena ſæculis omnibus inaudita, iuſſit trucidari. Amentiſſimi furoris truculenta fræneſis fuit, vnum, & bimeſtrem hoſtem, quattuordecim mille bimulorum, etiam Infantium carnificina veriu, quam eæde vlciſci, vecordi crudelitate menſes in annos diſtrahente, & millenos in vno numerante. Sed Hærodes iuſſit, nec immanius facinus, cælum exhorruit, Auernus ſuaſit, tellus ſuſtinuit. Ad hoc palmare nefas per nobilium in Regno, Principum in aula, Sacerdotum in Templo, Pontificum Regij ſanguinis in aris, vxorum in thalamo, filiorum in ſolio, ac fere dixerim in ſinu, Hærodianum ferrum proluſerat. Hac pompa occiſis tot Innocentium millibus Herodes de innocentia triumphauit. Sed glorioſius innocentia de Hærode triumphat; nam innocentes victores alios e gladio, alios ex haſta pendentes, alios manibus eliſos, alios attritos pedibus, alios ſolo ipſo barbari mucronis horrore extinctos, e matrum ſinu in cæleſte capitolium ſumma felicitate nil tale cogitantes laureatos tranſcripſit. Non aliud a liuenti Tyranno poſt encomiaſticæ famæ tonans præconium expectari poterat præter inuidiæ fulgur, & crudelitatis fulmen, quod vnico ictu innumeros ſterneret. Vno ſiquidem vulnere tota pietas proſti-

profligatur, cum idem filiorum corpora, parentum corda, omniumque conſanguineorum & affinium oculos lacerat. O execrandum bellum, vbi nocentis ferrum nocet tantum innocenti! Proh quantum cruoris ſparſit vnius Hærodis vox, lanionum exercitum armans! Proh quantam vim lachrymarum ebibit tot innocentium cæſorum cinis! Inmanis hæc beatorum Infantium cædes, ſummæ Heródis crudelitati debebitur, quæ nullo violati iuris, ſiue humani, ſiue diuini prætextu ſolam naturæ puniret innocentiam. Sed politicus Argus centum oculis ſui regni cuſtodiæ inuigilans, prorſus cæcutijt, amplificata quidem tyrannide, ſed tot innocentium cæde, regno imminuto. Imò prima hæc procella, quam Aula Herodis turbata excitauit, cruentum tandem peperit toti regno naufragium. Nulla ſiquidem inter homines in vrbano mari atrocior tempeſtas eſt, quam cum ſanguine filiorum creſcunt parentum lachrymæ. Tunc omnem vndam decumanam eſſe ſcias, & a prima etiam, mortem deſpumari. Nihil impotentius ira potentis: nihil populis grauius ſuperba Principis leuitate. Hæc Herodiana barbaries in Iudaiſmo inter paternas vindicias numerari poteſt. Odia nimirum in Dauidis familiam Aſcalonita Herodes e Philiſteorũ genere exercet. Sed ſecundus Goliathus maius aliquid Dauide inueniet. Ignauus Imperator primum de Sacerdotibus, ſecundum de pueris triumphum egit vtrunque impium, & imbellem. Addidit tertium cum iuſtus ſimul, & iniuſtus ſe ipſum in Filio perdens, occidit. At perditiſſimus hominum prorſus fuit, vbi

poſt homines etiam Deum perdere conatus eſt; inutili conſilio, & inſano, cum iam dudum Atheus Herodes ſine Deo eſſet, & potiori iure Herodem Deus fugeret, quam Deum fugaret Herodes, qui filiorum ſanguinem cum vxoris ſanguine miſcens ipſum Tartari fundatorem Cainum ſuperarat, & omni humanitate profligata, Diuinitati bellum indixerat. Hærode cæſo inter vigilias ſuas ſomniante, ſomnus IOSEPHVM fecit in Pueri diuini cuſtodia peruigilem, & plus iſtius ſomnia, quam illius vigiliæ ſapuerunt. Hic ſomnus, cum fuerit ſalutarium vigiliarum pater, & Seruatoris ſeruator, non frater mortis dicatur, ſed vitæ. Iter illiquò nocturnum aggrediuntur IESVS, MARIA, IOSEPH; & iure cordium graſſatores. Aduerſus Tyrannos fuga ipſa triumphalis eſt: cedendo cædis, & cum illum eludis, elidis. In Egyptum fugiens diuina familia totam omnium bonorum felicem Arabiam, & ipſum deliciarum Paradiſum ex Aſia ſecum in Aphricam detulit. Armatum venerat cum exercituum Deo in Iudæam tabernaculum fœderis: pacatum nunc cum Principe pacis in Iudæam reducitur. Par orbi felicitas, claudi indigena paleſtino regno non potuit, vnde peregrinari ex Aſia in Aphricam debuit, & vtranque ſuis beneficijs coniungere. Nec mirum videri debet Aſiam, & Aphricam IESV, ac MARIÆ beneficijs iungi, cum Mediatores ſalutis iſthmus etiam cæli, ac terræ, eſſe potuerint. Ne tamen exules voces peregrinos cælo hoſpite dignos; & perfugas charitatis. Innocentia inquilina cæli in terris, & mundo maior proſcribi non poteſt, nec mira-

miraculum patientiæ fieri ludibrium impietatis. Homines fugit IESVS amor, vt trahat, ſeruatur vt ſeruet, nec vindicem Herodem Deus timet, ſed Deum iudicem Herodes, qui furatus Hebræum ſceptrum dudum ſub diademate Regio, coronatum latronem agebat. Imò nec fugit, nam Sanctus Sanctorum ab vrbe Nazarena in Egyptum migrans Nazaræus eſſe non deſijt, ac teterrimum monſtrum Hærodes ferè Aphricam fecerat in Iudea. Certè Egyptijs habitantibus in regionibus vmbræ mortis noua lux oritur, Hebreisque flagellum infligitur tenebrarum. Immaniori Faraoni ſeruiebant: ergo plagis Ægyptij feriantur. Quæ enim maior noctis cæcitas, quam vbi Deus naſcens, Sol oriens non videtur? Ita ſæpe beneficium ab ingratis tranſmigrat in immerentes, & pæna a nocentibus regreditur ad ingratos. Ingens prodigium fuit peregrinari Deum vbique præſentem; nec tamen ab vniuerſa natura hoſpitalia prodigia defuerunt. Inter alia arbores ferunt IESVM in MARIÆ ſinu, nimirum in epiciclo bonorum omnium peregrinantem, inclinatis vbique frondibus ſalutaſſe. Adorarunt Dominum, Victorem in fuga triumphali coronarunt. Feritatem expertus in vrbibus: vrbanitatem in ſyluis inter feras inuenit. Tantum fuit nimirum ſtipitibus ingenium, tanta truncis ipſis humanitas, vt peccata hominum plantæ corrigerent, & maleficia vrbium beneficiis obſequijs ſyluæ compenſarent. In inclinatis, & aſſurgentibus arboribus incipiunt exultare *omnia ligna ſyluarum a facie* Cruciarij DOMINI, cuius Cruce omnis erat arbor hone-

honeſtanda. Annuunt Puppulo iam tum cruces poſcēti, & cum deſponſari viro exoptent, iam tum anticipatis amoribus Infantem ſalutant, & in amplexus, atque oſcula ruunt. Orpheus diuinus non cantu, ſed vagitu ſequacia nemora trahit. Feciſſent illa penſilem Paradiſum Numini peregrinanti, niſi meliorem in MARIÆ ſinu vidiſſent. Auro crinali ſponſi cæleſtis, Abſalonis innocentis, arbores in fuga non laqueum, ſed coronam implicant. Seruator tamen non vnius hominis, ſed omnium pluribus quernis coronari debebat. Ita magnus omnium amorum magnes IESVS, amantes etiam ſtipites traxit. Addita eſt ferarum humanitas non minor in ſyluis, quam fuerat hominum in vrbibus feritas. Certè victo Hærode nullum diuina familia, a quo ſibi timeret, monſtrum, ne quidem in Aphrica reperit. Inſigni tandem prodigio diuina peregrinatio ad metam properans illuſtris fuit, cum Ægyptia arbor, vt IESVM, MARIAM, & IOSEPHVM amanter exciperet, ligneum pectus aperuit. Mitius agit peregrina Ægyptus, quam patria Bethleem. Illa in vrbe ſaxeam ſpecum naſcenti dedit: hæc ligneam molliorem fugienti, aptam peregrinanti Nazareno viridem domum. Si tales Nilus arbores educat, meretur cum Eridano cælum; niſi iam Stellas ſuperent, Stillæ ex Infantis oculis, in ſinum Matris, depluentes. Innocenti Adamo, & Euæ lignum vitæ etiam extra Paradiſum debebatur. Supra Ægyptias pyramides ſublimiorem veneror humilis arboris truncum. Illæ Pharaonum, & Ptolemæorum caduci tumuli fuerunt: hæc

totius

totius diuinæ familiæ peregrinantis viride frondibus nunquam caſuris hoſpitium, & ſylueſtris Regia. Iure tamen moriturus cruciarius Deus in ſinu mortuæ arboris, viuæ arboris Infans ſinu includitur, rudimento ſalutari, ipſa infantia morti proludente. Ita reuerentia Diuinitatis, & amor, trunci etiam exanimis cor emollijt, iuſſitq; etiam durum ſtipitem peregrino Deo eſſe hoſpitalem. Hiſce auſpicatiſſimis prodigijs Deus infans Egyptum intrauit. Agnouit barbara memphis ex MARIA Deum Pharaonis, ex IOSEPHO Seruatorem Ægypti. Imo in IESV nouum Moyſem agnouit, qui ſimul Ægyptium regnum prodigijs vinceret, & prodigalitate ſeruaret. Implebat ſui nominis etymon Aphrica Babylon cõfuſo rerum ordine Rempublicam, quam fundabat euertens. Erant peruerſa omnia & vbique Babylonicum Chaos. Pecudes colebantur in ſtabulis: Dij ſupra altaria ſtabulabantur: Anubis in Templo latrabat: Iſis mugiebat: Cepæ olebant, & execrabiles in aquis Crocodili, adorabantur in aris. Ignaui ſimul canes timebantur a Dominis: a ſtolidis armentis paſtores regebantur: fætentia olera a colonis adolebantur, & homicidæ Crocodili ab hominibus amabantur. Papè quid homines in Ægipto erant, ſi infra homines brutales Dij? Sed purgauit ſtatim Ægypti ſtabulum verus monſtrorum domitor Hercules diuinus. Ante veri Dei pedes falſa ſuperſtitio iacere potuit, non ſtare. Adorata Aegypti ſimulacra ceciderunt, an vt adorarent, an ne amplius adorarentur, neſcias. Prope virginea Numina Matris, & Filij non decebat templorum armenta ſtabulari. Vbi

VER-

VERBVM Dei ſenſit: agnouit Dominum, & ſiluit latrator Anubis. Iſis quoque Aegyptia vacca a Bethlemico Boue didicit adorare poſſeſſorem ſuum. Antropophagi tandem Crocodili venerati ſunt hominum Seruatorem.



ELECTIORA
E Sacris Scripturis, SS. Patribus, Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Doctoribus Scholaſticis de fuga in Ægyptum.

SYNOPSIS.

1 ÆGyptiacæ peregrinationis occaſio. 2. IOSEPHVS ab Angelo de ſeceſſione cum tota familia in Aegyptum. quam congruè monitus fuerit. 3. Quando nam. 4. Et qui nam fuerit Angelus monitor. 5. Multum tamen MARIAE Deiparæ debemus. 6. Cur in Aegyptum fuga deſtinata fuerit? 7. IESV, MARIAE, & IOSEPHI diuinis mandatis inſignis obedientia. 8. Et ob ſanctiſſimos fines. 9. Paulò ante Innocentium Infantium fœdiſſimam lanienam. 10. Aegyptij itineris difficultates. 11. An maritimum illud fuerit, an terreſtre? 12. Quodnam, & quam longum? 13. An in ingreſſu in Aegyptum monſtroſa illius idola corruerint? 14. De illuſtribus alijs prodigijs præſertim arbore hoſpitali prope peregrinationis metam.

Ægyptiaca peregrinationis occaſio.

I.

AVditi muſici Cęlitùm chori ſupra Bethlemicam ſpecum, viſum nouum in cælo ſidus, & eius ducatu tracti ab ignoto orbe Reguli adoratores, & alia natalia prodigia ſuſpicionem nati Meſſiæ ingenerarant. Sed oracula Simeonis & Annæ ita Herodem terruerunt, ac fere proſtrarunt, vt truculentiſſimam Bethlemicorum Infantium lanienam ſuaſerint metu in furorem migrante. Exiſtimabat non inuento nouo Rege peregrinos Toparchas non auſos fuiſſe in eius conſpectum redire, & citò citius clàm aufugiſſe. Ab diſſeminata tam illuſtri fama, & probatiſſimis in Templo ipſo Hieroſo-

Hieroſolymitano Venerabilis Sacerdotis, & ſanctiſſimæ Viduæ teſtimonijs de Infante Meſſia, cum illi acclamari ab omnibus videret perſuaſum habuit ſe a SS. Magis illuſum fuiſſe, inijtque ex hac occaſione vt notat S. Auguſtin. l. 2. de conſ. euang. c. 1. & poſt ipſum Vener. Beda in Matth. 2. immane conſilium. Interim dum Herodes barbarum facinus molitur, quo teſte doctiſſimo Origene hom. 3. omnium ſceleſtorum ſcelera longe ſuperauit, monito in ſomnis IOSEPHO de ſeceſſione in Egyptum Deum Filium ſuum, totamque ſacroſanctam familiam e faucibus coronati monſtri eripuit. Impleri debebat oraculum illud Iſa. 16. *Emitte Agnum Domine Dominatorem terræ de petra deſerti ad montem filiæ Sion. Et erit ſicut auis fugiens, & pulli de nido euolantes.* Apta etiam ſunt in hac Sponſi cæleſtis fuga illa amantis Sponſę verba cantic. 8. *Fuge dilecte mi: aſſimilare capreæ, hinnuloque ceruorum.* Licet enim hęc verba de fuga in cęlum triumphali in die Aſcenſionis interpretentur Caſſiodorus, Philo, Carpathius, Iuſtinus, Alanus, & alij; non deſunt tamen, qui de fuga in Aegyptum huius Sponſi ſanguinum in ſua infantia benè, & aptè explicent, quibus ſuffragatur Io. Carthag. t. 3. l. 9. hom. 1.

IOSEPHVS ab Angelo de ſeceſſione cum tota familia in Aegyptum, quam congruè monitus fuerit.

II.

ANgelicum monitum ex Euangelica hiſtoria apertiſſimum eſt, vti occaſio fugæ ex Herodis immanitate. IOSEPHVM maximè

mè decuiſſe moneri totius diuinæ familiæ Æconomum, non MARIAM multis rationibus probat Io. Bapt. Nouatus t. 1. c. 15. q. 1. Illa alioquin eminentiſſima ſacrarum litterarum ſcientia illuſtrata illud Iſa 19. optimè intelligebat. *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem & ingredietur Aegyptum, & commouebuntur ſimulacra Ægypti &c.* quod de eius fuga in Ægyptum explicant Procopius in Iſa. S. Athanaſ. t. 1. l. de Incarn. Verbi Dei. Euſebius l. de demonſt. & alij. Illud etiam Oſee. *Ex Ægypto vocaui Filium meum* optimè intelligebat, quod communiter Patres in eodem ſenſu interpretantur, vt notat, & refert Suarez t. 2. in 3. p. d. 17. ſ. 1.

Quandonam?

III.

NON eſt vna omnium PP. ſententia, quando nam IOSEPHVS dormiens monitus fuerit. S. Auguſt. l. 2. de conſ. Euang. c. 5. putat admonitum fuiſſe ſtatim poſt Purificationem, & ab Vrbe Hieroſolyma illiquò in Ægyptum migraſſe. S. Bonauent. in l. de vita Ch. c. 21. cenſet Deip. Virginem poſt ſuam legalem purgationem, ELISABETHAM inuiſiſſe, & Infantem Baptiſtam, cumque ad Vrbem patriã regrederetur, antequam illhuc perueniret Angelo monitore cum IOSEPHO, & puero IESV fugam in Ægyptum inijſſe. In hac opinione videtur fuiſſe Ammonius Alexand. in Harmon. Euangel. Vnde hæc ſcripſit. *Ioſeph rediens Nazareth oraculo admonitus eſt, vt fuga in Ægyptum Infantis vita conſulat.* Ex S. Lucæ verbis c. 2., *Et vt perfecerunt omnia*

regrini Reguli in orbe Regia quæritauerant, & Bethleem natum in ſpem Iudaici Regni diuinæ legis peritis pronunciarant, immiſſa militum ſuorum, ſuique ſimilium manu, ambitione in iram, ira in inſaniam migrante, ne aberraret a ſcopo, innocentem populum omnium lactentium puerorum, qui infra biennium, intra Bethlemicos fines viuebant, laniena ſæculis omnibus inaudita, iuſſit trucidari. Amentiſſimi furoris truculenta frænefis fuit, vnum, & bimeſtrem hoſtem, quatuordecim mille bimulorum, etiam Infantium carnificina veriu, quam eæde vlciſci, vecordi crudelitate menſes in annos diſtrahente, & millenos in vno numerante. Sed Hærodes iuſſit, nec immanius facinus, cælum exhorruit, Auernus ſuaſit, tellus ſuſtinuit. Ad hoc palmare nefas per nobilium in Regno, Principum in aula, Sacerdotum in Templo, Pontificum Regij ſanguinis in aris, vxorum in thalamo, filiorum in ſolio, ac fere dixerim in ſinu, Hærodianum ferrum proluſerat. Hac pompa occiſis tot Innocentium millibus Herodes de innocentia triumphauit. Sed glorioſius innocentia de Hærode triumphat; nam innocentes victores alios e gladio, alios ex haſta pendentes, alios manibus eliſos, alios attritos pedibus, alios ſolo ipſo barbari mucronis horrore extinctos, e matrum ſinu in cæleſte capitolium ſumma felicitate nil tale cogitantes laureatos tranſcripſit. Non aliud a liuenti Tyranno poſt encomiaſticæ famæ tonans præconium expectari poterat præter inuidiæ fulgur, & crudelitatis fulmen, quod vnico ictu innumeros ſterneret. Vno ſiquidem vulnere tota pietas

proſti-

profligatur, cum idem filiorum corpora, parentum corda, omniumque conſanguineorum & affinium oculos lacerat. O execrandum bellum, vbi nocentis ferrum nocet tantum innocenti! Proh quantum cruoris ſparſit vnius Hærodis vox, lanionum exercitum armans! Proh quantam vim lachrymarum ebibit tot innocentium cæſorum cinis! Inmanis hæc beatorum Infantium cædes, ſummæ Herodis crudelitati debebitur, quæ nullo violati iuris, ſiue humani, ſiue diuini prætextu ſolam naturæ puniret innocentiam. Sed politicus Argus centum oculis ſui regni cuſtodiæ inuigilans, prorſus cæcutijt, amplificata quidem tyrannide, ſed tot innocentium cæde, regno imminuto. Imò prima hæc procella, quam Aula Herodis turbata excitauit, cruentum tandem peperit toti regno naufragium. Nulla ſiquidem inter homines in vrbano mari atrocior tempeſtas eſt, quam cum ſanguine filiorum creſcunt parentum lachrymæ. Tunc omnem vndam decumanam eſſe ſcias, & a prima etiam, mortem deſpumari. Nihil impotentius ira potentis: nihil populis grauius ſuperba Principis leuitate. Hæc Herodiana barbaries in Iudaiſmo inter paternas vindicias numerari poteſt. Odia nimirum in Dauidis familiam Aſcalonita Herodes e Philiſteorū genere exercet. Sed ſecundus Goliathus maius aliquid Dauide inueniet. Ignauus Imperator primum de Sacerdotibus, ſecundum de pueris triumphum egit vtrumque impium, & imbellem. Addidit tertium cum iuſtus ſimul, & iniuſtus ſe ipſum in Filio perdens, occidit. At perditiſſimus hominum prorſus fuit, vbi

poſt

poſt homines etiam Deum perdere conatus eſt; inutili conſilio, & inſano, cum iam dudum Atheus Herodes ſine Deo eſſet, & potiori iure Herodem Deus fugeret, quam Deum fugaret Herodes, qui filiorum ſanguinem cum vxoris ſanguine miſcens ipſum Tartari fundatorem Cainum ſuperarat, & omni humanitate profligata, Diuinitati bellum indixerat. Hærode cæſo inter vigilias ſuas ſomniante, ſomnus IOSEPHVM fecit in Pueri diuini cuſtodia peruigilem, & plus iſtius ſomnia, quam illius vigiliæ ſapuerunt. Hic ſomnus, cum fuerit ſalutarium vigiliarum pater, & Seruatoris ſeruator, non frater mortis dicatur, ſed vitæ. Iter illiquò nocturnum aggrediuntur IESVS, MARIA, IOSEPH; & iure cordium graſſatores. Aduerſus Tyrannos fuga ipſa triumphalis eſt: cedendo cædis, & cum illum eludis, elidis. In Egyptum fugiens diuina familia totam omnium bonorum felicem Arabiam, & ipſum deliciarum Paradiſum ex Aſia ſecum in Aphricam detulit. Armatum venerat cum exercituum Deo in Iudæam tabernaculum fœderis: pacatum nunc cum Principe pacis in Iudæam reducitur. Par orbi felicitas, claudi indigena paleſtino regno non potuit, vnde peregrinari ex Aſia in Aphricam debuit, & vtranque ſuis beneficijs coniungere. Nec mirum videri debet Aſiam, & Aphricam IESV, ac MARIÆ beneficijs iungi, cum Mediatores ſalutis iſthmus etiam cæli, ac terræ, eſſe potuerint. Ne tamen exules voces peregrinos cælo hoſpite dignos; & perfugas charitatis. Innocentia inquilina cæli in terris, & mundo maior proſcribi non poteſt, nec mira-

miraculum patientiæ fieri ludibrium impietatis. Homines fugit IESVS amor, vt trahat, ſeruatur vt ſeruet, nec vindicem Herodem Deus timet, ſed Deum iudicem Herodes, qui furatus Hebræum ſceptrum dudum ſub diademate Regio, coronatum latronem agebat. Imò nec fugit, nam Sanctus Sanctorum ab vrbe Nazarena in Egyptum migrans Nazaræus eſſe non deſijt, ac teterrimum monſtrum Hærodes ferè Aphricam fecerat in Iudea. Certè Egyptijs habitantibus in regionibus vmbræ mortis noua lux oritur, Hebreisque flagellum infligitur tenebrarum. Immaniori Faraoni ſeruiebant: ergo plagis Ægyptij feriantur. Quæ enim maior noctis cæcitas, quam vbi Deus naſcens, Sol oriens non videtur? Ita ſæpe beneficium ab ingratis tranſmigrat in immerentes, & pæna a nocentibus regreditur ad ingratos. Ingens prodigium fuit peregrinari Deum vbique præſentem; nec tamen ab vniuerſa natura hoſpitalia prodigia defuerunt. Inter alia arbores ferunt IESVM in MARIÆ ſinu, nimirum in epiciclo bonorum omnium peregrinantem, inclinatis vbique frondibus ſalutaſſe. Adorarunt Dominum; Victorem in fuga triumphali coronarunt. Feritatem expertus in vrbibus: vrbanitatem in ſyluis inter feras inuenit. Tantum fuit nimirum ſtipitibus ingenium, tanta truncis ipſis humanitas, vt peccata hominum plantæ corrigerent, & maleficia vrbium beneficiis obſequijs ſyluæ compenſarent. In inclinatis, & aſſurgentibus arboribus incipiunt exultare *omnia ligna ſyluarum a facie* Cruciarij DOMINI, cuius Cruce omnis erat arbor

hone-

honeſtanda. Annuunt Puppulo iam tum cruces poſcēti, & cum deſponſari viro exoptent, iam tum anticipatis amoribus Infantem ſalutant, & in amplexus, atque oſcula ruunt. Orpheus diuinus non cantu, ſed vagitu ſequacia nemora trahit. Feciſſent illa penſilem Paradiſum Numini peregrinanti, niſi meliorem in MARIÆ ſinu vidiſſent. Auro crinali ſponſi cæleſtis, Abſalonis innocentis, arbores in fuga non laqueum, ſed coronam implicant. Seruator tamen non vnius hominis, ſed omnium pluribus quernis coronari debebat. Ita magnus omnium amorum magnes IESVS, amantes etiam ſtipites traxit. Addita eſt ferarum humanitas non minor in ſyluis, quam fuerat hominum in vrbibus feritas. Certè victo Hærode nullum diuina familia, a quo ſibi timeret, monſtrum, ne quidem in Aphrica reperit. Inſigni tandem prodigio diuina peregrinatio ad metam properans illuſtris fuit, cum Ægyptia arbor, vt IESVM, MARIAM, & IOSEPHVM amanter exciperet, ligneum pectus aperuit. Mitius agit peregrina Ægyptus, quam patria Bethleem. Illa in vrbe ſaxeam ſpecum naſcenti dedit: hæc ligneam molliorem fugienti, aptam peregrinanti Nazareno viridem domum. Si tales Nilus arbores educat, meretur cum Eridano cælum; niſi iam Stellas ſuperent, Stillæ ex Infantis oculis, in ſinum Matris, depluentes. Innocenti Adamo, & Euæ lignum vitæ etiam extra Paradiſum debebatur. Supra Ægyptias pyramides ſublimiorem veneror humilis arboris truncum. Illæ Pharaonum, & Ptolemæorum caduci tumuli fuerunt: hæc

totius

totius diuinæ familiæ peregrinantis viride frondibus nunquam caſuris hoſpitium, & ſylueſtris Regia. Iure tamen moriturus cruciarius Deus in ſinu mortuæ arboris, viuæ arboris Infans ſinu includitur, rudimento ſalutari, ipſa infantia morti proludente. Ita reuerentia Diuinitatis, & amor, trunci etiam exanimis cor emollijt, iuſſitq; etiam durum ſtipitem peregrino Deo eſſe hoſpitalem. Hiſce auſpicatiſſimis prodigijs Deus infans Egyptum intrauit. Agnouit barbara memphis ex MARIA Deum Pharaonis, ex IOSEPHO Seruatorem Ægypti. Imo in IESV nouum Moyſem agnouit, qui ſimul Ægyptium regnum prodigijs vinceret, & prodigalitate ſeruaret. Implebat ſui nominis etymon Aphrica Babylon cōfuſo rerum ordine Rempublicam, quam fundabat euertens. Erant peruerſa omnia & vbique Babylonicum Chaos. Pecudes colebantur in ſtabulis: Dij ſupra altaria ſtabulabantur: Anubis in Templo latrabat: Iſis mugiebat: Cepæ olebant, & execrabiles in aquis Crocodili, adorabantur in aris. Ignaui ſimul canes timebantur a Dominis: a ſtolidis armentis paſtores regebantur: fætentia olera a colonis adolebantur, & homicidæ Crocodili ab hominibus amabantur. Papè quid homines in Ægipto erant, ſi infra homines brutales Dij? Sed purgauit ſtatim Ægypti ſtabulum verus monſtrorum domitor Hercules diuinus. Ante veri Dei pedes falſa ſuperſtitio iacere potuit, non ſtare. Adorata Aegypti ſimulacra ciciderunt, an vt adorarent, an ne amplius adorarentur, neſcias. Prope virginea Numina Matris, & Filij non decebat templorum armenta ſtabulari. Vbi

VER-

VERBVM Dei ſenſit: agnouit Dominum, & ſiluit latrator Anubis. Iſis quoque Aegyptia vacca a Bethlemico Boue didicit adorare poſſeſſorem ſuum. Antropophagi tandem Crocodili venerati ſunt hominum Seruatorem.



XLI-

ELECTIORA
E Sacris Scripturis, SS. Patribus, Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Doctoribus Scholaſticis de fuga in Ægyptum.

SYNOPSIS.

1 ÆGyptiacæ peregrinationis occaſio. 2. IOSEPHVS ab Angelo de receſſione cum tota familia in Aegyptum, quam congruè monitus fuerit. 3. Quando nam. 4. Et qui nam fuerit Angelus monitor. 5. Multum tamen MARIAE Deiparæ debemus. 6. Cur in Aegyptum fuga deſtinata fuerit? 7. IESV, MARIAE, & IOSEPHI diuinis mandatis inſignis obedientia. 8. Et ob ſanctiſſimos fines. 9. Paulò ante Innocentium Infantium fœdiſſimam lanienam. 10. Aegyptij itineris difficultates. 11. An maritimum illud fuerit, an terreſtre? 12. Quodnam, & quam longum? 13. An in ingreſſu in Aegyptum monſtroſa illius idola corruerint? 14. De illuſtribus alijs prodigijs præſertim arbore hoſpitali prope peregrinationis metam.

Ægyptiacæ peregrinationis occaſio.

I.

AVditi muſici Cęlitùm chori ſupra Bethlemicam ſpecum, viſum nouum in cælo ſidus, & eius ducatu tracti ab ignoto orbe Reguli adoratores, & alia natalia prodigia ſuſpicionem nati Meſſiæ ingenerarant. Sed oracula Simeonis & Annæ ita Herodem terruerunt, ac fere proſtrarunt, vt truculentiſſimam Bethlemicorum Infantium lanienam ſuaſerint metu in furorem migrante. Exiſtimabat non inuento nouo Rege peregrinos Toparchas non auſos fuiſſe in eius conſpectum redire, & citò citius clàm aufugiſſe. Ab diſſeminata tam illuſtri fama, & probatiſſimis in Templo ipſo Hieroſo-

Hieroſolymitano Venerabilis Sacerdotis, & ſanctiſſimæ Viduæ teſtimonijs de Infante Meſſia; cum illi acclamari ab omnibus videret perſuaſum habuit ſe a SS. Magis illuſum fuiſſe, inijtque ex hac occaſione vt notat S. Auguſtin. l. 2. de conſ. euang. c. 1. & poſt ipſum Vener. Beda in Matth. 2. immane conſilium. Interim dum Herodes barbarum facinus molitur, quo teſte doctiſſimo Origene hom. 3. omnium ſcelestorum ſcelera longe ſuperauit, monito in ſomnis IOSEPHO de ſeceſſione in Egyptum Deum Filium ſuum, totámque ſacroſanctam familiam e faucibus coronati monſtri eripuit. Impleri debebat oraculum illud Iſa. 16. *Emitte Agnum Domine Dominatorem terræ de petra deſerti ad montem filiæ Sion. Et erit ſicut auis fugiens, & pulli de nido euolantes.* Apta etiam ſunt in hac Sponſi cæleſtis fugâ illa amantis Sponſę verba cantic. 8. *Fuge dilecte mi: aſſimilare capreæ, hinnuloque ceruorum.* Licet enim hęc verba de fuga in cęlum triumphali in die Aſcenſionis interpretentur Caſſiodorus, Philo, Carpathius, Iuſtinus, Alanus, & alij; non deſunt tamen, qui de fuga in Aegyptum huius Sponſi ſanguinum in ſua infantia benè, & aptè explicent, quibus ſuffragatur Io. Carthag. t. 3. l. 9. hom. 1.

IOSEPHVS ab Angelo de ſeceſſione cum tota familia in Aegyptum, quam congruè monitus fuerit.

II.

ANgelicum monitum ex Euangelica hiſtoria apertiſſimum eſt, vti occaſio fugæ ex Herodis immanitate. IOSEPHVM maximè

mè decuiſſe moneri totius diuinæ familiæ Æconomum, non MARIAM multis rationibus probat Io. Bapt. Nouatus t. 1. c. 15. q. 1. Illa alioquin eminentiſſima ſacrarum litterarum ſcientia illuſtrata illud Iſa 19. optimè intelligebat. *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem & ingredietur Aegyptum, & commouebuntur ſimulacra Ægypti &c.* quod de eius fuga in Ægyptum explicant Procopius in Iſa. S. Athanaſ. t. 1. l. de Incarn. Verbi Dei. Euſebius l. de demonſt. & alij. Illud etiam Oſee. *Ex Ægypto vocaui Filium meum* optimè intelligebat, quod communiter Patres in eodem ſenſu interpretantur, vt notat, & refert Suarez t. 2. in 3. p. d. 17. ſ. 1.

Quandonam?

III.

NON eſt vna omnium PP. ſententia, quando nam IOSEPHVS dormiens monitus fuerit. S. Auguſt. l. 2. de conſ. Euang. c. 5. putat admonitum fuiſſe ſtatim poſt Purificationem, & ab Vrbe Hieroſolyma illiquò in Ægyptum migraſſe. S. Bonauent. in l. de vita Ch. c. 21. cenſet Deip. Virginem poſt ſuam legalem purgationem, ELISABETHAM inuiſiſſe, & Infantem Baptiſtam, cumque ad Vrbem patriā regrederetur, antequam illhuc perueniret Angelo monitore cum IOSEPHO, & puero IESV fugam in Ægyptum inijſſe. In hac opinione videtur fuiſſe Ammonius Alexand. in Harmon. Euangel. Vnde hæc ſcripſit. *Ioſeph rediens Nazareth oraculo admonitus eſt, vt fuga in Ægyptum Infantis vita conſulat.* Ex S. Lucæ verbis c. 2., *Et vt perfecerunt omnia*

ſecundum legem Domini reuerſi ſunt in Galileam in Ciuitatem ſuam Nazareth videtur certum, hanc Ægyptiam ſeceſſionem non ſolum ad Matris Purificationem, Filijque oblationem, ſed ad regreſſum Nazarenum conſequutam fuiſſe.

Et quinam fuerit Angelus monitor?

IV.

ORigene teſte hom. 3. in diu. fuit Gabriel, quia commendatum habebat, vt ait ipſe, *negotium Incarnationis*. Non eſt tamen exiſtimandũ iuxta Sebaſtian. Barrad. in comm. huius loci corpore aereo indutum ſe in conſpectum S. IOSEPHI dediſſe, & humana voce, ſono ſenſili loquutum fuiſſe, ſed per ſpecies phantaſiæ impreſſas, quæ Angelum præſentem, loquentemque repræſentarent. Hinc certus fuit de toto diuino conſilio. Hoc ſolemne eſt Deo inquit S. Thomas 1. Cor. 14. Prophetas in ſomnis futura docere iuxta illud Numer. 12. *Si fuerit Propheta Domini inter vos per ſomnium loquar ad illos* imò iuſtos omnes iuxta illud Iob. 10. *Per ſomnium in viſione nocturna, quando ſopor irruit ſuper homines, & dormiunt in lectulo ſuo, tunc aperit aures virorum, & erudiens eos inſtituit diſciplina.*

Multum tamen MARIÆ Deiparæ debemus?

V.

HÆC itineris comes, laborum, periculorumque conſors, Regis Regum Seruatoris cum Virgine Sponſo ſeruatrix, cum magna illa Heroina Ioſabeth, a qua Infantulus Ioas Rex Iudæ ſeruatus eſt, e Pet. Chryſol. hiſce

hiſce aureis verbis confertur hom. 151. *Ioſabeth Filiam Regis furatam eſſe Infantulum Regium Scriptura prodit, ne ab Athalia impia fœmina ſemen omne Regium extingueretur. Clam ergo nutriendum curauit ad Regni Iſraelitici ſpem. Maria verò mundi totius ſalutem in vno Paruulo poſitam cernens, ad ſpem regni cæleſtis ipſum æternitatis heredem fuga nobis, & latebris conſeruauit.*

Cur in Aegiptum fuga deſtinata fuerit?
VI.

ACcipiamus a S. Th. reſponſionem caten. aur. in c. 2. Matth. Angel. Dc &. dignam. *Quare in Ægyptum? recordatus eſt Dominus, qui non in finem iraſcitur, quanta mala fecerit ſuper Ægyptum; ideò miſit Filium ſuum in eam, vt det illi magna reconciliationis ſignum, vt decem plagas Aegypti vna medicina ſanaret, vt populus, qui antea fuerat perſequutor populi primogeniti, cuſtos fieret Filij vnigeniti, vt qui illi violenter dominati ſunt, iſti cum deuotione ſeruirent, vt iam non irent ad mare rubrum demergendi, ſed vocarentur ad aquas baptiſmatis viuificandi.* Glorioſior futura erat in Ægypto, quam in vlla alia regione de tartareo hoſte victoria, nam vt ait S. Cyrill. in c. 1. Iſa. *Aegyptij præ alijs ſuperſtitioſiſſimi delubra paſſim, & ſimulacra infinita habebant. Adorauerunt volatilia & piſces, & capram, & ouem; & vitulus ab illis in honore habitus eſt.* Imò ex D. Io. Chryſoſt. hom. 8. in Matth., & alijs tum ſacris, tum profanis Scriptoribus adorabant fæ-tentia olera Ægyptij vti allia, & cæpas.

IESV, MARIÆ, & IOSEPHI diuinis mandatis inſignis obedientia.

VII.

ANgelico monito, diuinoque mandato parent IESVS MARIA IOSEPHVS obedientia ſæculis omnibus admiranda, quæ poſſit eſſe totius huiuſce perfectiſſimi idea virtutis. *Conſurgens*, vt habemus ex ſacro textu Matth. 2. *accepit Puerum, & Matrem eius nocte, & ſeceſſit in Ægyptum. Ecce* exclamat Io. Chryſoſt. hom. 8. in Matt. *promptam Ioſephi* (idem fuit Dei Infantis, & Deip. Virginis obedientiæ apex) *obedientiam! Nulla interpoſita mora antequam dies illuceſcat, ipſa etiam nocte, ne quis fugam obſeruaret viam aggreditur.* Obedientiæ prodigium fuit ad iter difficillimum, ad exilium diuturnum, ſaltem incertum inter barbaras nationes nomini Hæbræo infenſiſſimas in ſumma rerum omniũ inopia. *Sed omnibus* vt expendit Ianſenius in ſua concord. c. 11. *poſthabitis id vnum agebant, vt diuino obedirent mandato.*

Et ob Sanctiſſimos fines.

VIII.

CVR Rex Regum fugerit in Ægyptum, qui mundum formauit verbo virtutis ſuæ, & innumeris modis ſine fuga poterat ſibi ipſi, ac Parentibus ſoſpitator eſſe; afferuntur multæ rationes a Patribus. S. Athanaſ. hic S. Io. Chryſoſt. in c. 6. Matth. S. Fulgent. ſerm. de Epiph. S. Pet. Chryſol. ſ. 180., & 151. Origen. hom. 17. in Num. S. Gregor. Nazianz. or. de Ch. Dom. Nat. Ipſe Chriſtus Dominus

ſic S. Birgittam alloquitur l. 5. interr. 12. *Quod autem fugi in Aegyptum, in hoc infirmitas humanitatis meæ oſtenſa eſt.* *Conſidera* inquit Aymon in hunc locum *obſecro, quomodo ad exemplum noſtrum incipiat a tenera ætate pati perſequutiones Chriſtus Dominus*. Exemplo ſuo nos docet id, quod dicit Matth. 10. *Si vos perſequuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam*. Præter amorem patiendi impulit eum, vt ſupra expendimus ex S. Thoma ſtudium benefaciendi inſigniter Aegyptijs, quos alias duſè puniuerat. Impulit etiam dilectio inimicorum, quales erant reſpectu Hebræorum ex Philone in Flaccum, Aegyptij. Noluit iuxta ſententiam Pet. Chryſol. ſ. 153. ſubtrahi innocentibus paruulis martyrij occaſionem. *Si non fugiſſet Ieſus*, ait, *haberet eos Synagoga filios, non eos haberet Eccleſia Martyres*. Sed omiſſis omnibus alijs audiendus eſt D. Fulgent. cuius hæc verba ſunt ſ. de Epiph. *Dignatus eſt in Aegyptum fugere, vt poſtea crucem dignaretur aſcendere. Fecit illum mori benignitas propria, non malignitas aliena.* Conſona prorſus ſunt Pet. Chryſol. aurea verba. *Fratres quod fugit Chriſtus, fuit myſterij, non timoris: fuit liberatio non periculum Creatoris: diuinæ virtutis fuit, non fragilitatis humanæ. Non fugit propter Authoris mortem, ſed fugit propter ſæculi vitam. Nam qui mori venerat, quare fugeret mortem? Chriſtus totam cauſam noſtræ ſalutis occiderat, ſi ſe paruulum permiſiſſet occidi &c.* Ad fugam in Aegyptum cum IESV exule, hortatur nos Origen. hom. 17. in Num. vt poſſimus illis SS. Viris adnumerari, de quibus ait Apoſt. ad Heb. 11. *qui*

fuere in ſolitudinibus errantes, in montibus, & in ſpeluncis, & in cauernis terræ, quibus dignus non erat mundus. Eadem pareneſi elegantiſſimis verbis nos incitat Mag. Theolog. Greg. Nazienz. or. de Ch. Natiu. *Itaque* inquit *ſi in Ægyptum profugiat Chriſtus alacri animo te illius fugæ comitem adiunge. Præclarum eſt enim cum Chriſto perſequutione preſſo, fugam inire. Delicatus ille eſt adhuc* bene aiebat Hugo Victor. l. 3. de diſ. c. vlt. *cui patria dulcis; fortis iam, cui omne ſolum patria eſt: perfectus, cui mundus totus exilium. Ille mundi amorem infixit, iſte ſparſit, hic extinxit.* Vbique ergo exules IESVM, MARIAM, & IOSEPHVM comitari poſſumus. Eiuſdem conſtantiæ eſt libera illa vox Gregor. Nazianz. or. 28. *Mihi omnis terra, & nulla terra patria eſt*, cui conſonat amicus Baſilius apud eundem in or. 20. Præfecto minanti exilium ita reſpondens. *Exilium non cognoſco, qui nullo loco circumſcriptus ſum, ac ne terram hanc, quam nunc incola meam habeo, & eam omnem, in quam proiectus fuero pro mea duco, imo vt rectius loquar vniuerſam terram Dei eſſe ſcio, cuius aduena ſum, & peregrinus.*

Paulò ante Innocentium Infantium fœdiſſimam lanienam.

IX.

INterim dum diuina Nazarena familia relicta patria, Ægyptium extorris iter inſtituit, immiſſo Herodiano milite innocentium puppulorum lactens populus, crudeli laniena mactatur. De numero beatorum iſtorum Protomartyrum Chriſtianorum, quos emacu-

latos

latos ſanguinis baptiſmo in exordio vitæ mors fortunatiſſima cælo tranſcripſit, variæ ſunt SS. Patrum, & Scriptorum Eccleſiaſticorum ſententiæ. Omitto, quia huius loci non ſunt. In Kalendario græco 29. Decembris 14000. numerantur, cui numero Abyſſinorum Lithurgia conſentit. Hanc Herodianam carnificinam deſcribunt eloquentiſſimè plerique PP. præſertim Origen. hom. 3. in diu. S. Gregor. Nyſſ. de Nat. Dom. & ſupra omnes S. Auguſt. ſ. 10. de SS. 3. de Innoc. & alibi. Certè illis ad martyrium profuit IESV fuga, & exilium patriam aperuit, vt vidimus ex Pet. Chryſol. ſ. 153. *Si non fugiſſet Ieſus habere t eos inquit Synagoga filios, non eos haberet Eccleſia Martyres. Ecce profanus hoſtis* (S. Auguſt. verba ſunt) *nunquam beatis paruulis tantùm prodeſſe potuiſſet obſequio, quantum profuit odio; nam ſicut ſacratiſſimum præſentis diei feſtum manifeſtat, quantum contra beatos paruulos iniquitas abundauit, tantùm in eos gratia benedictionis refudit*. Nec minus eleganter S. Leo Papa ſ. 2. de Epiph. *Certè Chriſtus Dominus, vt nullum tempus eſſet abſque miraculo, quaſi iam diceret ſinite paruulos venire ad me, noua gloria coronauit Infantes, & de initijs ſuis paruulorum primordia conſecrauit. Felices* illi addam cum Pet. Chryſol. ſ. 152. *quibus dedit triumphare antequam viuere, ante cælum poſſidere, quam terram! Felices qui ante ceperunt ſanguinem fundere, quam lac perpotare ex vberibus!* Hinc vt notat Io. Chryſoſt. hom. 3. de var. in Matth. iure iuxta vetus oraculum inducitur *Rachel plorans filios ſuos & nolens conſolari, quia non ſunt. Nam conditio ait a Matre*, (nimirum S. Eccleſia)

defletur, ſed ſpe gloriæ conſolatio humana contemnitur. Pietatis affectus in fletibus declaratur, ſed occiſorum gloria repudium conſolationis inducit. Plangit affectus, ſed fides exultat. Deflet humanitas, ſed deuotio conſolatur. Noluit conſolari, quia non ſunt, quia iam in labore hominum, & vita huius calamitatibus non ſunt, cum Chriſto regnant in æterna vita, & requie.

Ægyptij itineris difficultates.

X.

HVius Ægyptij itineris initium ſiue carceres non fuere Hieroſolyma, vt vidimus, neque Bethleem, vt videtur ſenſiſſe S. Epiph. contra Alogianos, & ſuffragatur traditio Armenorum; ſed Nazareth, vt ſupra probauimus ex S. Lucæ verbis. Aſtipulantur huic ſententiæ S. Io. Chryſoſt. hom. 9. in Matth. Euthym. in c. 2. Lucæ Theophil., & D. Anſelm. in c. 2. Matth. Abul. & alij communiter. Porrò difficultates tam incommodæ peregrinationis, tùm ex longinquitate itineris, tùm ex peregrinantium IESV, MARIÆ, & IOSEPHI paupertate inter barbaros idololatras, Hebræi nominis inimicos, per incultas fere ſemper eremos fusè narrantur a Vitæ Marianæ Scriptoribus. Inter alios de his egregiè diſſerunt Matthias Naueus or. 15. de S. Ioſepho, & Franc. Quareſmus t. 2. l. 8. c. 2. Sed omnes prorſus aureis verbis complectitur Pet. Chryſol. ſ. 151. *Sic res vrget Chriſtum Infantem? Sic? non vacat intueri verecundiam Virginis, laborem Matris, ſexus pudorem, periculum Ioſeph, longinquitatis fatigationem, exitium totius domus, & quod his durius Iudæos*

peregri-

peregrinaturos in Gentibus, quibus nec ipſa eſt communio, imo eſt profundum legis tranſgreſſioue naufragium. O quam dura eſt peregrinatio etiam inter Ciues, Fratreſque! Sapit quid ſit ſua domus, qui ſentit alienam.

An maritimum illud fuerit, an terreſtre?

XI.

ETiam ſi facilior eſſet via maritima ex terra Chanaan in Aegyptum, quam terreſtris, communiter tamen Doctores ſentiunt terreſtrem viam inijſſe SS. noſtros peregrinos iuxta Abulenſem in Matth. 2. q. 60. imò non longiorem Arabum, ſed breuiorem Paleſtinorum. Communis ſententia eſt, quam defendunt Maior in 2. Matth. Io. Gerſon in Ioſephina diſc. 1. D. Bonau. in vita Chriſti, Gratianus in vita S. Ioſephi, Caſtro in vita Deip. Io. Carthag. t. 3. l. 9. hom. 6 & alij innumeri. Scio tamen aliquos recentiores maritimo itineri fauere, dicereque confecto vnius diei itinere ad portum Ptolemaidis perueniſſe, atque inde naui in Aegyptum ſe contuliſſe.

Quodnam, & quam longum?

XII.

A Pago Bethleem Aegyptum diſtare trecenta milliaria S. Auguſt ſ 81. de temp. aſſerit. Seuerus Sulpicius in p. dial. c. 4. numerat ſexdecim manſiones inter Aegyptum, & Hieroſolymam, Brocchardus c. 2. centum amplius Leucas inter Nazareth, & Memphim, magnum, vt vocant, Cairum interponit. A Iudæa in Aegyptum ſeptem loca cum ſuis in-

teru allis deſcribuntur à Io. Carthagena t. 3. l. 19. h. 6. nimirum Gaza, Dorum, Bedaco, Caput Boroaldi, Deriſa, Raſacharon, Pharcania. Gaza erat inter quinque ciuitates Philiſtinorum circa finem Iudæi regni in parte auſtrali. Pharcania verò erat prima Aegypti ciuitas in vno è ſeptem Nili oſtijs ſita. Addit ſingulariter SS. peregrinos in quadam Villa prope Hebron pernoctaſſe, quæ etiam nunc Villa B. Mar. Virginis dicitur. Aliam Villam nomine Lebhem memorat Adrichomius in Simeon. n. 55. vbi, vt ipſe ait, eſt puteus de quo dicunt B. MAR. Virginem cum puero IESV & IOSEPH cum in Aegyptum fugerent, aquam hauſiſſe, ibique pernoctaſſe. Prima cum hac ſecunda confundi non poteſt, quia illa eſt ante, iſta poſt Gazam, Iudaici Regni terminum.

An in ingreſſu in Aegyptum, monſtroſa illius idola corruerint.

XIII.

HOC prodigium adſtruunt grauiſſimi Patres S. Anſelm. in c. 2. Matth. S. Bonau. in vita Ch. c. 12. S. Dorotheus Martyr in Synopſ. in vita Ierem. S. Epiph. l. de vita, & inter. Prophet. S. Anton. 1. p. t. 5. c. 1. S Cirill. Hieroſolom. Matheſi 10. S Athanaſ. de Incarn. Verbi Lyranus in Iſai. 19. Procopius in eundem locum & alij. Adſtipulatur Card. Baron. an. Ch. 1. cum Brocchardo in deſcrip. terræ Sanctæ Druthmanno in c. 2. Matth. Dyoniſ. Carthuſ. in c. 19. Iſai. & alijs. *Cum in Aegyptum* inquit S. Bonau. *intrares Chriſtus, Virgo & Ioſeph, omnia idola ipſius prouinciæ corruerunt*

ſicut

ſicut per Iſa. fuerat prophetatum. Tradit etiam hoc expreſsè Euſeb. de demonſt. Euang. l. 6. c. 20. In vitis Patrum (quod opus Euagrio tribuitur) prope Hermopolim memoratur adhuc extare templum, in quo, cum illud ingreſſus fuiſſet IESVS in ſinu Deip. Virginis cum S. IOSEPHO, ſtatim omnia idola corruerunt. Imo addit Abulenſ. in c. 2. Matth. q. 60. cum hoc factum nunciatum eſſet Aphrodiſio Sacerdotum Principi veniſſe in templum cum magna militum manu, & poſt IESV adorationem dixiſſe. *Hic niſi eſſet Deus Deorum noſtrorum, coram eo non ſe proſternerent. Nos ergo quod Deos noſtros facere videmus, niſi cautè fecerimus omnes ſicut Pharao periculum incurremus*. Eminentiſs. Baronius ad aliqua idola Aegypti prodigium reſtringit in teſtimonium præſentis Numinis veri, & in auſpicium caſuræ idololatriæ proſtrata. E docuiſſe Aegyptios Hieremiam Prophetam tradit idem Abulenſis, neſcio vnde hauſerit; *Cum deſcenderit in Aegyptum cum ſuo Infantulo Virgo enixa Deo ſimilis, tum nimirum futuram idolorum ruinam*. S. Dorotheus Martyr in Synopſi hæc habet. *Hieremias ſignum dedit Sacerdotibus Aegyptijs, quod oporteat ſimulacra eorum concuti, & decidere per Seruatorem puerum ex Virgine naſciturum, & in præſepi iaciturum*. Propterea ſubiungit, *etiam nunc Virginem in lecto, Infantem in præſepio collocant; & adorant. Et cum cauſam olim Ptolomæus Rex percunctaretur reſponderunt myſterium eſſe ipſis a Maioribus traditum, quod illi a S. Propheta acceperunt*. Id ipſum docet Iſidori Chronicon, ſiue Lucæ Tudenſis, Palladius in vita Apollonij c. 32. So-

zomenus l. 5. hiſt. Eccleſ. c. 20. & alij. Certè illud Vaticinium Iſ. 19. *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & mouebuntur ſimulacra Aegypti a facie eius* ad litteram de IESV Infante Aegyptum ingrediente, & vera idolorum ruina intelligunt præter S. Anſelm. S. Bonau. S. Doroth. S. Antonin. S. Epiph. S. Atanaſ. S. Cirill. Lyranum Procopium, & alios relatos S. Io. Chryſoſt. in c. 2. Matth. S. Hieron. Iſa. 19. Magiſter hiſtor. Matth. 2. Hugo Cardin. ibidem Rabanus Eccleſ. c. 24. Euagrius c. 20. Ludolphus de vita Chriſti, & alij. Hinc bene infert magnus ille Aegyptius Athanaſ. loc. cit. *Aegyptiorũ ſuperſtitio non quieuiſſet, niſi Dominus omnium in corpore, quaſi in nube vectus eò deſcendiſſet, & idolorũ errores compeſuiſſet.* Euthymius orat. de Zona Deip. hanc prodigioſam idolorum Ægyptiorum ruinam ipſi MARIAE IESVM geſtanti attribuit his verbis. *Sanctiſſima Virgo aras contriuit idolorum, & delubra gentilium perdidit, & comminuit.* Certè Aegypti ad fidem illuminatio huius diuinæ peregrinationis finis ſanctiſſimus fuit, vnde ait Euſebius Emiſcenus. *Quare in Aegyptum* (loquitur de B. Virgine) *Dominum portauit? vt lux in tenebris luceret, & populus qui ſedebat in tenebris lucem magnam videret.*

De illuſtribus alijs prodigijs, præſertim arbore hoſpitali prope peregrinationis metam.

XIV.

INter alia prodigia arborem, quæ Perſis dicitur ſe ad pueri IESV aduentum inclinaſſe ſcribit Sozomen. ſupra relatus. Addit

Abulenſ. etiam palmam ſublime ſemper, ere-ctumque caput demiſiſſe tranſeuntibus SS.Peregrinis, & manû admota dactylos inde B. Virginem carpſiſſe. An verum ſit quod Io. Carthag. t. 3. l. 9. hom. 10. ſe Romæ legiſſe narrat in libro antiquiſſimo de Vita Chriſti, ſine Auctoris titulo, feras aliquas vt Leones, Vrſos, & huiuſmodi obuias Infanti IESV, MARIAE, & IOSEPHO in Aegyptijs Eremis adoraſſe lactentem Deum, & muſicis modulis auium chorum illum ſalutaſſe his prodigioſis vocibus. SALVE REX, lectorum pietati, & prudentiæ relinquo. Exceptam fuiſſe diuinam familiam a prædone benigno hoſpitio, & inde mercedem hoſpitalitatis habuiſſe, filij lepra laborantis ſanitatem, aqua illum emundante, in qua B. Virgo puppuli IESV pannos lauerat Petrus de Natalibus ſcribit l. 3. c. 202. in hiſtor. boni latronis. Imò aſſerit hunc deinde fuiſſe illum bonum latronem, cui Paradiſus e cruce a Deo cruciario promiſſus eſt. Idem quoque ſcribunt ex S. Anſelmo Iacobus de Voragine ſ. de Innocent. & Anton. Ghiſaldus q. 677. in Dom. Paſſionis. hoſpitalem arborem prope villam Matharæam exrra Cairum medio milliari, aperuiſſe veluti pectus, & amanter excepiſſe in ligneo conclaui prodigioſè excauato Matrem Virginem cum puero IESV narrat Radziuillius in ſua peregrin., & ex ipſo Euſebius Nierembergius de miraculoſis naturis terræ ſanctæ. Hæc arbor dicitur PHARAONIS, & adhuc ad eius radices in ipſo trunco, ſpectatur ligneum conclaue, in quo B. Virgo hoſpitata eſt, donec S. IOSEPHVS domũ in villa reperiret.

riret. Traditionem iſtam ipſi Turcæ retinent, & lampades ibi accendunt, eam arborem venerantes. Matharææ vixiſſe exulem diuinam familiam in Aegypto inter Heliopolim, & Babyloniam ſcribit Petrus Ribadeneyra in vita B. Virginis ex Brocchardo in deſcriptione Aegypti, & alijs.

Hæc fuit ægiptiæ peregrinationis IESV, MARIÆ, & IOSEPHI meta.

REDITVS IN IVDAEAM.
HYMNVS.
ELOG. XX.

Surge, & accipe Puerum, & Matrem eius, & vade in terram Iſrael; defuncti ſunt enim, qui quærebant animam Pueri. Qui conſurgens accepit Puerum, & Matrem eius, & venit in terram Iſrael. Matth. 2.

Ex Aegypto vocaui Filium meum. Oſe. 11.

Vero Deo
de proſtratis falſis Ægyptijs Dijs victori,
Iudæa reducem expectans Triumphatorem,
hunc hymnum canit.
Pelle Canope ex Aris Deorum monſtra:
vnicum monſtrum habes venerabile,
duplicis naturæ, vnius perſonæ
DEVM-HOMINEM.
In ſua patria degit,
cum exul in Aphrica.
Hanc Zona torrida ſui cordis geminat;
ſub vtroque diuini, & humani amoris
tropico ardens.
Proijce etiam bulbaceam ſobolem
adoratorum olerum:
vbique malè olent.
Pudeat poſthac adorare Numina, quæ putent,
nec adoleant altaria hortorum peſtes.
Si placet ex hortis Deus:
iam habes;
nimirum florem Nazarenum
ex horto concluſo,
qui riſuum pater eſt, non lachrymarum.
Huma-

Humanum Deum exhibemus,
qui humanitatem pro natura aſſumpſit;
pro virtute exercet.
Extingue quoque tuam Pharon Ægypte:
IESVS & MARIA
in Ægyptio non ſolum cælo, ſed terra
inſolenti noctis, dieique commercio
Solem, & Lunam accendunt.
Vbi Deus exercituum caſtrametatur,
totum cælum ſtellantibus Pharis
excubias agit.
Ecce horreum in terris cæleſte habes,
cum MARIA nauis Inſtitoris
mundi redimendi ad te appulit,
è Bethleem domo panis,
longè portans peregrinum panem ſuum.
Areſcat frugiferi Nili liberalis eluuio!
incogniti capitis Nilum Maria geſtat in ſinu,
fluuium vitæ,
reſupinantem de ſuo annonã mundo feliciorẽ.
Vnico nunc curſu paruulus
per Ægyptios campos peregrinatur.
Adultus ſeptem Sacramentorum oſtijs,
mediterraneum Eccleſiæ mare inundabit;
imo vltra Gaditanum fretum excurrens,
totum alluet ſub vtroque Sole, terrarũ orbem.
Sapientes dele iam
tuorum Hieroglyphicorum notas:
& vnicum in omni Niliaca papyro
VERBVM ſcribe.
Hoc diuinum ſub hominis figura
implebit omnem ſapientiam, & exhauriet.
Vbi hoc VERBVM veritatis tua licça intrauit,
mendacia tuorum Deorum ora ſiluerunt.
Ad Domini præſentiam

latrare

latrare Anubis non debuit,
nec Iſis mugire,
nato in Stabulo vero Deo.
Idololatriam deinde cadentibus ſimulacris
non mirũ eſt poſt amiſſam vocem, occubuiſſe.
Ne doleas Ægypte fugiſſe Hebræos homines,
poſtquam ad te Hebræus Deus confugit.
Vnicè tibi dolendum eſt,
quod Herode moriente
in communi omnium lætitia,
vitam amittis.
Sed maiora ſunt Iudeæ gaudia,
quam Ægypti luctus.
In morte Herodis geminato fœnore
omnium vita renaſcitur.
Magnum beneficium fuit amitti Herodem;
ſed maius IESVM reddi.
Ille in pænitendũ cinerẽ reſolutus inpœnitens,
in ſuis tandem cineribus, rogus viuens,
ſepultus eſt.
Ictum de cælo dixiſſes ſulphureum hominem,
inimicum Diuinitatis.
Ab eodem Cocyto mortem habuit,
qui & tumulus fuit,
Et ex flammis traductus ad flammas
ſuas ferens, geminauit infernas.
Euocentur ab Inferis præficæ furiæ:
non alias quam Inferorum inferias poſcit.
Iniquiſſimo hominum
iuſtè nullus homo iuſta facere poteſt.
Interim vocato ex Ægypto a Patre Filio
iterum NOTVS factus eſt IN IVDÆA DEVS.

Quare in Ægyptum? Recordatus eſt enim Dominus, qui non in finem iraſcitur quanta mala

fecerit

fecerit ſuper Aegyptum. Ideò mittit Filium ſuum in eam, vt det illi magna reconciliationis ſignum, vt decem plagas Aegypti vna medicina ſanaret, vt populus qui antea fuerat perſequutor populi primogeniti, cuſtos fieret Filij vnigeniti, vt qui illi violenter dominati ſunt, iſti cum deuotione ſeruirent, vt iam non irent ad mare rubrum demergendi, ſed vocarentur ad aquas baptiſmatis viuificandi. Caten. aur. S. Thomæ in c. 2. Matth.

Non ita varijs aſtrorum choris cœlum refulget, vt Aegypti Eremus innumeris Monachorum, ac Virginum diſtinguitur, ac illuſtratur habitaculis. Si quis illam Aegyptum veterem nouit, rebellem Deo, ac magnitudine ſuperſtitionum furentem, adorantem irrationales animantes, porros etiam, cæpaſque pauitantem hic optimè Chriſti noſſe poteſt virtutem, per quem facta eſt tanta mutatio. S. Io. Chryſoſt. hom. 8. in Matth.

De reditu in Iudæam poſt diuturnam commorationem.

CAP. XX.

IESVS lactens, MARIA lactans, IOSEPHVS frumentum electorum, & panem, qui de cælo deſcenderat, ferens, totam Ægyptum nimirum antiqua Hebrææ gentis cunabula, diuturna aliquorum annorum commoratione conſecrarunt. Quæ enim prodigia non patraret verus Pharaonis Deus Moyſe maior, non virgam geſtans, ſed geſtatus a Virgine thaumathurga? Quantò auguſtius

non

non Prophetæ Soror, ſed VERBI diuini Mater oraculis ſuis MARIA Diuinitatem prædicabat? Quantò felicius nouus IOSEPHVS vetere caſtior, annonæ largitate erat ſeruaturus Aegyptum, e cuius manibus cæleſtis cibus, mundi totius Seruator, vbique pendebat? Certè populoſas illas Monachorum familias, cælites Virginum choros, laureatos Martyrum exercitus, palantes vbique Anachoretarum colonias, illos denique in omni ſanctimoniæ genere confertiſſimos innumerabilium Sanctorum cætus, imò ſanctitatis Heroes Antonios, Paulos, Macarios, Pacomios, Athanaſios, & alia magna in cælo nomina, quæ ita Aegyptum illuſtrarunt, vt tellus illa, regio olim tenebrarum, ſtellanti cælo non inuideret, IESV infantiæ, MARIAE, & IOSEPHI contubernio debemus. Ita vnus Nazarenus floſculus e Ieſſæa virga erumpens Paradiſum germinauit, quo non ſteriles tantum gemini maris arenæ, ſed omnes Aegyptiæ eremi florerent. Et ſanè diuinæ peregrinantis familiæ ſtatio prope Heliopolim ciuitatem Solis fuit inter fontem, & hortum, quorum primum adhuc *Ieſu fonticulum*, alterum *hortulum balſami* indigitant, vt nemo dubitaret cum Nazarena hac colonia translatas fuiſſe in Aegyptum terreſtris Paradiſi delicias, cæleſtiſque ſolſtitium charitatis. Felix Aegyptus ſepteno iam Nili ſui ore canat, & in ſua viridi papyro vbique ſe ibat ſupra magni ſui Alexandri victorias, ſe interpoſito Erythręi maris vallo Infanti Deo propugnaculum fuiſſe. Hac in verũ Hebręorũ Regem fide omnem, quem fudit Hebræum ſanguinem, iam emaculat. Huc omniũ
cor-

cordium naufragę naues appellite:melior lampas nimirū Sol Solis, Agnus lucerna Empyreæ ciuitatis, in Canopęo littore Pharon accendit. Ablegate Aegyptij Magi, & prorſus eradite magiſtras illas humanę ſapientię veſtrę notas: vnicum diuinum VERBVM omnem ſcriptilem veſtram papyrum implebit. Quid gloriamini barbari Sophi de Græcanico peregrini Platonis licæo? Erunt poſthac veſtrates Virgines Græcis philoſophis ſapientiores. Vno VERBO, ſed diuino Catharina, Alexandrina Amazon totius Græciæ philoſophiam ſuperabit. Quid amplius expectatis inundatricem fluminis beniſicentiam? En aſcendit Deus ſuper nubem leuem cæleſtis virgunculæ, & nunc primùm e cælo Aegyptio ſegregabit *pluuiam voluntariam hæreditati ſuæ*. Pro captiuis hominibus, quos eduxerat, ſe ipsū Deus Aegypto captiuum dedit. Reddit pro hominibus Deum: copioſius ditat, quam ſpoliauerat. Ita ſemper nobiſcum Deus amans fæneratur maioribus beneficijs, magnorum malorum redemptor. Profuit aliquādo Pharaonis crudelitas Iſraeli; ſed nunc magis prodeſt Herodis liuor Aegypto. Nullum ſiquidem bonorum omnium ſterile in terris malum eſt: Multa cum nocent, in gratijs iuuant. Inhumanam prorſus religionem DEVS-HOMO inuenit, nimirū brutales Deos, non immortales, hominesque feris in Sacrificia mactatos. De tanto Deorum viliſſimorum armento ſtatim imbellis Agnus terrę dominator triumphauit. Agnus videri potuit, ſed verè Leo de Tribu Iuda Victor adoratarum Aegyptiarum belluarum exercitum non ruggitu, quod mireris, ſed vagitu proſtrauit.

Nulla

Nulla deinde ſublimior religio eſt, quam quæ in Deorum ruina fundatur: nulla maior pietas, quam quæ multiplicem obtruncat Deitatem. Monarchicum diuinitatis imperium eſt, non democraticum: perit niſi ſubdas vni Deo omne idolorum vulgus. Anubi latrante, mugiente Iſide, alijsque ſtolidis idolis deiectis cæpit a Seruatore mundi damnata ad beſtias Aegyptus liberari. Satius tandem eſſe duxit Paſtorem venerari, quam gregem. Innumerabilibus tamen monſtris purgare Aegyptum Herculeus quidem IESV labor fuit, ſed puerilis: maiora totius orbis monſtra victricem ponderoſæ crucis clauam poſcebant. Fuit etiam tot aureis ſtatuis digna Mater, quot lapideas Filius euertit, qui omnem in materno ſinu contra bruta Idola, armentarios Pontifices, gregariam religionem pugnam inijt. Ante Dei Arcam MARIAM Deiparam nullus Aegyptius Dagon ſtare potuit. Si monſtra Aphrica monſtripara non exhorrebat, ſe ipſam MARIA ſæculorum prodigium ſpectandam dabat, quæ homines ſupergrederetur, nec Deus eſſet. Si placebant Aegypto idola: in vna MARIA omnia virtutum Numina pia ſuperſtitione poterat venerari. Senſit fæcundiores Aegyptia tellus IESV lachrymulas, MARIAE lac, quam Nili vndas. Ex iſtis fruges hominibus pullulant: illa Deo germinarunt homines frugi. Ex nouo etiam IOSEPHO melioribus ſomnijs erudito fæcundæ Virginis virgine Sponſo, anni ſterilitatis nulli expectandi erant. Ita diuina familia Aegyptum adiens Nilo in Iordanem conuerſo, fecit terram promiſſionis IESV melle, & MARIAE
lacte

lacte manantem. Idola templis, templis aras, aris ſacrificia abſtulit; ſed plura attulit cum veram Deitatem. Ad ſolam venientis Dei famam, ſuis marmoribus cataphracta idola ceciderunt. Ruinæ iſtæ ſuperſtitionis altiſſima fundamenta erunt Aegyptiæ pietatis. Fragmenta idolorum, rudera pyramidum monaſteria conſtruent, in quibus quaſi in templis, ac pyramidibus diuini homines ſepulti viuent. Auferenda eſt palmato Paulo prima ſolitudinis palma: a IESV, MARIA, & IOSEPHO conſecratæ dudum erant Aegytiæ Eremi. Hæc vna diuinæ familiæ ſolitudo totam ſolitarijs hominibus Aegyptum impleuit. Sub his Triumuiris prima nunc fundatur in terris cæleſtium hominum colonia. Magnos Anachoretarum Patriarcas Autonios, Pacomios, alioſque nemo dubitet virgineam poſteritatem, & nouitios eſſe Aſceſerij Mariani.

Interim dum nouus Moyſes ex maioris MARIAE comitatu maior, in vna imbelli Virguncula aciem habens ordinatam, parem equitatui Pharaonis, prodigia patrat, & ſuis victorijs cogit elementa, cælumque ſeruire, nouus Pharao Aſcalonita Herodes igne inteſtino viſcera depaſcente ſuorum ſcelerum lenta, ſed violenta laniena, pænas luit. Fato tamen diſſimili in ſumma impietatis ſimilitudine plectuntur Pharao, & Herodes, ille naufragio, hic incendio. Omnes Tyranni Perylli ſunt: artibus ſuis ſibi mortem ſtruunt. Eluunt in Herode ſceleſti ignes, quod patrarunt: ignea pereunt viſcera, eo, quo nutriebantur, veneno. Impius Enceladus terræ filius, cæli hoſtis. Aethnam patitur, quem facit. Incipit ſuo igni

adoleri

adoleri ſaginata ſceleribus tartari victima. Neſciebam inter homines aliquandiu viuaces eſſe in ignibus Salamandras vitiorum. Helluatrix hominum tot capitum *Hydra* igne, non ferro debuit tandem trucidari. Cum ambitionis Æolia caput ageret, proximo interuallo Liparis luxuriæ pectus accendit. Ingens morbi portentum orbis terrarũ miratus eſt, nimirum ſaxeum pectus, & ferrea viſcera ignem pati. Ambitionis fumo peſtilens flamma ſuceſſit. Inteſtinus ignis helluonem rerum omnium animum ſignabat. Aliqui tamen dubitarunt, an eius voracia viſcera, & igniuomã charibdim auaritiæ dicerent, an vulcaniã libidinis. Regum Chimæra monſtrum impietatis, crudelitatis, & fraudolentiæ flammas, quas euomeret, nutriebat. Vt culpæ pœna reſponderet inuaſit flamma iniuſtum diſcordiarum Ciniflonem; nam ſæpe fit vt ſupplicium in ſcelus, & ſcelus in ſupplicium armetur. Ignis prædabundus coronati latronis ſpolijs inhiabat; eodem momento auarum raptorem rapiens, & prodigioſè decoquens prodigum decoctorem. Venereus Rex Veneris reus Vulcano coniugi pœnas dedit. Nemo annos vitæ Herodis quærat: nihil vixit, qui malè. Per anomala ſcelera gradiens intentato *deicidio naticidium* addidit. Ipſi filio, cui vitam dederat, abſtulit, indignus, qui vocaretur ab vllo Pater, omnium parricida. Hiſtoriam tragicam exhibuit Thieſtæa fabula maiorem, non Mariane coniuge dignus, ſed Medea. Imo in aula ſua teathro crudelitatis Iudaicam fabulam Romæ fecit. Qui *ſuis* non pepercit Auguſti Cæſaris Scommate *ſui-*

bus pepercisset. Non indignum fuit Mundi Iudice Romani Monarchæ iudicium. Vbi monſtrum coronatum imperat, timendum eſt magis Hominibus, quam Brutis. Sicuti non merebatur viuere filius ex Herode, ita nec Herodes in Filio. An Herodes parceret Herodis Filio, qui Dei Filio moliebatur necem? Herodis ergo vitę annos nemo quærat. In vno Deicidij conatu plura ſæcula perdidiſſet. Morbum etiam nemo quærat: inuidia contabuit, ea arte regnum amittens, qua aquiſierat. Incluſit illa inteſtinos ignes, qui diu clauſi ruinam maiorem pepererunt. Igneus hic morbus vltor vitæ fuit, prodromus mortis. Ita Herodes lachrymis dignus contrario fato, ne quid illius ſupereſſet, igne conſumptus eſt; putris fauillæ viuum cadauer, æque repudium mortis & vitæ propudium, etiam in vrbe pacis pabulum phlegetontis. Ita pænarum ſuarum faber, & magnes, viuus flammas attraxit, quibus immergi mortuus debebat, omnibus modis ſui laniena. Tanto igne infelix victima expiari non potuit. Iuſſit moriens pleroſque nobiles in vnum conclaue coactos eodem momento trucidari, vt omnis Iudæa, quę exultare in eius morte debebat, adhuc fleret Herodem morientē, maioribus tamen lachrymis viuum proſequuta. Sua morte euerſi regni ſui parte meliore, fere ſolus Tartarum impleuit. Ab Hebræo Nerone aliquid ſupra Romanum expectandum erat impiæ crudelitatis. Romanus ludens vrbis incendium ſpectabit: Hebræus moriens fere toti regno funus indicit. Optabat IESVS mortem ſub Herode, non tamen Aſcalonita, ſed Antipa; vnde antequam

quam ex Aegypto reuerteretur, illius mortem expectauit. Eo mortuo reditus in patriam diuinæ familiæ IOSEPHO iterum per nocturnum ſomnium cælitus monito imperatur. Hic ex ſomno ad vigilantiam eruditus, exactis Aegyptij ſeceſſus aliquot annis, cum ſanctiſſima Matre, ac diuino Filio in Galilæam inferiorem, quæ ad Tribum Zabulonis pertinebat circa mare Tyberiadis nimirum ſtagnum Geneſareth, in vrbem Nazareth nati Dei patriam, eius conceptione, multorumque annorum diuturna habitatione celeberrimam, reuertitur. Ab Aegypto redux alteram fere fugam prudenti conſilio inijt, Archelai, qui nomine populi princeps, reuera populi populator, & vno verbo Herodis Hæres, ac totus pater erat, in Iudea regnantis immanitatem declinans. Hinc factum eſt, vt IESVS a prouincia Galilæus, a Patria Nazarenus diceretur, quos etiam titulos nobiliſſimos, hoſtes Chriſtiani nominis eius ſequacibus, probro verterunt, & per ludibrium impoſuerunt. De ſuo tamen ſanguine daturus vir rubrum mare, Erythreum IESVS puer non permeauit, ſed recto terreſtri itinere patriam domum repetijt. Sciebat ſuis Maioribus tributarium a fide non defeciſſe. Omnium marium poſſeſſionem inibit, cum Galilæum ſicco pede calcabit, vel ſtupore immotum, vel poſt tantum contactum neſcium deprimi. Illuſtrem IESV, MARIAE, & IOSEPHI reditu diem in Romanis faſtis Ianuarij ſeptimam, in cæleſtibus primam Aegyptus nigro lapillo ſignauit, Iudæa candido, IESV nimirum ipſo eodem vnione, quem ab Erythræo mari e collo ſuſpenſum

in ſummi pretij textili Zona MARIA geſtabat. Hic omnem ſecum a Iudæis finibus proſcriptam felicitatem poſtliminio reuocauit.

ELECTIORA
Ex Sacris Scripturis, SS. Patribus, Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Doctoribus Scholaſticis de reditu in Iudæam poſt diuturnam commorationem.

SYNOPSIS.

1 VBinam in Aegypto habitauerit diuina familia, & de fonticulo IESV, atque hortulo balſami? 2. De tempore Aegyptiæ commorationis. 3. De geſtis in ea a IESV Infante, & MARIA Deipara. 4. Occaſio reditus ex morte Herodis Aſcalonitæ atrociſſima, lenta inteſtini ignis tabe conſumpti. 5 Ingens pretium pro locato hoſpitio, Aegyptio regno repenſum.

Vbinam in Aegypto habitauerit diuina familia, & de fonticulo IESV, atque hortulo balſami.

I.

EXtat nobiliſſima, deſcriptio Aegypti, quæ excepit extorrem diuinam familiam apud Abulenſem in c. 2. Matth. Vrbs in ea Princeps ex Adrichomio inſigni terræ ſanctæ Topographo trinomia fuit iuxta varias ætates appellata memphis, Babylon, Cairum. Non longè ab ea diſtabat Heliopolis, ciuitas non admodum magna, ſed ipſo ſuo nomine, quod ciuitatem Solis ſonat, ſatis illuſtris, & multò illuſtrior Numine inquilino, æterni Solis diuinis ſplendoribus irradians. Heliopoli potiſſimum habitaſſe ſanctiſſimos peregrinos aſſerit S. Anſelmus, in c. 2. Matth. & S. Th. in eundem locum. Addunt Memphim, in qua etiam habitaſſe ferunt Hugo Cardin. hic S. Bonau. de vita Chriſti c. 12. Abulenſ. q. 60. in c. 2. Matth. & Cancell. Pariſ. Io. Gerſon in

principio Ioſephinæ. Hermopolim habitationi diuinæ familiæ tribuunt Sozomenus l. 1. hiſt. c. 25. & Nicephorus l. 10. c. 13. Helio-poli fauent Abulenſ. ſupra relatus, & Cardin. Baronius an. Ch. 1. Babyloni Antonius Maginus in ſua Geographia ex Bellorico. Io. Bap. Nouatus t. 1. c. 15. q. 6. putat IESVM Infantem cum MARIA, & IOSEPHO plures Aegypti ciuitates perluſtraſſe, & præcipuè celebriores, vt eas ad veram religionem a falſis erroribus conuerteret. Hæ autem erant Syene, Thebe, ſiue Dioſpolis, Tentyra, Heliopolis, Memphis, ſiue Babylon, Alexandria. Communis ſententia eſt, quam ex Brocchardo, & alijs ſequutus eſt Pet. Ribadeneyra in vita Chriſti cum alijs multis ſtationem diuinæ familiæ Matharæam fuiſſe. Erat hic pagus ex Brocch. alleg. inter Heliopolim, & Memphim medius. Ibi eſt fons quem ipſi Mahumetani *fonticulum Ieſu*, & Hortulus ab aquis illius fontis irrigatus, quem *hortulum balſami* vocant. In eo fonte fama eſt B. Virginem puerum IESVM ſæpius lauiſſe, panniculoſque illius mundaſſe. Extare etiam ibidem lapidem dicunt, ſupra quem eoſdem panniculos Deip. ſanctiſſima ſæpius exſiccauit. Confirmat Ianſenius in ſua concord. in c. 2. Matth. Suffragatur etiam Odoricus Rinaldus an. Ch. 1. Illam regionem Heliopolitanam fuiſſe a Patriarcha Iacob habitatam, & Filijs, tradit Ioſephus Hebræus lib. 2. antiquit. c. 4. Nec vacare poteſt myſterio, cum Hebreæ gentis incunabula ab Infante IESV conſecrantur. *De fonticulo Ieſu, & Hortulo balſami* mira ſcribit Euſebius Nierembergius de miracul. na-

turis terræ ſanctæ. Extare adhuc domunculam aſſerit, in qua habitauit ſacra familia toto tempore, quo in Ægypto exulauit. Addit ibi eſſe altare, in quo teſte Principe Radzivvillio Lithuano, & referente in ſua peregrinatione, P. Franciſcus Saccus Societ. Ieſu Sacris operatus eſt.

De tempore Aegyptiæ commorationis.

II.

CIrca ſpatium Aegyptiæ commorationis IESV MARIÆ, & IOSEPHI in varias, longèque diuerſas ſententias abiere Patres, alijque Doctores, qui de his ſcripſerunt. Exilio ſacroſancto duos annos tribuunt S. Epiph. l. 1. panarij in fine post hær. 20., & hær. 78. Niceph. l. 1. c. 14. Druthmannus in cap. 2. Matth. & alij: tres Barradius tom. 1. l. 10. c. 9. & alij: quinque Lucidius l. 7. c. 2. & videtur conſentire Ammonius Alexand. in harmon. euang.: ſex S. Bonau. de vita Ch. c. 13. Magiſt. hiſtor. c. 23. S. Anton. 1. p. t. 5. c. 1. S. Th. Platina de vita Ch. Sabellicus l. 1. Enn. 3. Pet. de Natalibus in catal. alijque: ſeptem Theophil. Raynaudus in Dipt. Mar. p. 1. puncto 8. & alij: nouem Baron. in Annal. & alij. Suarez t. 2. in 3. p. nihil certi poſſe ſtatui aſſerit, quia ex re valde incerta pendet, vnde ſumendum ſit initium regni Herodis, & refert Benedictum Pererium hominem in his chronologijs valde verſatum, qui l. 11. in Daniel. q. 5. quæſtionem hanc inſolutam reliquit. Certum eſt, vt notat eruditiſſimus Maldonatus in Matth. fugam Infantis IESV eo anno contigiſſe, quo adoratus a SS. Magis fuit, & non

multò poſt adorationem. Certum etiam eſt eo anno, quo mortuus eſt Herodes Aſcalonita rediiſſe ex Aegypto in Paleſtinam. Tota ergo diuerſitas ſententiarum eſt circa annum, quo cepit, & quo deſijt regnare Herodes, & quo ſua crudelitate IESVM Infantẽ adegit ad fugã. In hac tanta opinionum varietate nihil audeo definire ſolum, quod certum eſt habitaſſe diuinam familiam in Aegypto, quouſque illi Angelus monitor reditum cælitus imperauit, & impletum eſt illud oraculum Oſe. 11. *Ex Aegipto vocaui filium mẽũ*, vt poſſimus dicere, quod aiebat Gregor. Nazianz. orat. 24. *Nunc mihi quoque videor audire Patrem dicentem: Ex Aegypto vocaui Filium meum.* Hunc locum intelligi debere de Chriſto Domino ſacer Euangeliſta Matth. c. 2. docet. Scio Iulianum Apoſtatam ſolitum fuiſſe calumniari, vt refert D. Hieron. in c. 11. Oſe. S. Matth. Euangeliſt. quod ad Chriſtum Dominum retulerit, quæ de populo Iſraelitico à Propheta dicuntur, quaſi ſecundum litteram de populo, & ſecundùm typum de Chriſto idem oraculum eſſe non potuerit. Sed verè debere intelligi de Dei Filio aſſerunt omnes PP., qui vel Oſeam Proph., vel Matth. Euangelium interpretantur, & nominatim S. Hieron. in vtroque loco, & epiſt. 150. ad Algaſiam q. 2. S. Athanaſ. l. de Incarn. Verbi, Anaſtaſius Sinaita l. 12. comment. in exam. S. Io. Chryſoſt. S. Th. S. Anſelm. Theophil., Euthymius, Beda, Emiſſenus, Elias Cretenſis, S. Pet. Chryſol. & alij innumeri.

De geſtis in ea a Ieſu Infante, & Maria Deipara.

III.

ILla egit IESVS Infans lactante, & fouente Matre, quæ, vt ſupra, eum ad peregrinationem Aegyptiam mouerunt. Apud Baronium anno Ch. 1. enucleatius legi poſſunt, præter alia, quæ ex libris Saracenorum prodit Iacobus de Valentia in cant. Deip. ad verſ. 5. ſub finem. Infantis IESV lineam ſubuculam, quæ modo in lipſanotheca lateranenſi cum magna veneratione ſeruatur, Marianum opificium fuiſſe multi aſſerunt in Aegyptia commoratione, quibus refragari non lubet. De hac, & alijs veſtibus per reliquam vitam a ſanctiſſima Matre confectis eruditè differit ex Euthymio Matth. 27. & alijs Io. Ribera Io. 19. ad illud *acceperunt veſtimenta eius*. An hæc veſtis, vt aliqui tradunt, miraculosè creſceret creſcente Puero, & eadem ætatum veluti incrementa ſentiret valde incertum eſt. Hoc quidem prodigium eleganti carmine cecinit Baptiſta Mantuanus, ſed cum aliorum Scriptorum auctoritate careat videntur poëticè dicta, vt notat Card. Vigueriùs tract. de inſtrum. Dominicæ Paſſionis. Ita Mantuanus.

Cum primum dulces Infans proferre loquelas
Cæpit, & aduerſis veſtigia figere plantis:
Mater ei tunicas habiles ordita, nouumque
Veſtis opus, niueo Puerum velauit amictu,
Suſpicienſque polos inquit. Date Numina veſti
Incrementa mea: Pueri cum corpore ſemper
Creſcat, & ad ſanctos vltrò ſe accommodet artus
Non gladium, tineamve ferat, non trita ſenectæ

Cedat, & hæc noſtri durent monumenta laboris.

Certè zona illa, qua B. V. penſilem e collo Puerum IESVM ab Aegypto in Galileam geſtauit ſumma cum veneratione colitur beneficijs cæleſtibus, quæ confert diuinitus, vndequaque illuſtris, ac pretioſa Mediolani in Templo Sanctæ Mariæ Coll. Braydenſis Societ. Ieſu.

Occaſio reditus ex morte Herodis Aſcalonitæ atrociſſima lenti ignis tabe conſumpti.

IV.

HErodiana immanitas fugæ: mors reditus occaſio fuit, & hoc ex ſacro, textu apertè habetur Matth. 2. *Defuncti ſunt enim, qui quærebant animam Pueri.* Vltimum barbari tyranni morbum Ioſephus Hebræus l. 17. antiq. deſcribit his verbis. *Ignis lentus inerat non tantum conflagrationem in ſuperficiem corporis agentem prodens, quantum intrinſecus creſcens operabatur incendium. Auiditas quoque inexplebilis illi ſemper inerat, nec tamen ſatietas vnquam rabidis incitata faucibus praualebat implere ingluuiem. Inteſtina interius a vermibus tabida putreſcebant &c.* Iliadem malorum peſtilentium in tabido corpore domeſticę tragediæ præceſſerant ferè dixerim Thieſthæę intentata Ariſtobulo, & Alexandro Filijs ſuis, Antipatro verò inflicta quinto ante ſuum obitum die, nece truculenta, ne peſſimo coruo malum ouum ſuperſtes eſſet. Hæc fusè narrat Euſeb. l. 1. hiſtor. Eccleſiaſticarum. Celebre fuit Auguſti Cæſaris ſchommata ſugillantis Herodem in Filios ſæuientem apud Macrobium l. 4. Saturn. c. 4. *Melius eſt Herodis in Regia*

porcum

porcum eſſe, quam filium Atheo Rege Hebraiſmum quoquo modo profitente, & ſuibus potius parcente, quam ſuis. Indigna etiam contra Mariannem vxorem, Summos Pontifices, Proceres regni, & omnem Rempublicam, atque humanum genus perpetrarat. In tantam deſperationem inſtante morte teſte Ioſepho loc. cit. præceps raptus eſt, vt audiens Primates Iudaici regni malorũ alioquin conſiliorum ſuorum Architectos, & purpuratos aſſentatores ſupplicio extremo dignos, cum gaudio eius obitum expectare, iuſſerit in Hippodromo ſtatim, atque expiraſſet omnes ad vnum interfici, ne vlla Iudeæ pars in eius morte non lachrymaretur; ſed communi totius Regni luctu parentaret coronato carnifici. Herode Aſcalonita extincto audiens S. IOSEPHVS, quod Archelaus regnaret in Iudęa pro patre ſuo timuit, vt habemus ex ſacro textu Matth. 2. illò ire. *Cur timuit?* Reſpondet Theophilactus in idem caput ſecundum Matth. *propter Archelaum, qui non eſſet melior patre ſuo.* Illius crudelitatem, quando immiſſa cohorte in feſto azimorum tria Iudæorum millia trucidari iuſſit, deſcribit Ioſephus Heb. l. 17. antiquit. Inde non multò poſt apud Cæſarem accuſatus iudicio Romani Senatus proſcriptus apud Viennam Galliæ extorris in ſummis anguſtijs obijt. Interim Herodes Antipas, vt ſe in Iudæorum gratiam inſinuaret, & crudeliſſimum Archelaum e ſolio exturbaret in Galilæa, vbi tunc regnabat, mitius agebat. Vnde S. IOSEPHVS prudentiſſimus IESV Infantis tutor, & cuſtos, ſimulque prouidus, Sponſæ Virginis Sponſus, non debuit a Ga-

liæ i vllo metu abſterreri, quominus Patriam, Vrbem Nazareth repeteret, ac ſe, ſuamque familiam reſtitueret.

Ingens pretium pro locato hoſpitio, Aegyptio regno repenſum.

V.

INgens pretiũ locati diuini hoſpitij Aegypto fuit ipſe cum MARIA, & IOSEPHO conductor IESVS Infans, & Ægyptus idololatra in fidelem, profana in ſacram, impia in piam conuerſa. *Si quis* inquit S. Io. Chryſoſt. hom. de S. Babyla Mart. illam *Aegyptum veterem nouit rebellem Deo, ac magnitudine ſuperſtitionum furentem, adorantem irrationales animantes, porros etiam, cæpaſque colentem, hic optime Chriſti poteſt noſſe virtutem, per quem facta eſt tam admiranda mutatio.* Ecce cur in Ægyptum e Patria fugit cum Matre, ac Tutore IESVS Infans? *Quare in Aegyptum?* interrogat Origen. hom. 3. in diu. & ſibi reſpondet *propter multitudinem, qua ibi eſt idolorum, abhominationumque multarum*, ſubiungitque *vt deſtruantur manufacta eorum, vt confringantur, & pereant idola ipſorum. Quare in Aegyptum Chriſtum portauit?* ita de Maria Deipara interrogat Euſebius Emiſſen. in expoſ. Euang. de Ch. fuga, reſpondetq; *vt lux in tenebris luceret, & populus qui ſedebat in tenebris lucem magnam videret.* Similia habent Euthymius hic S. Athanaſ. l. 1. de Incar. Verbi, S. Anſelm. in c. 2. Matth. S. Bonau. de vita Ch. c. 12. S. Cirillus Hieroſol. Cathe. 10., S. Antoninus 1. p. t. 5. c. 1. & alij innumeri. *Cum Dominus in puerili ætate* verba Procopij ſunt in

c. 19.

c. 19. Iſa. *in Aegyptum deuectus eſt ineffabili potentia confregit idola*. Fugiſſe ait S. Leo l. de Epiph. in Aegyptum IESVM Infantem *vt antiqua gentis cunabula repeteret, & principatum veri Ioſeph maioris prouidentia poteſtate diſponeret*. Qualis fuerit Ægypti facies, cum illò acceſſit profugus IESVS, & quanta ſuperſtitionis ſtoliditas explicat S. Cirillus, qui ait Ægyptios præ alijs ſuperſtitioſores, pro Numinibus ſupra altaria volatilia, piſces, capras, oues, vitulos, imò domeſticos canes, nocturnos Accipitres, maleolentes hircos, antropophagos Crocodillos, & ſtolidos aſinos adoraſſe. Addit S. Auguſtinus ipſas hortorum peſtes allia, & cæpas. Sed aduenienre peregrina diuina familia impletum eſt illud Iſa. 35. *Exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium: germinans germinabit*. Audire præſtat Io. Chryſoſt. loc. cit. aurea eloquentia Aegyptum Chriſtianam ſic deſcribentem. *Si quis ad Aegypti veniret ſolitudines, Paradiſo prorſus omnem illam videret eremum digniorem, & innumerabiles Angelorum cætus in corporibus fulgere mortalibus, & populos Martyrum, & choros Virginum, & omnem quidem tyrannidem diſſolutam, Chriſti autem regnum coruſcans, & illam quondam Magorum, & Philoſophorum parentem, cunctarumque huius generis artium repertricem, quæque etiam cæteris propria inuenta tradiderat, videbit modo Piſcatorum magiſterio gloriantem, & contemptis omnibus iam illis, repudiatiſque Doctoribus, publicanos vbique, & pellium ſutores circumferentem, atque ad maximam fidei ſuæ gloriam crucem Domini præferentem &c.* Albertus Magnus de fuga Chriſti ait fuiſſe erectum

ab Aegypti js altare *ignoto Deo*, qui idola proſtrarat, & ſanarat plagas eorum iuxta vaticinium Iſaiæ c. 19. *In die illo erit altare Domini in medio Aegypti, & titulus Domini iuxta terminum eius erit in ſignum Domino exercituum in terra Aegypti*, licet S. Auguſt. lib. de vnit. Eccleſ. c. 14. Eccleſiam Aegypti intelligat, quæ multa annorum ſpatia cum tanta perfectione floruit, vt narrant Theodoretus, Palladius in hiſtor. Lauſiaca, Niceph. Euſebius & omnes Scriptores Eccleſiaſtici.

IESVM
Duodennem amittit Maria, & recuperat.
THRENI.
ELOG. XXI.

Et ſtatim veniet ad Templum ſanctum ſuum Dominator, quem vos quaritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis. Malach. 3.

Conſumatiſque diebus, cum redirent remanſit puer Ieſus in Hieruſalem, & non cognouerunt Parentes eius &c. Lucæ 2.

Quid quereris Mater, & quæris?
An IESVM an Filium?
IESVS a MARIA diuidi non poteſt:
in te ſi quæras inuenies.
Filius piè Matrem deſerit,
qui Patrem adit.
Queri poteſt Pater,
quod tres Olympiades maternam,
tres tantum dies paternam domum coluerit.
Sed ille, qui domum ſuam in Templo inuenit,
iam Templum domi fecerat.
Aliud tibi triduum o Mater funeſtius erit,
cum amiſſus in tumulo, nō in Templo latebit.
Iterum donabit Pater Matri puerum,
vt acerbius repetat virum,
non philoſophantem inter Iuris-peritos,
ſed inter omni iure iniquiſſimos
latrones morientem.
Orbis decrepitus
deſipiens in hac ſua vltima ætate

ab hoc Puero forſan ſapere diſcet.
Sapient ſenes;
ſi cum ſolo IESV repueraſcant.
Sapient pueri,
ſi illis ſolus IESVS magiſter
in Templo ludum aperiat.
Incipient detumeſcere ſuperbi Phariſei;
vbi illos æternæ ſapientiæ Eccleſiaſtes
duodennis arguet.
Nihil magis corrigit præceptores ſuperbiæ,
quam ſpirans exemplum humilitatis.
Neque putetis minus eloquentem,
quia loquentes audit,
minus doctum, quia Doctores interrogat.
Maius miraculum eſt, quod VERBVM audiat,
quam quod loquatur.
Interrogaſſe etiam miraculum eſt,
quia VERBO diuino vox humana
reſpondere non poteſt.
Nō tamen mirū fuit in medio Doctorū ſedere
centrum omnium.
Ad hoc punctum docti omnes venite
per lineam rectam veritatis.
Oriens Infans ipſo ſuo ſilentio erudire potuit
tres orbis terrarum Magiſtros Magos orientis,
qui deinde VERBVM abbreuiatum,
quod legerant,
Europæ, Aſiæ, Africæ explicarent.
Peripateticæ ſectæ Chriſtum nemo autumet:
ſedens philoſophatur,
Etiamſi Ariſtotelis nomen impleat
OPTIMVS rerum omnium FINIS,
vnicum VERBVM
ſupra omnem tamen philoſophiam ſapit.
Quam peruerſi fuerunt illorū mores hominū,
quos

quos ſenes docere debuit puer?
Quanquam quidnõ doceat ſenes legis peritos
Puer legiſlator?
Solus DEVS-HOMO
diuini, & humani iuris vtriuſque Doctor
de ſuo poterat illud interpretari.
Solus digeſtis in vnum ſanctitatis legibus
immenſum vnius VERBI codicem dedit;
& in duodecim annorum ætatula
ſanctius aliquid ſupra duodecim tabulas.
Eſdras diuinus,
ſe ipſum exponens totam legem dictabat.
Ipſe auctor Pentateuchi magis, quam Moyſes
quod ſcripſit de mundi molitione, fecit.
Abi tamen mi IESV de cathedra,
in qua, in Templo ſedes:
aſcendenda eſt in Caluario ſublimior,
in qua ſtabis.
Ibi Iuris-peritus infirmitatum noſtrarum
ſpineam pro laurea geſtabis.
Ibi etiam cathedra erit cruciaria,
& annuli aurei in ferreos vertentur clauos.
Eris totus intus liber, & foris
interpunctus vulneribus;
exaratus flagellis,
cruore ſcriptus,
lugendus, cum legendus.
Innocenter amiſſum Filium parentes in via,
religioſè in Templo inueniunt.
Nunquam facilius Deus recuperatur,
quam cum ſine piaculo amittitur.
Non eſt Chriſtus circumforaneus:
in templo ſemper reperies, ſua domo.
Ad hunc tamen portum felicitatis,
ventum eſt non niſi per mare lachrymarum.
Hiſce

Hiſce liquidis cordis vnionibus,
quos mundus ſpernit,
Deus emitur.
Ita IESVS ne ignoraretur ſummus Pontifex
in medio Doctorum ſynedrin coegit,
& cùm publica etiam mundi hoſtia ſit,
cępit ſui corporis pręſentia altaria cõſecrare.
Illa tamen conſecrabit copioſius
cum latens in Templo verè Deus abſconditus
non inter Doctores ſedebit,
ſed ſtabit in manibus Sacerdotum.
Nunquam Iudæa Hieroſolymis coacta
glorioſius, quã cũ hoc Agno, paſcha celebrauit

O Deus & Pater æterne clementiſſime, & benigniſſime tibi placuit mihi dare Filium tuum: Sed ecce perdidi eum, & neſcio vbi ſit. Redde eum mihi o Pater: tolle mihi amaritudinem iſtam, & oſtende mihi Filium meum. Sed ad Ieſum ſe conuertens dicebat: O Fili dilectiſſime vbi es? Quid eſt de te? Apud quem nunc hoſpitaris? Indica mihi, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, vbi requieſcas in nocte. Doce me quomodo veniam ad te, vel tu redi ad me. Oſtende mihi faciem tuam, & ſalua ero. Sonet vox tua in auribus meis. S. Bonau. in medit. vitæ Chriſti c. 14.

Per illud itaque triduum vbi eras, o bone Ieſu? Quis cibum, aut potum miniſtrauit? Quis detraxit calceamenta &c. & infra. *Quid dicam Deus meus? An vt te per omnia noſtræ conformares paupertati, & in te humanæ naturæ calamitates ſuſciperes quaſi vnus è turba pauperum ſtipem per oſtia mendicabas? Quis dabit me buccellarum illarum ſic mendicatarum fieri participem?*

ticipem? Vel ſaltem diuini illius edulij reliquijs ſaginari. S. Bernard. hom. intra oct. Epiph.

De amiſſione, & recuperatione pueri Ieſu in Templo Hieroſolymitano.

CAP. XXI.

ANnus Ieſu Chriſti duodecimus, Matris Virginis vigeſimus ſeptimus, vtrique parenti MARIÆ, & IOSEPHO magnorum luctuum fuit, & gaudiorũ parens. Erat Nazarena domuncula omnium Regia virtutum, Templo ſanctior, cælo illuſtrior, mundo amplior. Omnis ſanctitas veluti patrimonium in hac vna familia erat: tota familia in vno puerulo IESV viuebat. Inopi vnius Fabri officinæ deductis Superum colonijs in terras, ambitioſo famulatu tota ſeruiebat Aula cæleſtis. Feliciſſima in ſuis anguſtijs MARIA non dici non poterat, cuius ingens dignitas, ac pene immenſa erat Matrẽ coli ab eo Filio, quem Deum adorabat. Ditiſſimus in ſua pauperie prædicari IOSEPHVS poterat, cui Deus Filium ſuum pignori dederat, & ne pretio cuſtodia careret, addiderat totum ærarium bonorum cæleſtium, ac theſauros Empyrei. Sed omnis vtriuſque Parentis beatitas, Filius erat. Ille nunquam paruus etiam cum puer, egreſſus a ſummo cælo a prima infantia exultauit vt Gigas ad currendam viam noſtræ mortalitatis. Ille a moribus non minus, quam

a patria

a patria Nazaræus adhuc Infans videri potuit Idea ſanctimoniæ, innocens Sanſon, & virgo, incruentarum victoriarum ſpirans prodigium, & caſtiſſimorum amorum. Ille vnus admirabili apotheoſi omnia humanarum virtutum nomina ſuo Numine adhuc a primis annis conſecrauit. In IESV infantia nemo aliud quærat, præter ipſam. Magnum erat miraculum VERBVM INFANS. Imò nec ipſam infantiam quærat. Hoc enim nouum inſolenti prodigio fecerat rerum Dominus ſuper terram, vt fæmina circumdaret virum, etiam antequam ab vtero virgine naſceretur. In hoc ſimilem primo Adamo ſecundum cognoſce, quod vir natus infantiam non nouit: in hoc diſſimilem, quod gemellam, cum qua conceptus eſt, innocentiam amittere non potuit. Vterque in Paradiſo deliciarum primos Soles traduxit; ille in horto, hic in vrbe florum Nazareth, geminatis in materno ſinu, horto nimirum voluptatis concluſo, delicijs. Alia crepundia diuinus Infans non habuit, quam ligneas cruculas, quæ viro in trabalem creſcerent. Hiſce cruciarius Deus in primæ ætatis oblectamentis exhilarare debuit geniũ ſuum patiendi. Alios etiam in Infante Deo ludos ne quæras, quam eos, quibus infantis mundi conditor luſit in orbe terrarum, ſerios nimirum hominum amores. Filij Dei vera indoles fingi non potuit: ad eius ingenium conficta ſunt omnia. Adoleſcere ſapientia non debuit, quam ante infantiam habebat, anteuertens annos, adultam in Infante, grandæuam in puero, ac nunquam in paruulo non maximam. Magiſter antequam diſceret MARIÆ & IO-

SEPHI

SEPHI magiſterium erudiebat, tota eloquentia Patris, & VERBVM æternum, in quo omnia Pater dixit, etiam cum taceret. Superabat omne pretium diſciplinæ, tanti præſentia Auditoris, qui plura docuit ſuo ſilentio, quam aliena didicerit oratione. Inter tot fabrilia ligna ſyluеſcere nunquã potuit diuina humanitas DEI-HOMINIS. Totus amor in MARIÆ ſinu, archipyraticam cordium exercebat in mari gratiarum. Vnus diuinus Puſio vtriuſque mundi delicium Matrem oſculis, Patrem amplexibus, Superos imperijs, verbis homines, cælum aſpectu, inceſſu terram, elementa riſu, contactu vniuerſa beabat. Dicite Superi! Quale felicitatis prodigium Virginem Matrem Filio inter faſcias fulminatori, inter vagitus tonanti, vbera admouere, ſtringere bracchijs Paruulum cælo excelſiorem, longiorem ſæculis, mundo maiorem, totum Diuinitatis immenſum pondus virgineis manibus ſuſtentare, tangere digito non tantum cælum ſed Deum, Paradiſum omnium deliciarum, ſummumque ipſum bonum in ſinu fouere! Et certè diuina Amalthea verum Iouem lactans, cæli terræque Regem, feciſſet, ſi non inueniſſet bonorum omnium copiam. Dicite iterum Superi! Quale felicitatis prodigium Archetypum Numen locare fabrilibus inſtrumentis opifices mundi manus, caſtum Sponſum, hominem quidem eſſe, ſed Dei Seruatoris ſeruatorem, toties in vno Filio omnium hominum Patrem, quoties in eo omnium vitam terrarũ orbi ſeruauit! Hic Promuſcundus non Ægypti, ſed Cæli ſupra omnes Pharaones Regis Regñ Proregem egit. Nullus vir IOSEPHO, nulla

virago MARIA diuina tractauit humanius, humana diuinius. Amore humili Deo Filio IOSEPHVS omnia ſerui Pater impendit munera, omnia Patris ſeruus. Auctoritate quoque Matris MARIA æquè demiſsè imperans, & ſublimiter famulans ancillæ obedientia non minuit. Nemo hominum amantius obediet, quam ipſi imperarint: nemo magnificentius imperabit, quam ipſi ſeruierint. Nulla proles habuit Parentes verè parentes, præter hanc Dominam omnium. Hæc vtriuſque Parentis corculum nunc e materno, nunc e paterno ſinu pendebat vitam inſinuans, & portantes portans. Omnis potus, Deo conuiuæ, nectar, omnis cibus vtrique ambroſiam ſapiebat. Diuinis cænis aliquid ſupra Pontificias erat concedendum. Nec ita ſub fabri Filio erat verè Deus abſconditus, quin *ſpecioſus forma præ filijs hominum*, cuius *ſub lingua mel, & lac ſtillabat*, cuius in corpore candor micabat lucis æternæ, radiante vndequaque corporata Diuinitate; cum ſummis amoribus, ſummam quoque venerationem extorqueret. Licet enim breui corpuſculo ſtringeretur immenſitas, ſuſtentatus inter digitos mundus, imò aliquid mundo maius premeretur, puerile pectus infinitos amores, tenerum caput æternam ſapientiam includeret, manu omnipotentiam, tota humanitate totam Diuinitatem tegeret, amplexibus tamen ſuis lilia ſpargebat, & roſas, oſculis vitam inſpirabat, Paradiſum inhalebat riſu, fronte cælum explicabat, oculis ſolem & aſtra, totamque Empyrei ſereniſſimam ſemper maieſtatem irradiabat, labijs fundebat oracula, ſolo aſpectu Numen dabat.

vultu

vultu Deum latentem prodente, ac totus erat in Filio Deus Pater. Ita dum Augſtus publico edicto abdicans a ſe ſuperbum *Domini* titulum cælo prouidente, vt vnum verum Domium poſſet orbis terrarum venerari, Romæ in vrbe rerum Domina regnabat; Rex Regum, cui pro Aula officina, per ſolio venalia ligna, pro purpura panni erant, in domuncula Nazarena vero Paradiſo deliciarum inter MARIÆ; & IOSEPHI amplexus florebat. Sed teſſellata ferè ſemper bonis mala ſunt, & gaudia ipſa cæleſtia in ſanctitatis etiam Heroibus de more luminum ſupernorum, licet rarò, aliquando tamen breuem Ecclypſim patiuntur. Cum IOSEPHVS & MARIA, cum IESV duodenni ex vrbe Nazarena Templum Hieroſolymitanum adijſſent, & in patriam domum poſt exhibitum abunde legitimum Numini cultum, remearent, inter viæ Comites diuinum Puerum non inuenerunt, cuius præſentia vita ſuauior, abſentia morte acerbior erat. Facile fuit vtrunque Parentem ab amore decipi, vt ſe præ oculis putarent habere, quem in corde geſtabant. Hoc argumento ſe quoque cæcum eſſe amor cæleſtis, & virgo probauit. Summum dolorem excitauit ſummus tanti boni amor, cum ſenſit amiſſum. Hæc vnica eſt ad IESVM recuperandum via. Ille ſiquidem euangelicum pretioſiſſimum margaritum eſt, quod poſcit naufragos inquiſitores in mari ſuarum lachrymarum. Itaque Hieroſolymam regreſſi inter cognatos ſubductos oculis, infixos cordi amores ſuos quæſiuerunt. Sed fruſtra, nam Puerum quærebant illorum omnium ducem,

quibus deinde vir fugam a cognatis ſuaſit, & iam tunc verba factis, exemplisque ſuis diuinæ authoritatis præcepta præcurrebat. Elapſo tandem triduo in Templo ſedentem inuenerunt, audientem diuinæ legis Doctores, interrogantem, reſpondentem illis, docentemque ſtupentes, atque in tam diuinæ ſapientiæ admiratione ſuſpenſos. Inde parentes Filium, corde amoris vi liqueſcente, & per oculos in lachrymas tenerrimas effuſo ſuauiſſima expoſtulatione rogatum de triduana ſeceſſione poſt admirabile reſponſum, quo ſe diuinum negotium egiſſe, ac totum vti debebat in paterni honoris procuratione fuiſſe teſtatus eſt, ad patriam domum cælo, terraque gratulante reuocarunt. Amiſſi dolor, lætitiam geminauit inuenti. Certè nunquam Matrem tam bonam, ac magnam deſeruiſſet, niſi vt Patrem optimum maximum adiret. Nulla maior pietas eſt, quam Patrem, Matrem, omnemque ſanguinis neceſſitudinem pro Dei cultu eiurare, atque impium videri. Illum puerum, qui ita impius videri, & pius eſſe poſſit, virum dicas. Hæc trieterica æterno Patri Filius cum ingenti gaudio dedicauit. Sed per lachrymas Matris inuentus docuit non niſi naumachia Deum vinci poſſe, corde in lachrymarum mari velificante. Hic fons abyſſi ex oculis noſtris manans, nouum vbique inſtituit Paradiſum deliciarum. Harum aquarum Hydromantia ſemper Deum reperias. Habemus in nobis philtrum, quo diuinos innocenter prouocemus amores. Inuentus quoque in medio Doctorum docuit omnium ſcientiarum enciclopediæ centrum, IESVM eſſe. Aperturus

ille in porticu Salomonis pro populi diſcipli-na adultus Stoam, prius in Templo pluſquam Salomon IESVS adhuc duodennis licæum Doctorum inſtituit. Seneſcentis mundi argumentum videretur hæc puerilis ſapientia, niſi æterna eſſet, & ille qui annos præuertit, ac philoſophiã ſine pallio etiam in prætextu docet, Pater eſſet ſæculorum. Sed plura audijt diuinus Puer, quam interrogarit, plura docuit, quam dixerit. In corporato verbo etiam tacente legi poterant a legis Doctoribus omnia humanarum, diuinarumque legum placita, imo ipſa ſilentia ſupra omnem eloquentiam ſapiebant. Habent virtutes linguam ſuam, ſuadentque cum victoria diſertæ oratrices, vbi fæcundæ potius factis, quam facundæ dictis agunt potius, quam loquantur. Poterat erudire magiſtros ſenes Puer ſine magiſtro eruditus, vera Pallas paterni capitis, & omnia ſcientis intellectus æterna proles. Non pauca tamen verbis docuit IESVS VERBVM ferè dixerim INFANS, & veritas loquens. In medio inſipientium Doctorum veluti ſapientiæ Sol medius inter errantes planetas, quot ſplendidis mendacijs Eccl ypſim peperit? Erubuit in ſenibus Magiſtellis inuerecunda canities ſuperſtitiones inueteratas a Puero orbis terrarum magiſtro dedocta. Orationis, quam ſæpius tumidam, & ampullarem ſectam Phariſæorum inſectatus eſt vir, exordium hìc habuit adhuc Puer. In arca cordis palam conteſtatus eſt ſeruari legem ſanctius, ac religioſius, quam pendere e ſolo veſtibulo frontis, ſanctuarium animarum, non ventorum ludibrium. Nihil aliud profeſſus eſt ab illis agi

in hac oſtentatione legis, quam oculis cæcutientibus aliam ſuperinduci tunicam, vt cæcitatem geminarent, & debitum ſuæ infidelitati anathema ſuſpenſæ religionis Myſtæ, è ſuperbis ſupercilijs explicarent. Docuit etiam ſtolam primam innocentiæ niuibus contextã, fimbrijs carere, & magnificentiam Syntheſeos fimbriatæ aperire eorum ſuperbiam, dum hypocriſim induit. In ſolido deſcribi vult ſcripta primùm lex amanuenſi Deo in authographo lapideo. Non deerat abiectis leuibus membranis in eorum cordibus viuus lapis, ex quo tabulas legis conficerent. Satius erat dilatare philacteria non humanæ iactantiæ, ſed diuinæ charitatis, ex qua tota lex pendet. Hoc cæleſtis regni diadema ex populo Reges facit. Ita in medio Doctorum laureata æterna ſapientia in IESV duodenni ſuas diſputationes theologicas de diuinis rebus feliciter abſoluit, ſtupentibus hominibus, plaudentibus ſuperis. Oblatus Dei Filius in Templo infantiam: amiſſus etiam pueritiam conſecrauit. Feſtum diem feciſſet Hieroſolymis aduentu ſuo, ſi celebratum iam non inueniſſet, ſtatuiſſetque corporatus Deus in omni loco Templum. Interim iterum MARIA, & IOSEPHVS medium IESVM complexi, annulo ſuo gemma infiniti pretij inſerta Deo adamante, Nazarenum iter feliciſſimè redordiuntur.

ELECTIORA
Ex Sacris Scripturis, SS. Patribus, Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Doctoribus Scholaſticis de amiſſione Pueri IESV, & recuperatione.

SYNOPSIS.

1 DE maternis delicijs in educatione Pueri IESV. 2. Accedit Hieroſolymam Diuina familia, & rite Templum adit ſecundum anniuerſariam conſuetudinem. 3. Aliqua in duodennario annorum numero Pueri IESV Myſteria aperiuntur. 4. Admirabiles rationes, ob quas ille Parentum aſpectui ſe ſubduxit, expenduntur. 5. Quomodo id acciderit reſpectu Matris Sanctiſſimæ, in quam nullus error cadebat? 6. Interrogatio Matris Fili &c. affectum quidem doloris exprimit, ſed innocentem, & laudabilem. 7. Nec fuit nimius, licet cumulatiſſimis gaudijs compenſatus. 8. Reſponſum Filij Neſciebatis &c. nullam Matris culpam arguit, vbique irreprehenſibilis. 9. MARIA IESVM cum dolore inquirens in Templo rectam nos amiſſum Deum quærendi viam docet. 10. An hoc triduo Puer IESVS cibum emendicauerit?

De Maternis delicijs in educatione Pueri Ieſu.

I.

INgentes delicias cæleſtes, quibus per ſummam felicitatem perfundebatur Virgo Sanctiſſima in educatione Pueri IESV in ætatula molliori, ac teneriori, vti nemo poteſt animo concipere, ita nec oratione complecti. Audire tamen præſtat pium B. V. cultorem Amedeum Lauſan. hom. 4. qui hæc habet. *Felix, cui præſtitum eſt fouere eum, qui fouet omnia, ac nutrit, portare portantem vniuerſa, lactare Filium, qui lac ipſis vberibus infudit, paſcere cuncta paſcentem, & eſcam volatilibus*

 admini-

adminiſtrantem. Pendebat in collo eius Patris ſapientia, & in humeris eius virtus mouens cuncta, reſidebat. Stabat in ſinu materno paruulus Ieſus, & ingremio quieſcebat virgineo ſanctarum requies animarum. Aliquando ſubnixo capite laua, dextraque tenentem vultu placidiſſimo Genitricem aſpiciebat, quam deſiderant Angeli videre, & blando murmure vocabat Genitricem, quam omnis Spiritus apellat in neceſſitatibus. At illa repleta Spiritu Sancto ſanctum pectus ſuo pectori copulabat, & faciem illius faciei ſuæ applicabat. Nonunquam oſculabatur manus, & bracchia, & materna confiſa licentia ab eius ore ſacratiſſimo dulcia oſcula carpebat. Non ſatiabatur viſu, nec implebatur auditu, quia illum videbat, & audiebat, quem multi Reges, ac Prophetæ voluerunt videre, & non viderunt, & audire, & non audierunt. Vniuerſaliter aſſerit Guarr. Abb. ſ. 2. de Aſſump. in perſona B. V. loquens nunquam diuinum puerulum ſe maternis oſculis, alijſque tenertimis blandimentis, quibus Matres ſolent Filios ſuos ſuauiari, ſubduxiſſe. *Cum Paruulum* inquit *tenebam inter bracchia, quoties oſculari ſpecioſum forma præ filijs hominum mihi libebat, ſatis licebat. Nunquam faciem auertebat, nunquam Matrem repellebat. Et ſi fortaſſis impatientia deſiderij eram nimia, ipſe tamen more ſuo morem Matri gerebat. Gaudebat ea replere gratia, quæ diffuſa erat in labijs eius, & dulcedine, qua totus erat plenus, totus concupiſcentia, & deſiderium caſtarum ſcilicet animarum &c.* Has delicias Deipara Sanctiſſima ſæpius virgini Sponſo S. IOSEPHO communes eſſe volebat. Vnde ext at religioſum illud; & dulce deſide-

rium

rium Mag. Cancell. Pariſ. Io. Gerſonis apud Stephanum Binettum, qui pium, & eruditum libellũ ſcripſit de vita & meritis S. IOSEPHI. *O quis mihi det hymnum de canticis Sion ex Maria ſuauiter audire in terra aliena, baiulantem in vlnis Deum & tradentem Ioſeph viro ſuo baiulandum, & oſculandum videre!* In hoc cumulo deliciarum B. Virgo Filium ſuum vſque ad annum duodecimum educauit.

Accedit Hieroſolymam diuina familia, & rite Templum adit ſecundum anniuerſariam conſuetudinem.

II.

ANnis ſingulis poſt reditum ab Ægypto conſueuiſſe ſanctiſſimos IESV parentes templum adire in Paſchali ſolemnitate mihi certum eſt ex illo Lucæ 2. *Ibant parentes eius per omnes annos in Hieruſalem in die ſolemni Paſcha.* Sed quia præcipuæ Hebræorum ſolemnitates tres erant, vt habemus Deuter. 16. nimirum ſolemnitas azimorum, hebdomadarum, & tabernaculorum probabile eſt in alijs etiam ſolemnitatibus præter Paſchalem religioſiſſimos Virgines Sponſos templum adijſſe. Erant hæ præcipuæ ſolemnitates, vt habemus etiam Ex. 23. & 24. quia alioquin aliæ multæ celebrabantur. Feſtum azimorum incipiebat a Veſperis diei 14. menſis 1. vt habemus ex 12. & 23. ex. Feſtum Pentecoſtes, quod erat hebdomadarum, 50. poſt feſtum azimorum die celebrabatur, vt notatur in Leuit. 23. & in Deuter. 16. Feſtum tabernaculorum, ſiue ſcænopegia celebrabatur die 15. menſis ſeptimi. Sed de his præter ſacrarum litterarum Inter-

pretes fuſè agit Io. Stephanus Menochius vir doctiſſimus in Republica Hebr. Modum, quo iter illud confecerant magni Sponſi, & Dei parentes piè, & eruditè expendit Eucherius hom. in 2. Lucæ.

Aliqua in duodenario annorum numero Pueri IESV myſteria aperiuntur.

III.

IN ipſo numero annorum Chriſti Domini duodennis magiſtri in Templo myſterium agnoſcit S. Ambroſ. hìc, nimirum promulgationem Euangelij per duodecim Apoſtolos orbis terrarum magiſtros, quaſi hoc anticipatum magiſterium eruditioni omnium populorum proluderet. *Anno duodecimo ait dominica ſumitur diſputationis exordium; hic enim prædicandæ fidei euangelizantium numerus debebatur.* S. Ambroſ. conſonat Vener. Beda. *Neque abſque prouidentia* inquit *duodennis prima fidei rudimenta reuelabat, quæ duodecim Apoſtolorum miniſterio cuncta erant reuelanda, & elucidanda per orbem.* Ad duodecim Tribuum Iſraeliticarum conuerſionem gloſſa interlinearis refert hos duodecim IESV in templo docentis annos. Alia arcana, tum ſacra, tum profana perſequitur fuſè Io. Carthag. t. 3. l. 10. hom. 3.

Admirabiles rationes, ob quas ille Parentum aſpectui ſe ſubduxit, expenduntur.

IV.

ADmirabiles rationes, & planè diuinas adducunt SS. Patres, cur Puer IESVS in Templo latere voluerit. Princeps eſt, & prima-

primaria, vt manifeſtaret ſuam Diuinitatem, & profiteretur ſe alium habere Patrem, cuius negotium ſine vllius conſultatione agere debebat. Erant ſiquidem, vt notarunt etiam doctiſſimi Toletus hìc ann. 69. & Maldonatus §. ad 3. qu. in Chriſto Domino duæ diuerſæ genere operationum ſeries, aliarum cum cæteris hominibus communium, & aliarum propriarum, quæ Redemptori hominum conueniebant. In primis ſubdebatur Parentibus non neceſſitate, ſed voluntate: in ſecundis ſolùm æterno Patri ſubiectus erat. Edidiſſe teſtimonium ſuæ Diuinitatis in illis verbis *neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe*, & manifeſtaſſe Patrem cæleſtem, quem adhuc Hebræi ignorabant, affirmant PP. hìc, præſertim S. Cyrillus Alex. S. Greg. Mag. S. Epiph. Titus Boſtrorum Epiſc., Emiſſenus, Timotheus Præsb. Ven. Beda, Theophil. Euthymius, & alij. Vnde ex hoc oraculo conuinci falſitatis Valentinianos, & alios hæreticos perperam Diuinitatem Chriſti Domini negantes putat Patrum magiſter Origen. his verbis. *Primùm ſimpliciter ſentientes armemur aduerſus impios hæreticos, qui dicunt non eſſe Conditorem Patrem Chriſti Ieſu, neque Deũ legis, ſed neque Prophetarum. Ecce Pater, Deus Templi aſſeritur. Erubeſcant Valentiniani audientes Ieſum inquientem. In his, quæ ſunt Patris mei oportet me eſſe. Erubeſcant omnes hæretici &c.* Iacere quoque voluit Puer IESVS veluti fundamenta religioſi ſtatus, & ſuo exemplo docere filios-familias poſſe etiam inſcijs Parentibus, & ſine ipſorum conſenſu religionem ingredi. Ita Salmeron t. 3. t. 46.

& Morales in cap. 1. Matth. l. 5. tract. 8. At qualis idea ſanctitatis fuit IESVS Puer in negotio diuino omnia humana deſerens, etiam Parentes ſummo alioquin amore dignos? *Ille ſcire* inquit S. Gregor. 7. mor. c. 14. *dominum familiarius appetit, qui præ amore pietatis neſcire deſiderat, quos carnaliter ſciuit. Graui enim damno ſcientia diuina minuitur, ſi cum carnis notitia partitur.* Erat dicturus. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem ſuum, & Matrem ſuam, adhuc autem & animã ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Anticipato exemplo nunc iuxta eundem Mag. Gregor. l. 6. in 8. Luc. futurorum ſuorum exequutor eſt præceptorum. Exemplum hoc diuinum parænesis eſt ad conſilia euangelica amplectenda, ac ſeueriorem vitæ rationem inſtituendã vocatæ cælitus iuniori ætati ad hanc ſanctiorem diſciplinam etiam parentibus reluctantibus. *Habeant* illos, vt monet ex euangelicis oraculis Baſil. Mag. l. 6. inſtit. Monaſt. c. 2. *pro mortuis, & ſinant mortuos ſepelire mortuos ſuos. Dicant, quæ eſt Mater mea, & qui ſunt fratres mei? Beati qui audiunt Verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Egrediantur de terra ſua, & de cognatione ſua, & de domo Patris ſui, & Deus illis benedicet.* In templo cum puero IESV calcatis humanis diuina agant. *Contriſtabitur Pater* inquit magnus ille, & beatus eremi incola Hieron. epiſt. 1. ad Heliodor. *ſed lætabitur Chriſtus, lugebit familia, ſed Angeli gratulabuntur. Faciat Pater, quod vult de ſubſtantia ſua: non es eius, cui nata es, ſed cui renata, & qui te grandi pretio redemit ſanguine ſuo.* Hac pareneſi hortatur eloquentiſſimus

Doctor

Doctor nobilem fœminam ad ſæculi fugam. Audiant etiam omnes poſt IESV duodennis magiſterium diuino cultui addicti auream S. Bern. vocem in perſona omnium hic dicentis. *Quomodo te o bone Ieſu inter meos cognatos inueniam, qui inter tuos minimè es inuentus? Requirebant enim eum inter cognatos, & notos* vt habemus Lucæ 2., *& non inuenientes regreſſi ſunt Hieruſalem. Alius*, ſic omnes religioſæ vitæ addictos alloquitur Mag. Theolog. Nazianz. or. de Machab., *nobis mundus eſt omnibus rebus, quæ oculis cernuntur longè ſublimior, & iucundior*. Hinc illis competit egregium illud antiqui Tertulliani dictum ad Martyres in carceribus captiuos. *Nihil intereſt vbi ſitis in ſæculo, qui extra ſeculum eſtis; & ſi aliqua amiſiſtis terræ gaudia, negotiatio eſt aliqua amittere, vt maiora lucreris*. In eos etiam cadit luculenta comparatio Io. Caſſiani coll. 3. c. 7. ex doctrina Origen. hom. 27. in Num. cum ſanctiſſimo Patriarcha Enoch., de quo legimus Gen. 5. *Ambulauit cum Deo, & non apparuit, quia tulit illum Dominus. Et ſi* concludit, *videatur adhuc in ſæculo eſſe, qui eius modi eſt, & in carne habitare, tamen non inuenietur. In quo non inuenietur? In nullo actu ſæculari, in nulla re carnali, in nullo colloquio vanitatis inuenietur; tranſtulit enim Deus illum ab ijs, & conſtituit in regione virtutum*. Addo de meo hanc vltimam rationem, ſubtraxiſſe ad aliquod tempus parētibus præſentiam ſuam IESVM puerum, vt illorum amor magna incrementa acciperet, & meritum. O quoties MARIA Deip. votis in verba erumpentibus expreſſit illum Sponſæ cæ-

H 4 leſtis

leſtis affectum cant. 5. quærentis Dilectum ſuum. *Adiuro vos Filia Hieruſalem, ſi inueneritis Dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo!* Alias rationes affert Io. Bapt. Nouatus t. 1. c. 16. q. 2. ſed hæ ſufficiunt.

Quomodo id acciderit reſpectu Matris Sanctiſſimæ, in quam error nullus cadebat.

V.

E Lynceis oculis amantium Parentum mirum eſt, quod ſe ſubduxerit vnicus vtriuſque amor Puer IESVS; ſed multò magis mirum, quod illuminatiſſimam Matrem latere potuerit. Eſtò, id non cognouerit ex habitu ſcientiæ infuſæ, nec per vllam peculiarem reuelationem; an errare potuit Mater iudicans alibi eſſe, quàm reuera eſſet, an ignorare in ipſius Comitatu non eſſe? Ignorantia duplex eſt, altera, quæ in praua diſpoſitione conſiſtit, & dicitur error: altera, quæ in pura negatione ſcientiæ. Illam primam meritò à Deip. Virgine proſcribit Suarez t. 2.3 p. diſp. 19. cum alijs. Licet enim etiam poſitiuus error nullam peccati maculam moralem dicat; importat tamen quandam animæ indecentiam, & ſpiritualem imperfectionem, quæ iure a Dei Matre ablegatur, vti dicitur de appetitus deordinatione etiam non libera. Eodem modo philoſophatur de Beatis Angelicus Doctor opuſ. 71. & c. 2. q. 5. a. 4. quem ſequitur Suarez l. 2. de Angelis c. 33. Et certè excellentia ſtatus Beatorum videtur excludere omne malum. Error, vt docet S. Auguſt. l. 3. de libero arbit. c. 18. licet non ſit peccatum, eſt tamen pœna per peccatum inducta. Omnis ergo erroris expertem

pertem iure dicimus Sanctiſſimam Dei Matrem. Non itaque putauit iudicio abſoluto B. V. puerum IESVM eſſe in comitatu, ſed iudicio quodam modali iudicauit ex adiunctis veriſimile eſſe,& probabile,quod a comitatu non abeſſet. Hoc iudicium fuit verum, etiamſi re ipſa ille in comitatu non eſſet. Hiſce iudicijs vtebatur in ſimilibus caſibus, quæ ſcientifica ſunt, & in Beatos cadunt. Imò in Deū etiam cadere poſſe probat Theophil. Raynaudus in Theol. natur. d. 8. n. 46. Ita iudicaſſe B. Virginem in præſenti Filij amiſſione cenſet etiam Molina in Coſmop. d. 26. Alia eſt ratio de ignorantia negatiua, ſiue pura carentia alicuius ſcientiæ. Hanc a B. V. communiter non remouent Doctores, quotieſcunque non erat debitum, & decentia ad aliquid ſciendum, & varias congruentias adducit Card. Toletus *Lucæ* 2. annot. 83. Illa plenitudo ſcientiæ multiplicis, quam nihil latet, & Filio conceditur, B. Virgini in tali extenſione ad omnia obiecta cum fundamento tribui non poteſt. Nihil tamen vnquam ignorauit B. Virgo eorum, quæ eam decebat ſcire. Explodendus eſt itaque Eraſmus, quem iure verberant duo doctiſſimi hæreticorum hoſtes, & profligatores Caniſius l. 4. de Deip. c. 2. & Suarez t. 2. in 3. p. d. 21. ſ. 1. Affirmat ille Deip. Virginem Infantem IESVM non ſtatim, ac genuit adoraſſe, quia non adhuc illi quidquam de Filij Diuinitate conſtabat. An ignorabat Dei Mater poſt partum virgineum, quod ante illum Elizabeth ſciebat? vt docent verba illa Lucæ 1. *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me* iuxta omnium Pa-

trum ſenſum, qui ad verum Deum referunt? Audiendus eſt poſt Eraſmi exploſionem Ricch. Victor. l. 2. de Em. c. 27. qui ſic ait. *Hoc eſt vtique, quod B. Maria promittitur, cum ei ab Angelo dicitur. Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Legitur de diſcipulis Saluatoris, & teſtibus transfigurationis, quia nubes lucida obumbrauit eos. Si lucida fuit, quæ obumbrauit diſcipulos Chriſti, quam lucida rectè creditur, quæ ombumbrauit Matrem Chriſti? Sed ſi eius vmbraculum lucidum erat, ergo & lucem, & vmbram exhibebat, lucem ad depellendam ignorantiam, vmbram ad extinguendam concupiſcentiam*. Huic conſonat And. Cret. ad illa verba Zachar. 6. *Oriens nomen eius*. In *luce* inquit *concipitur verbum, mens enim intelligendo illuſtratur. Quantum verò lucis B. Virgo accepit ingrediente Deo vt faceret illam thalamum Paradiſi? Vnde illud Propheta. Oriens nomen eius*. Sed ſupra omnes magnificentiſſimè loquutus eſt S. Bern. inſignum Mag. MARIA inquit *ſole perhibetur amicta, quæ profundiſſimam vltra quàm credi poteſt diuinæ ſapientiæ penetrauit abyſſum, vt quantum ſine perſonæ vnione creaturæ conditio patitur, luci illi inacceſſibili videatur immerſa*. In tanta ſcientiæ cumulatiſſimæ commendatione non tamen aſſero cum Rup. Abb. l. 1. in cant. ad illud. *Indica mihi quem diligit anima mea &c.* B. Virginem in amiſſione Filij cognouiſſe eius latebras, & tamen quæſiuiſſe dolendo, vt diuinæ diſpenſationi ſeruiret. Hic non eſt Patrum ſenſus, & cum fuerit tantum carentia negatiua alicuius ſcientię, nihil nos cogit hiſce peregrinis interpretationibus illam a Dei Matre amoliri.

Inter-

Interrogatio Matris Fili quid feciſti nobis ſic *affectum quidem doloris exprimit, ſed innocentem, & laudabilem.*

VI.

ILla verba *Fili quid feciſti nobis* ſic, indicant in B. Virgine affectum doloris, ſed irreprehenſibilem, & iuſtum ex amoris vehementia, qui cupiebat Filium eſſe præſentem; nullam tamen ſecum ferunt inobedientiæ exprobrationem. Primum inſerunt, probant, & explicant duo pijſſimi, ac doctiſſimi viri Ludouicus a Ponte in ſuis medit. 2. p. med. 13. & Stapletonius in prompt. cathol. Dom. 1. poſt Epiph. & eſt omnium Sanctorum Patrum ſententia. Secundum, cuius oppoſitum palmaris blaſphemia eſt Brentij, Spangenbergij, Pellicani, Coruini, Magdeburgenſium, & aliorum hæreticorum, acriter defenditur a Caniſio l. 4. c. 14. conſentientibus omnibus alijs Catholicis. Præſtat potius alloquutionem Aelredi relati in Biblioth. PP. t. 13. in nouiſſima impreſſione ad euangelium. *Cum factus eſſet Ieſus annorum duodecim*, referre. Sic ille B. Virginem hic alloquitur. *O Domina mea quid dolebas? Credo non famem, non ſitim, non inediam timebas Puero, quem Deum noueras; ſed tantum ſubtractas tibi, vel ad modicum ineffabilis eius præſentiæ delicias querebaris. Tam enim dulcis eſt Ieſus guſtantibus eum, tam ſpecioſus videntibus, tam ſuauis amplectentibus, vt breuis eius abſentia maximi doloris materia ſit.*

Nec fuit nimius, licet cumulatiſſimis gaudijs compenſatus.

VII.

INdulſiſſe quoque B. Virginem nimium dolori falſiſſimum eſt, vt temerè calumniantur Nouatores. Certè iuxta crucem, vt docet S. Bern. ſer. in ſig. Mag conſentientibus omnibus Sanctis Patribus ſtetit infracta; multò magis dicendum eſt hoc de tridui huius dolore, multò leniori. Hinc non aſſentior illis, qui dicunt B. Virginem fuiſſe in Filij amiſſione iuxta etymologiam ſui nominis amarum mare. De hac nominis Mariani ſignificatione fusè ſcripſit Auguſt. de Ancona lect. 3. *Super miſſus eſt*, & plerique eam tradunt, licet aliquibus hebraicæ linguæ peritis non ſatis probetur. Si verum eſt hoc etymon ad dolores paſſionis referendum eſt. Ad hos pertinet etiam gladius Simeonis, de quo infra, ſi de primario dolore Mariano loquamur, qui fuit in cruciatibus, & cruce Filij. Multò minus aſſentior illis, qui dicunt eius dolorem hoc triduo cuiuslibet Martyris dolores ſuperaſſe; nam adſtruendum eſſet miraculum in conſeruatione ipſius ſupra naturæ exigentiam ſine fundamento ſacrarum ſcripturarum, & SS. Patrum, quod nullo modo congruè dicitur. Habuit ergo Deipara Virgo dolorem, ſed placitis diuinis conformem, Matris quidem amantiſſimæ amore dignum, ſed Matris Dei.

Indica mihi corde clamabat Mater ſimul, & Sponſa Filij ſui, cum Sponſa cæleſti *vbi paſcas, vbi cubes in meridie*. Annuit tandem Sponſus ſimul, & filius Puer IESVS, & indicauit in

ſacro

ſacro Templo inuentus. Abſcondit ſe, vt modicum dolorem ingenti gaudio cumularet; iuxta illud Mag. Gregor. l. 5. moral. c. 9. *Abſcondit ſe Sponſus cum quaritur, vt non inuentus ardentius quaratur, & differtur, quarens Sponſa ne inueniat, vt tarditate ſua capacior reddita multiplicius quandoque inueniat, quod quarebat.* Iuuentus IESVS quanta MARIAM lætitia perfuderit ſic Io. Chryſoſt. de verbis Dom. t. 2. rectè philoſophatur. *Si ſola Dei memoria Regio Propheta delectabilis erat ſuper omnia, quomodo ipſius Dei præſentia noſtræ Virgini ſuper omnes Mundi delicias non eſſet optata?* Ita SS. Parentes MARIA, & IOSEPHVS cum irent amiſſo Puero iterum Hieroſolymam *euntes ibant, & flebant mittentes ſemina ſua*, ſed ad patriam vrbem redierunt *cum exultatione portantes manipulos ſuos*, faſciculum myrrhæ, florem campi, frumentum electorum, fructus vitæ æternæ.

Reſponſum Filij neſciebatis, quia in his quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe, *nullam Matris culpam arguit, quæ vbique irreprehenſibilis fuit, & laude digna.*

VIII.

IMpudenter latrant, & ſi fieri poſſet, mordent rabidi canes heretici Dominam ſuam, cum non errorem tantum, ſed culpam in amiſſione Filij agnoſcunt. Amiſiſſe fidem de Diuinitate Filij in eius amiſſione Dei Matrem blaſphemat Coruinus Hæreticus apud Io. Chartag. t. 3. l. 10. hom. 13. Sed erroris conuincitur a S. Auguſt. ſ. 1. de Aſſumpt. Virg his verbis. *Non potuit MARIA Diuinitati Chriſti non*

eſſe credula, quæ nouerat hunc ſe non virili ſemine ſecundum ordinem naturæ, ſed diuino ſpiramine nunciante Archangelo concepiſſe. Hinc Brentij impijſſimus error damnatur dicentis hom. 9. in Lucam B. Virginem in hanc cogitationem incidiſſe. Si hic eſſet Meſſias, obediret parentibus, & clam ab illis non ſe ſubduxiſſet, & ſtultiſſima blaſphemia Spangerbergij aſſerentis Dei Matrem ſuam culpam agnouiſſe, & æterno ſupplicio ſe dignam iudicaſſe. Similis impoſtura ſceleſtiſſima eſt Hemnigij in Dom. 1 Epiph. vbi introducit MARIAM collata ſua miſeria cum illa primæ mulieris, miſerrimam. Nam, vt illa ait genus humanum a diabolo ſeducta perdidit, ita Virgo exiſtimauit ſe ſua negligentia amiſiſſe mundo promiſſum Saluatorem. Etiam Centuriatores ſuccenturiatis omnium inſanijs, & blaſphemijs centur. 1. comparantes culpam B. Virginis cum culpa Euæ graue peccatum ſtolidè, & nefandè agnoſcunt. Hæc e grege Lutheri aliqui in eius volutabro eructarunt, quæ fere illinire cartis calamus non audet. Ab his ſordibus, & alijs omnibus immunem demoſtrat intaminatam Virginem, & vt paſſim SS. Patres vocant SANCTAM SANCTORVM Theophil. Raynaudus in ſuis Dipt. Mar. p. 2. puncto 9.

Nec minus alienus a veritate eorum error eſt, qui dicunt in illis verbis *Neſciebatis &c.* Matrem a Filio reprehenſam fuiſſe. Cardin. Toletus paulò ante annot. 80. docet verba illa non fuiſſe reprehenſionis, ſed inſtructionis, & conſolationis. Admiranda exempla virtutum & argumenta dignitatis potius e verbis Marianis colligunt Patres. Chryſoſt.

Luſitanus

Luſitanus de verbis Dominæ t. 2. c. 11. cui expoſitioni ſuffragantur Cardin. Caietan. & Ianſenius, ille in c. 2. Luc., hic in ſua concordia. Vt oſtendat illa verba MARIÆ Deiparæ (*Fili quid feciſti nobis ſic*) fuiſſe pleniſſima amoris, hæc habet. *Nouerat enim Virgo beatiſſima, nouerat inquam Filium ſuum Deum, & hominem, nec poſſe quidquam ſine rationabili cauſa agere; vnde non Filium ob triduanam ſuam abſentiam arguebat, ſed tamen de ſua neſcientia, Filijque ſui abſentia dolebat, cuius præſentia ipſi, & Ioſepho ſuper omnes delicias dulcis erat.* Nec amorem tantum ſuum B. V. illis verbis probauit, ſed dignitatem ſuam ſupra omnes cælites hierarchias in apice rerum, & faſtigio gloriæ Numini proximam aſſeruit, vt notat pie, & acutè S. Bern. hom. 1. in miſſus eſt. *An non Deum, & Dominum Angelorum Maria ſuum audacter apellat Filium? dicens. Fili quid feciſti nobis ſic? Quis hoc audeat Angelorum? Sufficit eis, & pro magno habent, quod cum ſint ſpiritus ex conditione, ex gratia facti ſunt, & vocati Angeli teſtante Dauid. Qui facit Angelos ſuos ſpiritus. Maria verò Matrem ſe agnoſcens maieſtatem illam, cui illi cum reuerentia ſeruiunt, cum fiducia ſuum nuncupat Filium.* Eadem ratione fauent MARIÆ Deiparæ dignitati alia verba, *Neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe,* tantum abeſt, vt vllam exprobrationem inferant. Probat hoc Ludouicus de Ponte l. 3. in cant. exhort. 7. Nam vt ipſe concludit, cum declararet ſe Patrem tantum cæleſtem habere, eodem contextu ſe Dei Filium, & MARIAM veram Dei Matrem declarat. Iure etiam celebrat

lebrat S. Auguſt. ſ. 63. de diuerſis c. 11. vti etiam ſenſerũt plures alij Patres humilem demiſſionẽ MARIÆ Sanctiſſimæ, vbi S. IOSEPHVM ſibi præfert in illis verbis. Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. *Non eſt prætermittenda* ait *Fratres maximè propter diſciplinam ſororum noſtrarum tam ſancta modeſtia Virginis Mariæ. Chriſtum pepererat: Angelus ad eam venerat, & dixerat ei. Ecce concipies in vtero, & paries Fllium, & vocabis nomen eius Ieſum. Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur. Meruerat parere Filium Altiſſimi. Erat humillima, nec ſe marito, nec in ordine nominis præferebat vt diceret. Ego, Et Pater tuus, ſed Pater tuus inquit, & Ego. Non attendit ſui vteri dignitatem, ſed attendit ordinem coniugalem. Non enim humilis Chriſtus Matrem ſuam ſuperbire docuiſſet. Pater tuus inquit, & ego, quia caput mulieris Vir.*

MARIA IESVM in Templo cum dolore inquirens rectam nos amiſſum Deum quærendi viam docet.

IX.

EN quid amiſſo Deo agere debeamus! En qua illum ratione inuenire poſſumus! Quantum bonum ſit in inquiſitione Dei demonſtrat S. Bern. ſ. 4. in cant. egregijs verbis. *Bonum quærere Deum. Ego nullis in bonis animæ ſecundum exiſtimo. Primum in donis, vltimum in profectibus eſt virtutum. Nulla accedit, cedit nulli, cui accedat, quam nulla præcedat, quæ omnium magis conſumatio eſt. Quæ enim virtus adſcribi poſſit non quærenti Deum? quiſue terminus quærenti Deum? Quærite inquit*

quit faciem eius ſemper. Exiſtimo, quia nec ſi inuentus fuerit, ceſſabitur a quærendo. Nihil implere poteſt animam Dei capacem præter Deum, qui eſt omnia. *Nimirum* inquit idem S. Bernardus ſ. Ecce nos reliquimus omnia; *ad imaginem Dei facta anima rationalis cæteris omnibus occupari poteſt, repleri omnino non poteſt: capacem Dei quidquid minus eſt, non implebit. Et quidem nemo venit ad Filium, niſi Pater traxerit eum, imò niſi ipſe Filius. Quærit* inquit ſ. 84. in cant. *anima mea Verbum, ſed quæ a Verbo prius quæſita ſit.* Nunc eſt tempus acceptabile, nunc dies ſalutis. Erunt aliquando dies mali, quibus iuxta oraculum Euangelicum Io. 7. ait Saluator noſter *Quæretis me, & non inuenietis. Quærite ergo* ex prophetico monito Iſa. 55. *Dominum, dum inueniri poteſt, inuocate eum dum prope eſt. Tempus ſiquidem eſt*, vt notat doctiſſimus Alcuinus l. de virtut. & vit. c. de confeſſione *nunc remiſſionis pænitentibus; tempus erit poſt mortem vindictæ confiteri ſcelera negligentibus.* Quærendus eſt ergo a nobis Deus, qui eum non ſine culpa amittimus, cum dolore, quando & B. Virgo cum dolore quærit innocenter amiſſum dicens *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* In templo deinde inuenitur, domi ſuæ. Illud enim domus Dei, & domus orationis eſt. Exſibillandi hic ſunt cum ſuis ſibilis furialibus emiſſarij Tartari huius ſæculi Nouatores, quando vitulis aureis cum impio Ieroboamo ſacrificantes, templum negligunt; dicuntque inutilem eſſe templorum frequentationem Deo vbique præſentiſſimo omnibus exiſtente. Deus procul dubio per ſuam immenſita-

menſitatem vbique eſt non in mundo tantum, ſed cælo excelſior, & mundo maior, ſupra cęlum & extra mundum. At veritas etiam catholica eſt in auguſtiſſima Euchariſtia corporatū VERBVM modo quodam pręſentię admirabilis ineſſe, & extra etiam Euchariſtiam auguſtiſſimam, Deum eſſe in ſacris Templis ad preces noſtras audiendas promptiorem, ac benigniorem. Audiamus S. Io. Chryſoſt. ſ. 1. ex vigintiquinque varijs aurea facundia bona, quæ nobis proueniunt ex domo Dei, nimirum ſacro Templo, cum efficacia impetrandi, eloquentem. *Menſa* ait. *Myſterijs inſtructa eſt, & Agnus Dei pro te immolatur. Sacerdos pro te vngitur: ignis ſpiritualis ex ſacra Menſa refluit: ſex alis faciem tegentes, omnes incorporeæ virtutes pro te cum Sacerdote intercedunt: ignis ſpiritualis e cælo deſcendit: ſanguis in cratere in tuam purificationem ex immaculato latere hauſtus eſt.* Porro interrogans Doctores in Templo non docens inuentus eſt IESVS duodennis, vt nobis documentum modeſtiæ eſſet, ne a noſtra ſcientia inflati, ſcioli magiſtelli eſſe velimus, quando non conuenit. *Vigilanti* inquit S. Gregor. Mag. hom. 2. in Ezech. & 3. p. paſtor. admonit. 26. *conſideratione penſandum eſt, quod cum Ieſus duodecim annorum dicitur in medio Doctorum ſedere non docens, ſed interrogans inuenitur; quo exemplo oſtendit ne infirmus docere quis audeat. Sic ille puer exterius doceri interrogando voluit, qui per Diuinitatis potentiam verbum ſcientiæ ipſis Doctoribus miniſtrauit.* Illæ tamen interrogationes nihil de inſtitutione minuunt, qua Puer IESVS legis Doctores erudijt, vt notat Origen. hom. 19. *Interrogabat*

inquit

inquit *Magiſtros, non vt aliquid diſceret, ſed vt interrogans erudiret. Ex vno quippe doctrinæ fonte manat, & interrogare, & reſpondere ſapienter, & eiuſdem ſcientiæ eſt ſcire, quid interroges, quidue reſpondeas.*

An hoc triduo puer IESVS cibum emendicauerit.
X.

AN hoc triduo, quod iuxta S. Ambroſ. hîc paralellum illius eſt, quo latuit in tumulo, cibũ emendicauerit IESVS duodennis, inter Doctores controuerſum eſt. Scio potuiſſe Angelos dapes peregrinas, imò & cæleſtes omnino illi miniſtrare, vti poſt longum quadraginta dierum ieiunium, & inferni hoſtis victoriam in eremo. Scio potuiſſe ſacroſancto ieiunio tres dies abſtinere a cibo, qui quadraginta deinde dies abſtinuit. Scio etiam, vt notat Maior in c. 1. Lucæ potuiſſe à viris doctis, & ingenuis eius doctrinam admirantibus ad menſam inuitari. Scio tandem potuiſſe in aliquo hoſpitio pauperum, quod veriſimile putat S. Bonauent. in meditat. de vita Chriſti cibum, & lectum inuenire. Sentio tamen cum eodem S. Bonauent. in apolog. Pauper. Alexandro de Ales 3. p. q. 107. art. 1. Ludolpho de vita Chriſti, S. Baſilio interrogat. 262. & alijs non refragante S. Thoma, qui Chriſtum Dominum ſimpliciter mendicaſſe aſſerit, Puerum IESVM hoc triduo, cibum ſuum emendicaſſe, vnde poſſint omnes, qui vt Deo ex conſilio euangelico liberè ſine rerum temporalium impedimentis, ſeruiant, ſe voluntariæ paupertati deuouerunt, de diuini huius mendici admirabili exemplo gloriari. In hoc ſequor

quor ducem præcipuè S. Bernardum, qui hom. infra octauam epiph. ſic interrogat. *Domine Ieſu quis te cibauit illo triduo?* Deinde in affectus pijſſimos erumpens reſpondet. *Quid dicam Deus meus? vt te per omnia noſtræ conformares paupertati, & in te humanæ naturæ calamitates ſuſciperes, quaſi vnus e turba pauperum ſtipem per oſtia mendicabas. Quis dabit me buccellarum illarum ſic mendicatarum participem fieri? O admirandã Dei dignationem, vt de cuius cibo pene infinita Angelorum multitudo in cælo paſcitur, & de cuius liberalitate molucres aeris, piſces maris, & cuncta animantia terræ quotidie aluntur dicente Dauid.* Tu das illis eſcam in tempore opportuno, aperis tu manũ tuam, & imples omne animal benedictione: *hic inquam tam opulentus buuellam panis a creaturis ſuis emendicet?* Stupendum ſanè myſterium iuxta Pauli Apoſtoli ſententiam, *quia cum diues eſſet, pro nobis egenus factus eſt.* Et certè ſi aliquando Chriſtus Dominus, vt docet S. Thomas 2.2. q. 187. a. 5. mendicauit iuxta illud pſ. 39. *Ego autem mendicus ſum, & pauper,* quod affirmant etiam Caietan. in comment. illius artic. Pighius l. 1. contra Eraſmum, Catharinus l. 2. annot. & alij multi, valde veriſimile eſt hoc triduo victui neceſſaria cum magna modeſtia mendicaſſe. Illi, qui refragantur, vt Abulenſ. in c. 17. q. 194. Carthuſian. in c. 15. Deuteron. Maior in cap. 2. Lucæ, Caſtro lib. 10. adu. hær. nituntur ratione, quæ nullam habet vim. Inter Hebræos dicunt non fuiſſe conſuetudinem mendicationis, ſed cum ſacra ſcriptura memoret, & cæcum mendicum ſecus viam, & claudum ad portam ſpecioſam, & alios, hæc ratio defendi non poteſt.

HA-

HABET MATER subditum Filium vſque ad annum trigeſimum lignariam exercentem. AVGVRIA.

ELOG. XXII.

Et erat Subditus illis. Lucæ 2.
Nonne hic eſt faber? Marci 6.

Ab arte tua mi IESV tuam auguror
non vitam, ſed mortem.
Occides cæſus in ligno, quod cædis.
Illi vulnera infligis:
mortem rependet.
Inſpicatum ſæpius,
cor tandem tranſuerberabit in lanceã.
Sæpius decuſſatum,
totum tandem corpus premet in cruce.
Sed tu nulla magis, quam hac arte gloriaris;
nam in lignaria te exercens,
amorum tuorum ſemper materiam verſas,
ligneas cruces.
Imò tota tui amoris hæc ars videri poteſt,
qui vixit æque cruciarius, ac obijt.
En vt officinã fabrilẽ in Caluario inuenturus,
malleos, lanceas, clauos, cruces,
anticipatis ſupplicijs
mortem adhuc viuens prægustat!
Nimirum crucis ligneæ Amaſiæ ſuæ imaginẽ
ſpectator Procus
translato

tranſlato in vrbem Nazareth Caluario
ſui impatientiam fallebat amoris.
Eadem arte cruci præluſerat Mundi Faber,
qua mundum inſtaurat,
cum illum ad ortū, occaſum, auſtrū, aquilonē,
iuſſit eſſe cruciformem.
Faber igitur æternus Dei Filius
in mundi fabrica;
naſcens deinde non artē, ſed materiā mutauit.
Mundus a magno VERBO
Conditore fabrefactus,
eo abbreuiato in officinam contrahitur,
& a cælorum, elementorumque Fabro
pauca venalia ligna tractantur.
At o lignum amanti ingratum!
Non molleſcit tantis palpatum manibus!
Imo leuigatum ſæuiet aſperius:
perpolitum atrocius cruciabit.
Erudiri videtur blanditijs, vt feriat;
ita artē beneficiorū omnē ingrati peruertunt.
Ars magna amoris
inſtituerat Deum fere omniū artiū artificem.
Agricola Paradiſum deliciarum plantauit:
tornator mundum, cælator cælos, lucē pictor,
maria, & montes foſſor,
primos Parentes ſtatuarius formauerat;
nunc etiam crucis amans lignarium exercet.
Sed tanti hominem fecit,
vt qui in omnium rerum molitione,
ſolum exameronem dierum conſumpſerat,
ei ſoli redimendo
ſextiluſtrem laborem duriſſimum præmittat.
Eundem hominem rectam Dei ſtatuam
plaſtes momento fecit:
vitiatam *lignarius faber*

nec

nec triginta annis refecit.
Innocens ſecundus Adamus luit in arido ligno,
quod primus nocens peccauit in viridi.
Ille tamen, qui nunc humiliter ligno ſeruit,
aliquando glorioſè regnabit a ligno,
& erit pauperis laboris materies
victoriæ inſtrumentum, currus triumphi,
thronus gloriæ.
Interim vni officinæ cedite Principum Aulæ:
in hac omne lignum,
ſi rerũ omnium opifex manus illud nobilitat,
Imperatorum ſceptra ſuperat, & Regũ ſolia.
Si quæris mi IESV in arte tua adiutores;
niſi renuas, Cælites omnes
manus ſuas commodabunt,
eritque magnificentius Motoribus Angelis,
ligna, quam ſolem, & aſtra mouere.
Sed iam tandem quieſce impigerrime faber:
nemo hominum iuſtum
operæ diuinæ prætium ſoluet,
niſi ſe ipſum dederit.
Hanc vnicam ſuorũ laborũ mercedem poſcit
IESVS faber.

Ille, qui Filius Dei eſt, & Virginis benedicta, volens paterno principatui principatum æquiparare maternum, ipſe qui Deus erat Matri famulabatur in terra, & erat ſubditus illis. Propterea hac eſt vera propoſitio. Domini imperio omnia famulantur, etiam Virgo. Et iterum hæc eſt vera. Imperio Virginis omnia famulantur, etiam Deus. S. Bernardinus ſerm. 61.

Quis? quibus? Deus hominibus! Deus inquam, cui Angeli ſubditi ſunt, cui principatus, & poteſtates obediunt ſubditus erat Mariæ! Nec

tantum

tantum Mariæ, ſed etiam Ioſeph propter Mariam. Mirare ergo vtrumlibet, & elige quid amplius mireris, ſiue Filij benigniſſimam dignationem, ſiue Matris excellentiſſimam dignitatem. Vtrinque ſtupor, vtrinque miraculum. Et quod Deus fœminæ obtemperet humilitas abſque exemplo: & quod Deo fœmina principetur ſublimitas ſine ſocio. S. Bernard. hom. 1. in miſſus eſt.

Habet Mater ſubditum Filium vſque ad annum trigeſimum lignariam exercentem.

CAP. XXII.

ADoleſcebat MARIÆ, & IOSEPHI felicitas cum puero IESV, qui vnus, omnis illorum felicitas erat. Nazarenam domunculam terrenum cælum dixiſſes, in quo, vel humana diuini ordinis trias, vel diuinus quodamodo hominum triumviratus de more Numinis vnitate triformi IESVS MARIA IOSEPHVS, mundum beabat. Quid egerit corporatus Deus in pueritia, ac iuuentute vſque ad annum trigeſimum vnico altiſſimæ humilitatis miraculo, ſed inaudito, & ſæculis omnibus prædicando, ſacræ litteræ celebrant, cum dicunt IESVM MARIÆ, & IOSEPHO ſubditum fuiſſe. Itane ſummus Superum, atque hominum Monarcha, Mundi molitor, rerum Dominus immortalis, mortalibus paret, & ille cuius nutus omnipotens cæli, terræque momenta

menta librat humilis virgunculæ, & inopis fabri placita expectat? *Sed abyſſus abyſſum inuocat*, geminumque miraculum eſt diuinæ demiſſionis, & humanæ ſublimitatis. In vtriuſque admiratione ſuſpenſum cælum ſtetit, dubitauitque an maius prodigium eſſet Deum hominibus ſubigi, an homines Deo præfici. O extaſim diuini amoris ferè dixerim incredibilem! Non ſatis fuerat cælos inclinari, iuſtum e Patris beatiſſimo in illibatum Matris ſinum depluere, immortale VERBVM noſtram mortalitatem induere, corporatum in terris nobiſcum ſpectari, & omnium oculis legi, niſi etiam infra homines eſſet, ab illis leges viuendi acciperet, illorum imperijs morem gereret? Quid demiſſius excogitari poteſt, quam mundi fabrum, rerumque omniũ ſupremum artificem, lignario fabro ſeruire, & illud Numen, cuius omnia reguntur arbitrijs, virgineos nutus venerari? Quid deinde ſublimius, quam homines Deum cælo excelſiorem infra ſe habere, & verbis ſuis VERBO rerum omnium Conditori, cuius vnica vox terram ſupra nihilum fundatam ſtatuit, ſuis vndequaque libratam ponderibus, cælum tornauit, ſolem, & aſtra illuminauit, elementa diſpoſuit, imperare? Interim in tanto felicitatis apice iuſtum IOSEPHVM, omnis iuſtitiæ ideam cælum terris eripuit iam dudum cæleſti laurea dignum, & Superum capitolio. Hic ille Ioſephus eſt, quem *Virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus*, Virginem Sanctorum omnium nouæ legis Patriarcham in domuncula Nazarena, ſupra cælum ipſum illuſtri, ſplendoribus ſuis adorari a Sole, Luna,

& ſtellis non ſomnium fuit, ſed oraculum.
Incidit caſtiſſimi Sponſi fortunatiſſima mors in eam ætatem, qua Filius iam pubes opera ſua Matri proſpicere poſſet, & ſui Mater pudoris famæ laudabili. At inflictum ex IOSEPHI morte MARIÆ cordi luculentum vulnus ſanauit Filius, qui Deus, & omnia ita illi erat, vt iam nihil præter Filium deſiderare poſſet. Nec verò lachrymis dignus erat tot gaudijs cumulatus illius obitus, qui ad mortalium omnium admirationem ſanctiſſimè vixerat, ad immortalium ipſorum inuidiam beatiſſimè mortuus fuerat. IOSEPHI mortem ſicuti vitam ſingularem fuiſſe quis neget? Eius mors fuit potius IOSEPHVM a IESV, & MARIA quam animam a corpore ſeiungi. Fallor; nam in morte ſe ipſum IESV, & MARIÆ complexibus diuidens ita in ſe vnus occubuit, vt in vtroque geminus viueret. In oſculo IOSEPHI ſæpius vixerat Dominus, vt gratiarum vices etiam homini Numen rependeret, in oſculo Domini IOSEPHVS mori debuit. Sed quid ego mortem memoro? Extra mortis falcem erat Virgo Sponſus: non metuntur lilia, ſed leguntur. Medium inter IESVM & MARIAM nihil ferire poterat præter aureum vitalis amoris telum, immortalitate collata non morte. Iam dudum ſibi mortuus Filio vixerat: nunc eo moritur coram Filio vitæ ſenſu, quo alij viuunt. Ingreſſa ſiquidem eſt IOSEPHI pectus diuina felicitas, & animum expulit. Beatus antequam moreretur, non Paradiſum adit, quem domi habebat, ſed mutat, & ſolio inſidet ſublimi, quod ſibi in familiari officina ſtruxerat induſtrius faber.

faber. Ipſius Dei pater, iure paterno cælum petit,non hoſpes ingreditur. Quid aliud expectari poterat ab eo, qui ab Adamo veterum Patrum poſtremus, a IESV primus, vna cognatione Dei Pater, Patriarcarum, Imperatorum, Regum, Pontificum Filius in ſe ipſo ſingularem omnium epitomem exhibuerat. Ipſum IOSEPHI nomen augmentum ſonans indigitauit magnum inter homines ſanctitatis incrementum. Acceſſit ad auctarium laudis e nomine, IVSTI etiam cognomentum. Quale putatis eſſe gloriæ argumentum hominem apellari iuſtum a Deo ſapienti ponderatore animarum, *qui in Angelis ſuis reperit prauitatem?* Ingens iuſtitiæ prodigium videri debet, IOSEPHVM MARIÆ collatum, iunctumque IVSTVM dici. Infantiam in eo nequæras, niſi innocentiæ: hanc etiam in ſenio habuit, non canitie ſolum capitis, ſed animi candore lactentem. Primus hominum Angelus dici poſſet, quia primus virginitatis Sponſor, primus Virginis Sponſus, Vir Virgo, & quod maius eſt Virgo maritus cæleſtem virtutem Angelorum dotem nouis titulis, nullique hominum conceſſis in terras tranſtulit. Inde Patriarcarum Meta nemo propius ab hominibus ad Deum acceſſit, tantò Dauide felicior, quantò venerabiliorem Arcam in qua Legiſlator, non lex clauderetur domi ſuæ recepit: tantò Abrahamo maior, quantò illuſtrius eſt in ſtirpe non ſtellas recenſere, ſed Solem,nec Patrem familias Cæli eſſe, ſed Dei. Idem Eccleſiæ oriens, ſynagogæ occaſus totũ Abrahamicum cælum ſolus complexus, faber ſuæ felicitatis, ingens ſemper habuit operæ ſuæ pre-

tium Dei oculum ſpectatoris, adiutricem manum, & in arte ſua tam glorioſè deſudauit, vt nunc paludati Reges pannoſi fabri ſecuribus, & falcibus coronatum caput inclinent. Non eſt ergo mirum, quod nemo IOSEPHO in feliciore loco obierit, quia nemo vixerat in ſanctiore, inter IESVM, & MARIAM medius. Mori debuit vt hominem crederemus, nam ſuſpicari aliquis Deum potuiſſet illum, qui Dei Pater dicebatur. Moriens, cum bonis omnibus domus Dei Præpoſitus eſſet, Filium ſuum rerum omnium Dominum, nonniſi ſuæ paupertatis ſummæ hæredem inſtituit, niſi velis ingentem hæreditatem fuiſſe in officina lignaria crucum ſyluam, & immenſam materiam patiendi. Sed quid ego ſingula perſequor, quæ ſupra omnem eloquentiam ſunt? Plurium annorũ geſta, ſęculorũ præconia duobus verbis ſatis ſuperque celebrantur IESV, & MARIA. Auguſtiſſimis titulis IESV Pater, & MARIÆ Vir NON PLVS VLTRA humanæ felicitatis inſcribendum eſt. Metiatur orbis terrarum, imò cælum ex IESV, & MARIÆ meritis quid IOSEPHO debeat. Illi debet magnæ Virginis cuſtoditæ, ſeruatique Seruatoris coronam. Nullam vnquam maiorem Ciuicam habere potuit vllus triumphator, nec tam magnificè Empyrei capitolium intrare. In eius laudem, vbi dixerit orator fuiſſe Patrem IESV, Virum MARIÆ, ſatis dixit. Hi tituli nulli mortalium conceſſi, nulli immortalium, omnem eloquentiam exhauriunt, & Deo ſolo encomiaſte celebrantur. E caſti IOSEPHI cineribus Virgo Mater flammas ebibens diuini amoris tota holocauſtam Numinis eſſe potuit

eodem

eodem prodigio Virgo mater,& Virgo vidua. Sed viduitatis ſuæ ſuperſtite Filio damna non ſenſit, quia ille Filium in ſe, Sponſumque miſcens, ei amanter parebat, vt Filius, prouidè proſpiciebat, vt Sponſus, eratq; IESV tum domeſticorum obſequiorum, tum fabrilium operum vnica, ſed magna merces, MARIA. Ingens miraculum fuit, quod IESVM MARIA pareret, ſed non minus, quod IESVS MARIÆ pareret. Innocenti magia eadem obedientia facit ex Domino ſeruum, quæ fecerat Matrem ex ancilla. Quis MARIÆ poſthac tributum neget, cui ſe Rex Regum ſubditum ſiſtit? Apage qui maieſtatem diuidis ab amore! Magis oppoſita nomina in eo vniuntur, qui Deum homini iunxit: paret & imperat, adoratur, & orat. *Si obediente Deo voci hominis* iterum Sol ſtaret triginta annorũ diem haberemus. Maiori tamen prodigio miramur ad Virgunculæ nutus primum Motorem regi; vbi non Sol ſtat ad IESV vocem, ſed ad MARIÆ vocem IESVS. O inexplicabilem Altiſſimi humilitatem? Omnia Filio obediunt; ſed Filius Matri! Acceſſit ad abyſſum diuinæ demiſſionis Deum mundi fabrum infiniti pretij operam ſuam, fabrilibus artis lignariæ inſtrumentiſq; in humili officina, locaſſe. Artem ſanctiſſimam Sanctus Sanctorum inuenit, qua lignum peccati materiam ſuis manibus conſecraret. Et adhuc mortales ad tantam diuini exempli lucem cæci in auro argento, gemmiſque ſplendidum lutum palpatis, & cænum cælo præfertis? Adhuc honorum mendacia, felicitatis perſonam, deliciarum laruas, & ſpecioſa ſub bonorum nomine, mala æſtimatis, quæritiſque

tiſque in huius terræ orbis puncto anatomici infelicium atomorum? O læuos hominũ ſenſus, qui nec magiſtro Numine ſapere diſcunt? Artesſ humanas Deus-homo exercuit, vt diuinas homines doceret, nimirum paupertatis diuitias, contemptuum gloriam, anguſtiarum beatitatem, dolorum gaudia, ſordium ſplendores, demiſſionis ſublimitatem, ignominiæ maieſtatem. Vtinam verba vitæ æternæ ſacræ litteræ nos docuiſſent, quibus noſtræ felicitatis magnus faber, ſua diuina geſta tot annorum ſpacio firmauit. Sed Spiritui Sancto pluuijs alioquin igneis linguis eloquenti, omnia venerando ſilentio inuoluere placuit, quò magis arcana, eò magis adoranda. Et hoc ipſum prodigium fuit, altiſſimum in VERBO non amplius Infanti triginta annorum ſilentium. Tacete præcoces ante annorum maturitatem ſacri oratores: accuſat acerbam veſtram garrulitatem longum VERBI diuini ſilentium, & damnat. Admirabilem orationem in plauſus, ſtuporeſque trahentem, non debet ſacer orator, niſi poſt diuturnam meditationem exordiri, à priuata contemplatione ſine periculo ad actionem publicam manuductus. Certè orator diuinus non niſi ex Aſceterio Nazareno, quod plures annos coluit, prodijt in Hieroſolymitanas panegyres. VERBVM diuinum triginta ſæculis antequam naſceretur omnia loquutum, poſtquam natum eſt triginta annis ſiluit, vt bene loqueretur. Auctoritate ſua Dei Filius ſuum probauit oraculum de paruulis regno cælorum dignis, cum vſque ad trigeſimum annum ſuam produxit infantiam. Noua philoſophia

eſt,

eſt, ſed cęleſtis, cum ſupra Pythagoricum quinquennium VERBVM Dei homines audit, non alloquitur. Verus Saturnus cælo, terraque Regum Rex triginta annorum non motu, ſed ſtatione aureum ſæculum ire iuſſit pretioſæ felicitatis. Antequam doceret magiſter orbis terrarum, cæpit facere, & corporatum VERBVM geſtis potius, quam vocibus omnem ſuadelam animare. Ephimeri ſunt flores, non diutini fructus, qui expirant, dum ſpirant. Elephanti diu parturiunt, ſed pariunt elephantum, & gemmaſcit, quod centum hyemes patitur ſæculare chryſtallum. Per multorum annorum otium minimè otioſum, agitare debuit Mundi Seruator negotium omniũ ſæculorum, & momentis rerum, non temporum tantum omnia librare, ne minori apparatu, quam deceret fidei placita promulgarentur, & vt cæleſtis gloriæ magnificè prælibaretur æternitas, ac Mundum Deus redimeret glorioſè. Si quæ verba VERBVM veritatis intra ſextum luſtrum in Athæneo Nazareno protulit ea *Maria conſeruabat in corde ſuo*, veluti tabulas legis in ſanctuario gratiarum; vnde monſtrum fuiſſet illam non cordatè loqui, & cor MARIÆ æterni VERBI vocibus nimirum IESV loquenti non reſpondere.

ELECTIORA

Ex Sacris Scripturis, SS Patribus, Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Doctoribus Scholaſticis de IESV MARIÆ ſubdito vſque ad annum trigeſimum.

SYNOPSIS.

1 QVomodo IESVS proficeret ſapientia, & præſertim ex B. Virginis magiſterio. 2. Quæ tamen plura, & maiora didicit, quam docuerit. 3. Quo modo humanæ Matri Dei Filius ſubijceretur. 4 An artem fabrilem exercuerit, & an hæc lignaria fuerit, an ferraria, an alia. 5. De domeſticis obſequijs Matri a Filio præſtitis. 6. Incidiſſe in hæc tempora S. IOSEPHI mortem veriſimile eſt. 7. Quam ingentibus gaudijs beauit IESV ſocietas, & MARIAE. 8. Et ſingularis gloria conſequuta eſt. 9. Illud Euangelicum Marianum Elogium *Maria autem conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo*, expenditur.

Quomodo Ieſus proficeret ſapientia, & præſertim ex B. Virginis magiſterio.

I.

ET *Ieſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum & apud homines*, legimus Luc. 2. At quomodo ille *plenus gratiæ, & veritatis*, in quo habitabat non plenitudo gratiæ tantum ſanctificantis, & aliorum donorum cæleſtium, *ſed Diuinitatis corporaliter*, & in quo erant *theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei*, vnde illius intellectum nihil lateret? Hunc nodum ſoluit Theologiæ Angelus, & veluti motrix intelligentia cæleſtium orbium ſcientiarum omnium S. Tho. 3 p. q. 9. a. 3. & 4 & q. 12. a. 4. In Chriſto Domino præter ſcientiam

tiam increatam, quam habebat, vt Deus, tres ſcientiæ cum communi ſuffragio Doctorum ab Angel. Doct. enumerantur, beata per quam omnia in eſſentia diuina videbat iuxta illud Io. 8. *Ego, quæ vidi apud Patrem loquor*: infuſa independens a ſenſibus externis, & internis, nec reſpiciens ad phantaſmata: aquiſita, quæ experimentalis etiam dicitur, & ſenſuum miniſterio progreſſu temporis augebatur, iuxta illud Apoſt. ad Heb. 5. *didicit ex eis, quæ paſſus eſt obedientiam*. Non ergo Chriſtus Dominus aliquid ſciuit, quod antea ignoraret, ſed quod ante ſciebat per ſcientiam beatam, & infuſã, cæpit ſcire per aquiſitam, & præſertim B. Virginis opera, quæ illi, & Mater, & Magiſtra erat, & hoc modo ſapientia profecit. Hunc profectum ſapientiæ explicat Card. Caiet. ad ſecundum Lucæ, non ſecundum incrementum habitus, ſed ſecundum exercitium actuũ. *Chriſtus proficiebat* inquit *actibus ſapientiæ procedendo de ſapientibus actibus, ad ſapientiores. Etenim licet Chriſtus plenitudinem intus ſapientiæ haberet, exterius tamen verba, & opera ſapientiora proferebat*. Eadem eſt Gregor. Nazianz. or. 20. de S. Baſil. ſententia his verbis. *Proficiebat Chriſtus vt ætate, ita etiam ſapientia, non quod hæc in illo incrementum caperent. Quid enim eo, quod à principio perfectum erat, perfectius eſſe poſſet. Sed quod hæc paulatim detegeretur, & eluceret*. S. Athanaſ. ſapientiæ profectum in maiori manifeſtatione Diuinitatis conſtituit; ait enim or. 4. contra Arrian. *Augeſcente magnitudine corporis, vna creſcebat in eo Diuinitatis manifeſtatio*. Idem quoque teſtatur S. Io. Damaſc, l. 3. def, c. 22. Ad communem ho-

minum exiſtimationem refert S. Cyrill. in Io. 1. c. 17. his verbis. *Non vt Deus profeciſſe intelligitur Chriſtus, verum quia magis eum in dies homines admirabantur; illorum potius de Ieſu opinio, quem illius perfecta creſcebat gratia, & ſapientia*. Hoc incrementum vocat S. Th. non ſecundum eſſentiam 3. p. q. 12., ſed ſecundum effectum. Similia habent S. Ambroſ. in l. de carne Domin. c. 17. Titus Boſtrenſis epiſ. in hunc locum, S. Epiph. in Anthorato, S. Gaudentius in reſponſ ad Paulum Diaconum, S. Anſelm. l. 1. cur Deus homo Ven. Beda hic Theophil. & alij. S. Vincentius Ferrerius ſerm. de epiph. comparat Soli noſtrati Solem empyreum iuſtitiæ, cuius ſanitas in pennis, habenti auroram, & meridiem, lucis incrementa, non reſpectu ſui, ſed noſtri. Quanta porrò fuit Virg. Deip. gloria ad Superum ſtuporem, & fere dixerim inuidiam Puerum IESVM, ſuper quem requieuerat Spiritus omnis ſapientiæ, & intellectus, in ea ſcientia aquiſita, in qua progreſſum habere poterat, per ætatum incrementa, eius potiſſimum domeſtico magiſterio profeciſſe. Neque enim alium Doctorem habuit in cælis, quam Patrem, qui illi ab inexorto æternitatis exordio, totam ſuam cum ipſa Diuinitate ſcientiam communicauerat, vnde poterat dicere, *Doctrina mea non eſt mea, ſed eius, qui miſit me*, neque alia diſciplina, quam Matris potiſſimum profecit in terris, admirabili pretio magiſterij ſui diuina diſcentis, cum doceret humana. Ille ergò de quo legimus Io. 13. *vos vocatis me magiſter, & bene dicitis* & Matth. 23. *nec vocemini magiſtri, quia magiſter veſter vnus eſt Chriſtus*:
ille

ille de quo æternus Pater elogium illud edidit Luc 9. *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite*, ſæpius Matrem Virginem audijt, & eius dulciſſima eruditione profecit.

Quæ tamen plura, & maiora didicit, quam docuerit.

II.

BEatiorem Diſcipulam fuiſſe Filij ſui, quam Magiſtram B. Virginem opinor, & vnico S. Bern. teſtimonio luculentiſſimo probo. Hinc in eius laudibus inquit t. 2. ſ. de B. V. legitur: *Multæ Filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas. Licet enim in parabolis loqueretur ad turbas, licet omnia Apoſtolis nota faceret, vt amicis, quædam tamen credendum eſt præ cæteris Matrem ſuam, quemadmodum dilexiſſe, ita etiam propenſius erudiſſe, quædam ei ſecretius intimaſſe, frequenter eam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris ſublimaſſe, in cellam vinariam occultaſſe, ſui prout nouit, & voluit gloriam Deificam, & ſupercæleſtem reuelaſſe notitiam, vnde Io. in Apocal. c. 4. De throno ait procedebant fulgura, voces, & tonitrua, quia Mater Filij Ieſu Chriſti parabolas, ænigmata legalia, & mirifica geſta, dicta, opera auidius ebibit, fidelius credidit, ſyncerius, luculentiusque alijs edidit.*

Quomodo humanæ Matri Dei Filius ſubijceretur.

III.

IBidem Lucæ 2. legimus, *& erat ſubditus illis.* In quibus operationibus ſubijceretur Dei Filius ſuæ Matri ſupra vidimus. Hæc ſubiectio

non imperium proprium in Parentibus,& peculiariter in Matre, de qua hic tantum loquor; ſed quoddam officium pietatis in Filio inferre debet. Primum indicatur ab Apoſ.1. cor. 15. illis verbis. *Nouiſſima autem inimica deſtructur mors; omnia enim ſubiecit ſub pedibus eius*. Et certè Dei Mater Filium ſuum, quem genuit ſtatim,& ſemper adorauit. Secundum luculentiſſimis teſtimonijs affirmant SS. Patres. *Quid enim Magiſter virtutis* ait S. Ambroſ. *non officium pietatis impleret? & miramur ſi Patri defert, qui ſubditur Matri? Non vtique infirmitatis, ſed pietatis iſta ſubiectio eſt*. & paulò infra. *Diſce quid Parentibus debeas &c.* & iure, nam vt ſcriptum reliquit Titus Boſtr. Epiſc. *Ob id ſponte illis ſcilicet Mariæ, & Ioſeph ſe ſubiecit, quo filios omnes exemplo ſuo ad hoc inducat*. Ad Superioribus Eccleſiaſticis, & Patribus ſpiritualibus debitam obedientiam diuinum exemplum trahit Origen. hic. *Si Ieſus* ait *Filius Dei ſubijcitur Ioſeph, & Mariæ, ego non ſubijciar Epiſcopo, qui mihi a Deo ordinatus eſt Pater? non ſubijciar Præsbitero, qui mihi Domini dignatione Præpoſitus eſt?* Ad hoc portentum ſubiectionis Filij Dei hominibus S. Bern. hom. 1. in miſſus eſt in ſtuporem prius adductus exclamat. *& erat ſubditus illis! Quis? Deus? hominibus?* Deinde geminum miraculū agnoſcit, & in eo NON PLVS VLTRA humilitatis IESV, & ſublimitatis MARIÆ. *Vtrinque miraculum* concludit; *& quod Deus fæminæ obtemperet humilitas ſine exemplo; & quod Deo fæmina principetur ſublimitas ſine ſocio*. Hinc humanam ſuperbiam exaltantem cum Lucifero rebellante ſolium ſuum ſupra Dei thro-

num verberat,& proſternit his verbis:*Erubeſce ſuperbe cinis! Deus ſe humiliauit, & tu te exaltas? Deus ſe hominibus ſubdit, & tu dominari geſtiens hominibus, tuo te præpenis Authori?* Miratur hanc Chriſti Domini ſubiectionem idem S. Bern ſ. 3. de Reſurr. & Rupertus Abb. l. 1. in cant. de hac Filij ſubiectione ſtupentē Matrē pia proſopopeia inducit ad illud. *Dilectus meus mihi. Quaſi non conſiderans quis eſſet,vt obtineret totum humilitatis principatum.* Verum quidem eſt in humanis, quod ait Ariſtoteles 8. æthic. *Natura Pater Filiorum imperium obtinet*, quod de Matre etiam proportionaliter dicendum eſt. Sed hic agimus de DEO HOMINE, qui non ſolum vt Deus, ſed etiam vt homo ratione vnionis hypoſtaticæ erat Rex Regum, & Dominus dominantium. Legi poſſunt Toletus in c. 2. Luc. Maldonatus ibidem, Salazar in c. 8. prou. Nouatus t. 1. c. 10. q 9. qui de hac ſubiectione ſcitè philoſophantur,& alij. Methodius in ſerm. de Purif. aliquod debitum agnoſcit in Filio reſpectu Matris. *Euge* (Sic B. V. alloquitur) *quæ debitorem habes eum, qui omnibus mutuatur. Deo enim vniuerſi debemus, tibi autem etiam ille debet.* Hoc debitum tamen vt ſupra ex S. Ambroſ. pietatis eſt, nō infirmitatis. Hinc Sāctiſſimi Parentes MARIA, & IOSEPHVS Puero IESV, vt indicat Origen. in c. 2. Luc. trepidi cum quadam veneratione imperabant. *Quomodo enim* vt notat S. Bern. *ad tantam Dei humilitatem humilis homo, non eſſet?* Cæterum hæc in B. Virgine, quod Filium aliquo modo præiuerit, inter maximas prærogatiuas eſſe eodem S. Bern. ſ. 2. in miſſus eſt, numerari debet.

non imperium proprium in Parentibus,& peculiariter in Matre, de qua hic tantum loquor, ſed quoddam officium pietatis in Filio inferre debet. Primum indicatur ab Apoſ.1. cor. 15. illis verbis. *Nouiſſima autem inimica deſtructur mors; omnia enim ſubiecit ſub pedibus eius.* Et certè Dei Mater Filium ſuum, quem genuit ſtatim,& ſemper adorauit. Secundum luculentiſſimis teſtimonijs affirmant SS. Patres. *Quid enim Magiſter virtutis* ait S. Ambroſ. *non officium pietatis impleret? & miramur ſi Patri defert, qui ſubditur Matri? Non vtique infirmitatis,ſed pietatis iſta ſubiectio eſt.*& paulò infra. *Diſce quid Parentibus debeas &c.*& iure, nam vt ſcriptum reliquit Titus Boſtr. Epiſc. *Ob id ſponte illis ſcilicet Mariæ,& Ioſeph ſe ſubiecit,quò filios omnes exemplo ſuo ad hoc inducat.* Ad Superioribus Eccleſiaſticis, & Patribus ſpiritualibus debitam obedientiam diuinum exemplum trahit Origen. hic. *Si Ieſus ait Filius Dei ſubijcitur Ioſeph, & Mariæ,ego non ſubijciar Epiſcopo, qui mihi a Deo ordinatus eſt Pater? non ſubijciar Præſbitero, qui mihi Domini dignatione Præpoſitus eſt?* Ad hoc portentum ſubiectionis Filij Dei hominibus S. Bern. hom. 1. in miſſus eſt in ſtuporem prius adductus exclamat. *& erat ſubditus illis! Quis? Deus? hominibus?* Deinde geminum miraculũ agnoſcit,& in eo NON PLVS VLTRA humilitatis IESV, & ſublimitatis MARIÆ. *Vtrinque miraculum* concludit, *& quod Deus fœminæ obtemperet humilitas ſine exemplo; & quod Deo fœmina principetur ſublimitas ſine ſocio.* Hinc humanam ſuperbiam exaltantem cum Lucifero rebellante ſolinm ſuum ſupra Dei thro-

num verberat, & proſternit his verbis: *Erubeſce ſuperbe cinis! Deus ſe humiliauit, & tu te exaltas? Deus ſe hominibus ſubdit, & tu dominari geſtiens hominibus, tuo te præponis Authori?* Miratur hanc Chriſti Domini ſubiectionem idem S. Bern ſ. 3. de Reſurr. & Rupertus Abb. l. 1. in cant. de hac Filij ſubiectione ſtupentē Matrē pia proſopopeia inducit ad illud. *Dilectus meus mihi. Quaſi non conſiderans quis eſſet, vt obtineret totum humilitatis principatum.* Verum quidem eſt in humanis, quod ait Ariſtoteles 8. æthic. *Natura Pater Filiorum imperium obtinet*, quod de Matre etiam proportionaliter dicendum eſt. Sed hic agimus de DEO HOMINE, qui non ſolum vt Deus, ſed etiam vt homo ratione vnionis hypoſtaticæ erat Rex Regum, & Dominus dominantium. Legi poſſunt Toletus in c. 2. Luc. Maldonatus ibidem, Salazar in c. 8. prou. Nouatus t. 1. c. 10. q. 9. qui de hac ſubiectione ſcitè philoſophantur, & alij. Methodius in ſerm. de Purif. aliquod debitum agnoſcit in Filio reſpectu Matris. *Euge* (Sic B. V. alloquitur) *quæ debitorem habes eum, qui omnibus mutuatur. Deo enim vniuerſi debemus, tibi autem etiam ille debet.* Hoc debitum tamen vt ſupra ex S. Ambroſ. pietatis eſt, nō infirmitatis. Hinc Sāctiſſimi Parentes MARIA, & IOSEPHVS Puero IESV, vt indicat Origen. in c. 2. Luc. trepidi cum quadam veneratione imperabant. *Quomodo enim* vt notat S. Bern. *ad tantam Dei humilitatem humilis homo, non eſſet?* Cæterum hæc in B. Virgine, quod Filium aliquo modo præiuerit, inter maximas prærogatiuas eſſe eodem S. Bern. ſ. 2. in miſſus eſt, numerari debet.

In laudibus inquit *Virginum ſingulariter canitur, quod ſequuntur Agnum quocunque ierit. Quibus ergo laudibus iudicas dignam, quæ etiam præiuit?*

An artem fabrilem exercuerit, & an hæc ferraria fuerit, an lignaria, an alia?

IV.

ARtem fabrilem exercuiſſe Chriſtum Dominum, & collaboraſſe ſaltem IOSEPHO ſuperſtiti inſinuant illa de eo Iudæorum verba Marci 6. *Nonne hic eſt faber Filius Mariæ?* Id apertè teſtatur S. Iuſtinus Martyr in dial. c. Tryph. cum alijs Patribus. Magnus Baſilius egregijs verbis explicat altiſſimum, & ferè incredibile humilitatis prodigium, nimirum ſubiectionem Parentibus etiam in arte humillima, & ſeruilibus obſequijs. *Primæua* inquit *ætate Parentibus ſubditus, quemuis corporalem laborem manſuetè, & laborioſè cum illis tulit. Cum enim homines eſſent iuſti quidem, ac pij, pauperes tamen, ac rerum neceſſariarum haud quaquam abundantes, cuius rei teſtimonium dat præſepe; veriſimile eſt aſſiduo corporalium laborum exercitio victum ſibi neceſſarium vnà comparaſſe. Ieſus autem iſtis, vt ſcriptura inquit ſubditus, obedientiam ſuam omnem etiam his præſtitit, vt ſimul cum illis laboraret.* Et hoc mirum eſt, imò miraculum humilitatis, in eo, qui erat verus illius fabri filius, *qui fecit cælos in intellectu*, & illos *extendit ſicut pellem; qui tribus digitis appendit molem terræ* libratam in nihilo, fabri, qui vt notat S. Auguſt. l. de conſenſ. Euangeliſt. *fabricatus eſt auroram, & Solem*, & alia omnia. Iudæi maledici venenati,

& genimina viperarum Dei Filio probro vertebant, quod eſſet fabri filius, artis humilitatem obijcientes,& exprobrantes. Sed adſtruebant Diuinitatem Patris in filio, quam tollere nitebantur. *Paternæ artis opprobrio* inquit S. Anſelm. in Matth. *eum laceſſunt, qui reuera filius erat fabri, quem ſummus fabricator omniũ genuerat &c.* Conſonat S. Epiph. in Dom. infra oct. Epiph. his verbis. *Ioſeph faber in terris Pater putabatur Domini Saluatoris, nec ab hoc opere Deus, qui verè eſt Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, excluditur, nam eſt ipſe faber. Ipſe enim eſt artifex, qui huius mundi machinam non ſolum mirabili, ſed etiam ineffabili potentia fabricauit.* Sed ſupra omnes in hunc ſenſũ auream ſuam eloquentiam exercuit Pet. Chry ſol. ſ. 48. *Dicebant hic eſt fabri filius, vt arte vili, artifex lateret Auctoris, & Deitatis nomen, fabri nomine abſconderetur. Chriſtus erat fabri filius, ſed illius, qui mundi fabricam fecit, non malleo, ſed præcepto, qui elementorum membra non ingenio, ſed iuſſione compegit, qui maſſam ſæculi non carbone, ſed auctoritate conflauit, qui Solem non terreno igne, ſed ſupremo calore ſuccendit.* Non ſolum fuiſſe fabri filium, ſed artem ipſam paternam aliquando exercuiſſe illum, qui fuit *in laboribus a iuuentute ſua* communis ſententia eſt, quam defendunt Abul. in Matth. 13. q. 81. S. Bonau. in vita Ch. & alij. *Habemus* inquit Nicolaus de Lyra in c. 6. Marci *vnde ſatisfiat curioſis quærentibus, quid fecerit Chriſtus vſque ad trigeſimum annum. Vacabat enim exercitio fabrili.* An hæc ars fabrilis fuerit lignaria, an ferraria, an alia ſupra diximus, cum de Virgineo inter MARIAM & IOSE-

PHVM

PHVM coniugio loquuti ſumus. Scio multos SS. Patres ferrariæ fauere, & præter relatos Anſelmum, Epiphanium, Chryſologum, fuiſſe etiam in hac ſententia S. Leandrum Archiepiſ. Hiſpal. de inſtit. Virg. c. 12. S. Iſidorum in reg. Mon. c. 5. Bedam in c. 6. Marci, S. Hilarium c. 14. in Matth. & alios. S. Ambroſ. in c. 13. Matth. vtranque artem adſcribit. S. Auguſt. de Natiuit. Dom., S. Ioſepho cæmentariam artem attribuit, nec ſine myſterio, nam ille, qui eius putabatur filius ſecundum generationem diuinam mundum fabricauerat, & ſecundum humanam erat fabricaturus a fundamentis vſque ad coronidem Eccleſiam, domum illam cæleſtem, cuius fundamenta in montibus ſanctis. Placet tamen adhærere S. Thomæ in Matth., & communi Patrum ſententiæ, quam etiam tradit hiſtoria orientalis referente Gratiano l. 2. c. 5. artem fabrilem S. Ioſephi fuiſſe lignariam. Confirmat S. Iuſtinus Martyr in dial. cum Tryph. & eius opera ſubdit fuiſſe præcipuè aratra, & iuga, vnde aliqui vt Card. Baron. t. 1. dicunt propterea ſæpius Chriſtum Dominum in Euangelio documenta ex illis deduxiſſe iuxta illud *tractant fabrilia fabri*. Ex reuelationibus S. Birgittæ habemus puerum IESVM in paterna officina delectatum fuiſſe ſæpius cruculis formandis, & hæc fuiſſe beatiſſimæ pueritiæ oblectamenta ne dicam ſuauiſſima, an tormenta. Cruciarius nimirum futurus diuinus faber, amanter fabrilia ligna tractabat, tanquam ſuorum votorum materiam, cruculas identidem elaborans, vt ſic falleret ſui impatientiam amoris. Quis non obſtupeſcat o bone IESV ad

hæc

hæc tuæ humilitatis,& amoris portenta? *Filij hominum vſquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Ita exercitatus eſt rerum Dominus Dei filius *in laboribus a iuuentute ſua.*

De domeſticis obſequijs Matri a Filio præſtitis.
V.

DE his dubitari non poteſt. Adhuc extat in Vrbe Nazarena fons, quem IESV & MARIÆ fontē apellant terræ ſanctæ Incolę, vt teſtatur Sannutus l. 3. p. 7. c. 2. & Quareſmus t. 2. l. 7. c. 7. pereg. 3.. Ex hoc ferunt ſæpius Filium Dei, qui non venerat *miniſtrari, ſed miniſtrare,* aquam hauſiſſe ad totius ſacræ familiæ commodum. Huic,& alijs huiuſmodi fauent, quæ habet S. Baſil. Mag. in conſtitut. Monaſt. c. 5. deſcribens *morigeram,* vt ipſe ait *Pueri Ieſu obedientiam in perferendis laboribus,* ea quæ ipſa Mater Dei de Filio ſuo S. Birgittę reuelauit l. 4. c. 64. atque ea demum quæ docet Suarez in 3. p. S. Th. q. 37. diſp. 17. ſ. 3.

Incidiſſe in hæc tempore mortem S. Ioſephi veriſimile eſt.
VI.

AB anno Chriſti Dom. 12. vſque ad 30. accidiſſe S. IOSEPHI mortē ferè omnes affirmant. Non multò poſt amiſſionem Pueri IESV in Templo obijſſe Matris Virginis, Virginem Sponſum cenſet S. Epiphan. hær. 78. cui conſentiunt Caſalius l. de arbore vitæ Theophil. Raynaudus in Dip. Mar. p. 1. puncto 8., & alij. S. Bernardin. ſ. de S. IOSEPHO, eius mortem ſtatuit ante Chriſti Dom. Baptiſmum.

tiſmum. Cedrenus hiſtoriographus ſancti Viri vitam vſque ad baptiſmum protrahit: S. Bonau. l. de vita Ch. c. 17. vſque ad ieiunium iam completum: Iſidorus l. 4. de S. Ioſepho vſque ad vocationem Apoſtolorum. Petrus Comeſtor dubitat an vixerit IOSEPHVS tempore conuiuij Canæ Galileæ. S. Ambroſ. l. de inſtit. Virg. c. 6. S. Cyprian. de paſſione & Arnoldus Abb. bonæ vallis tract. de 7. verbis Domini putarunt ſuperſtitem fuiſſe tempore Dominicæ paſſionis. Imo S. Auguſt. ſerm. 81. cenſet Seruatorem Mundi rediuiuum fuiſſe a S. IOSEPHO adoratum. *Sol* inquit *& Luna, & vndecim ſtella Chriſtum adorauerunt, quando poſt reſurrectionem S. Maria quaſi luna, & Beatus Ioſeph veluti ſol cum vndecim ſtellis ideſt beatis Apoſtolis proſtrati ſunt*. Sed ante paſſionem Chriſti occubuiſſe fere omnes Patres, & Scriptores eccleſiaſti aſſerunt, & præter notatos S. Hieron. l. contra Heluid. B. Laur. Iuſtinian. l. de triumph. Chriſti agone c. 18. Card. Baron. an. Ch. 12. Caſtro in hiſtor. Deip. c. 13. Petrus Nannius in ſchol. ad epiſtol. 79. Franciſcus Lucas Matth. 13. & alij. Mortuum iam eſſe S. IOSEPHVM ante Chriſti prædicationem mihi videtur euincere ſatis efficaciter, quod Matth. 12. legitur *Mater tua, & fratres tui foris ſtant*, & nihil de Patre dicitur, quæ eſt etiam S. Epiph. ratio loc. cit. De die mortis nihil attinet dicere, cum tabulæ eccleſiaſticæ decimam nonam Martij in faſtis Sanctorum deſcripſerint.

Quam

Quam ingentibus gaudijs beauit IESV ſocietas, & Mariæ.

VII.

AT quis feliciſſimæ mortis S. IOSEPHI viuaciſſima gaudia, & prægustatas nunquam morituras immortalis vitæ delicias exprimat? Singulare Martyrij genus inuenit in IOSEPHO iuſto, quando cogitauit de dimiſſione Deiparæ Virginis Io. Carthag. t. 2. l. 4. hom. 3. Piè loquitur, ſed valdè impropriè. Apud Iſidorum Inſulanum multa in lib. quem ſcripſit ad Adrianum VI. Summũ Pontificem de morte S. IOSEPHI reperiuntur, vt adſtitiſſe Archangelum Michaelem, & alia relata in hiſtor. quadam orientali, quæ vt ſine fundamento aſſerta deſtruit, ac reprobat Theoph. Raynaudus in Dip. Mar. p. 1. puncto 9. Obſequia tenerrima IESV, & MARIÆ in morte S. Ioſephi piè exhibet Bernardinus de Buſto t. 1. Euang. l. 6. c. 1. his verbis. *Piè credo, quod dulcis Ieſus, & piiſſima Virgo infirmo Ioſepho ſollicitè inſeruiebant, & ei fercula propinabant, atque proprijs manibus, quando opus erat, eum portabant, & circa lectum ſtantes eum confortabant. Dicebat Ioſeph Domino Ieſu. Nunc lætus moriar ſperans quod citò venies liberare nos. In tranſitu autem eius dixit Ieſus. Vade dilecte mi alacriter ab hac miſeriarum valle, & porta hoc bonum nouum SS. Patribus, quod infra paruũ tempus veniam ad vos, & ad cœleſtia regna perducam.* Extat etiam religioſum magis quam elegans carmen Mag. Cancell. Pariſ. Io. Gerſonis, quo explicantur affectus B. V. erga virginem ſuum Sponſum morientem.

Venerat

Venerat illa dies, qua vitam morte pararet
Perpetuã tibi iuſte Ioſeph, Dauid inclita proles.
Chriſtus adeſt cum Matre pia, quibus officioſè
Seruieras, vultu placido ſectantur euntem;
Ora licet lachrymis oppleuerit intus abortis
Naturalis amor. Etenim ſat credere fas eſt
Quod Patrem Ieſu, & Sponſum fleuit morientē
Virgo benigna ſuum.

Illud certiſſimum eſt ſanctiſſimum Patriarcham inter IESVM, & MARIAM medium, obijſſe beatiſſimam mortem in oſculo Domini, multò felicius, quam ipſum magnum Moyſen. Extenſis bracchijs amplectens IOSEPHVM morientem IESVS fecit, vt ſupra omnes homines ſanctiſſimè moreretur inter bracchia viuentis crucifixi. Mortuum S. IOSEPHVM Vener. Beda de locis ſanctis c. 6. docet ſepultũ fuiſſe iuxta ſepulchrum Sponſæ ſuæ Virginis in valle Ioſaphat, quæ media eſt inter montem Sion, & montem Olіueti, vt conſtat etiam ex D. Hieron. ſerm. de Aſſumpt. B. Virginis.

Et ſingularis gloria conſequuta eſt.

VIII.

DE excellentia gloriæ S. IOSEPHI iam ſupra plura diximus. Agunt fusè de illa Iſidorus Inſulanus l. de S. Ioſepho, & magnus eius S. Patriarchæ panegyriſta Io. Gerſon. Cancell. Pariſienſis. Ille geminus titulus, quo fuit Pater IESV, & vir MARIÆ magnum inferunt gloriæ faſtigium. In reuelationibus S. Birgittæ habemus B. V. illi aperuiſſe l. 6. c. 59. ſolemne dictum S. Ioſephi, quod ſemper in ore habebat nimirum. *Vtinam viuam, & adimpleam*

adimpleam voluntatem Dei mei. Deinde ſubiunxit. *Ideò modo magna eſt gloria Ioſephi.* Tum deſcribitur gloria Dei velut abyſſus infinita illum circumdans, & abſorbens. *Eò fuit excellentior* inquit S. Th. 3. p. q. 29. *quò ad altiorem ordinem pertinuit*. S. autem IOSEPHVS ratione ſuorum munerum, & neceſſitudinis cum IESV, & MARIA, videtur cũ ipſis conflare ordinem ſupra alios ſanctos ſoli Deo inferiorem. Quid importet titulus Patris IESV explicat melliflue S. Bern. ſ. 5. in miſſus eſt, vbi dicit *quod habuit non ſolum Patris nomen, ſed etiam rem ſignificatam, quantum ab homine participari poteſt*. *Cui aliquando Angelorum*, habemus ex Apoſt. ad Heb. 1. dixit Deus *Filius meus es tu?* Ego in laudem S. Patriarchæ dicam. Cui vnquam Angelorum dixit. Pater meus es tu? Quid inferat eſſe virum MARIÆ magnificis verbis exprimit S. Bernardinus Sen. Virgineus B. V. Amaſius ſ. de S. Ioſepho. Argumentum ingens excellentiæ S. IOSEPHI eſt, quod B. Virgo teſte Io. Gerſone apellabat eum *Dominum ſuum*. Et verè ipſe ait habebat quoddam *dominium matrimoniale*, quod tamen candori virgineo nihil detrahere poterat, vt ſupra vidimus. Anima S. IOSEPHI teſte S. Bernardino Sen. erat ſimillima animæ MARIÆ, vnde non eſt mirum fuiſſe omnibus cæleſtibus donis cumulatiſſimam. Iure ergo concludit S. Io. Damaſc. or. 36. de Natiu. B. V. vbi aſſeruerit quis S. Ioſephum fuiſſe virum MARIÆ nihil amplius dici in eius laudem poſſe. *Hoc eſt* inquit *ineffabile, & nihil præterea dici poteſt*. Efficacia impetrandi in S. IOSEPHO eruenda eſt ex vtroque titulo, quia fuit Pater IESV, &

vir

vir MARIÆ. *Quanta in eo eſt vis impetrandi* ait Io. Gerſon. in or. de S. Ioſepho; *dum enim Sponſam, & Filium orat imperium eſt, non oratio.*

Illud Euangelicum Marianum elogium, MARIA autem conſeruabat omnia verba hac conferens in corde ſuo, expenditur.

IX.

VNicum hoc elogium Deiparæ Virginis a Spiritu Sancto Lucæ 2. habemus toto tempore, quo Chriſtus Dominus, Deus abſconditus latuit in anguſtijs Nazarenis. His paucis verbis Mariana vita per multorum annorum ſpatium cumulo virtutum, & gratiarum refertiſſima continetur. Euthymius hoc Elogium refert tantum ad verba illa: *Quid eſt quod me quærebatis?* Titus Boſtrenus extendit ad alia, quæ anteceſſerant Simeonis prophetantis, vaticinantis Annæ, Angelorum canentium, Regum adorantium, paſtorum loquentium ad inuicem &c. Alij ad omnia ſequentia toto tempore priuatę vitę Nazarenę trahunt. Ipſa quoque facta comprehendit Card. Toletus in comm. huius loci annot. 85. iuxta illud 1. Reg. 3. *ecce ego faciam verbum in Iſrael.* Huic ſenſui fauet S. Bernardus ſ. in ſig. mag. *Veriſimile eſt* inquit Venerab Beda in hoc loco. *quod Beatiſſima Virgo ſemper intenta meditationi diuinorum dictorum, & operum Filij ſui ea conſcribat cum ſacrarum litterarum oraculis. Et cognouit* concludit ipſe *inſtar cæleſtium Cherubim ſocia ſui vultus luce concordia. Imitemur & nos* ait idem Venerab Doctor t. 7. in hom. hyem. de temp. *Fratres mei piam Domini Matrem, ipſi quoque omnia verba, & facta*

Domini

Domini, ac Saluatoris noſtri fixè in corde conſeruando; horum meditatione diurna, & nocturna importunos manium, nocentiumque cogitationum repellamus incurſus &c. Idem morale documentum ad exemplum Deiparæ Virginis nobis inſinuat S. Gregor. Mag. l. 16. moral. ad illa verba c. 23. Iob; Et in ſinu meo abſcondi verba oris eius. *In ſinu enim* ait *cordis, verba Dei abſcondimus, quando mandata illius non tranſitoriè, ſed implenda opere audimus.* Hinc eſt quod de ipſa Matre Virgine ſcriptum eſt. *Maria autem conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo.* Hinc etiam S. Ambroſ. ſ. 81. confert Beatam Virginem cum Arca veteris teſtamenti, & longè præfert. *Arca* ait *intrinſecus portabat teſtamenti tabulas, Maria autem ipſius teſtamenti portabat heredem: illa intra ſemetipſam legem, hæc Euangelium retinebat: illa Dei vocem habebat, hæc verbum. Arca intus, foriſque auri nitore radiabat: Sancta Maria intus, foriſque virginitatis ſplendore fulgebat.* Profuit nobis, quòd B. Virgo omnia conſeruarit in corde ſuo; nam vt docet S. Bern. hom. 4. ea deinde Sanctis Apoſtolis aperuit, & alijs Sacris Agiographis, & Euangelij preconibus. *Niſi enim* inquit Euſebius Emiſſenus in hom. huius myſterij *ipſa conſeruaſſet, non ea haberemus. De eius namque theſauris nos iſta accepimus.* Quæ enim de Chriſti pueritia leguntur a Sanctiſſima Virgine accepta leguntur. Inde apud SS. Patres, vt infra titulis glorioſiſſimis dicta eſt B. Virgo Magiſtra Apoſtolorum, Doctrix Doctorum, Euangeliſta Euangeliſtarum, Magiſtra Magiſtrorum. Magiſtra Religionis, ac fidei, & huiuſmodi. Siquidem

dem iuxta nominis ſui Etymon *Maria illuminatrix* infantis Eccleſiæ magiſtra fuit, vt habet S. Hieron. or. de Aſſumpt. eadem habet Zaccharias Chriſtopolitanus in monotelitas. Sed de his infra copioſius. Hoc modo Mater Dei ſe quodamodo geminauit iuxta S. Bern. ſ. 4. de Aſſumpt. *dum & Verbum Dei concepit in vtero, & Dei verba conſeruauit in corde*, ad illa verba Matth. 12. *Qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt ipſe meus frater, ſoror, & mater eſt.* Itaque MARIA inquit, *quæ ſecundum carnem Mater erat, alia quoque ratione Matrem ſibi Ieſus probat, quandoquidem & ipſa voluntatem Patris in tantum faſciebat, vt de ipſa prædiceret Pater, vocaberis voluntas mea. Igitur vbi eam viſus eſt ignorare Filius, ibi amplius honorare inuenitur, dum ei ſcilicet materni nominis honor duplicatur pro eo, quod eundem Filium, quem aluo geſtauerat incarnatum, etiam nunc animo geſtabat inſpiratum. Beati* ſunt ex veritatis oraculo *qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt*, & quidem beatitate cuiuſdam maternitatis ſpiritualis, quæ corpoream ſuperaret. Cum enim perorante Saluatore noſtro exclamaſſet mulier *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti*, increatum æternæ veritatis Verbum reſpondit. *Quin imò beati &c. Iure ergo* inquit Venerab. Beda l. 4. c. 49. in c. 11. Lucæ *eadem Dei Genitrix fuit, & inde quidem beata, quia verbi incarnandi miniſtra facta eſt temporalis; ſed inde multò beatior, quia eiuſdem ſemper amandi cuſtos manebat æterna. Anima nimirum deuota*, vt docet Io. Gerſon. in hunc locum *per fidem fit quodamodo Verbigena, & Mater Dei*

IESVM cum MARIA in eadem Nazarena domuncula toto triginta annorum vitæ priuatæ ſpatio fuiſſe teſtantur communiter Patres; & expreſsè Arnold. Carnot. de laud. Virg. his verbis. *Ab ortu Chriſti vſque ad baptiſmum anni triginta defluxerant, nec toto hoc tempore ſeiuncta es Mater a Filio: ſemper indiuidua illi adſtitiſti.* Aperuiſſe deinde FiliũMatri toto hoc tempore multa arcana cæleſtia dubitari non poteſt, & habetur ex reuelationibus S. Birgittę l.6.reuel.58. Alia multa ex ijſdem de vita Nazarena Deip. Virginis ab infantia Chriſti Domini vſque ad baptiſmũ deſcribit Dyoniſ. Carthuſ.l. 1.de laud. Deiparæ. Eidem S. Birgittæ reuelatum eſt habuiſſe IESVM quædam *verba Deitatis*, quæ omnes ſolabantur, vnde domuncula Nazarena erat miſerorum Aſylum confugientium in ſuis anguſtijs, & dicentium. *Eamus ad Filium Ioſeph, & Mariæ, & ipſe conſolabitur nos.* Si verba æternæ vitæ proferebat Dei Filius ſeruos alloquens, quænam protuliſſe credendum eſt cum Matrem alloqueretur? Si vox MARIÆ ſalutantis, Ioannem Baptiſtam conſecrauit, quantam vim cæleſtium chariſmatum attulit MARIÆ tot annorum familiaris IESV conuictus, & perpetua illa vox filij dulciſſima gutturi eius. Eadem proportionaliter dicenda ſunt de S. IOSEPHO, cuius priuilegium fuit hoc tempore obdormire in Domino, qui ſæpius inter eius bracchia obdormierat. Non eſt ergo mirum illum in ſublimi faſtigio gloriæ nunc eſſe; nam vt ait Io. Gerſon. *proximior videtur collocandus in cælis, qui myſterio fuit poſt Mariam vicinior in terris.* In eodem ſenſu dixit S. Bernardinus

de diuina familia Nazarena nimirum IESV MARIA, & IOSEPHO, *quod ſicut in illa familia in laborioſa vita ſimul vixerunt, ſic in amoroſa gloria, & corpore, & anima ſimul regnant in cælis.*

PRIMVM IESV SIGNVM in Nuptijs Canæ MARIA impetrat.

METAMORPHOSIS.

ELOG. XXIII.

Pete Mater mea, neque enim fas eſt, vt auertam faciem tuam. 3. Reg. 2.

Domine vinum non habent &c. Vt autem guſtauit Architiclinus aquam vinum factam &c. Hoc fecit initium ſignorum Ieſus &c. Io. 2.

Abſcede e terris prophane Hymen:
nouus de cælo aduenit ſacer
inter Cælites otioſus.
Nuptiarum hic eſt Antiſtes;
ſed venerabilis non venereus,
mitratus non pharetratus.
Nec tantum de cælo ſacer Hymen;
ſed ipſe Deus factus in terris Hymeneus
nuptias conſecrat.
Vt magis ſacras faciat,
in Sacramentum inſtituet.
Interim aqua deficiente vino, in vinũ conuerſa
interruptam nuptialis conuiuij hilaritatem,
quam noui vini prodigalitate inſtaurarat,
primi prodigij nouitate geminat.
Aqua in tuo mi IESV baptiſmate conſecrata,
ad hanc inauditam metamorphoſim
viſa eſt erudiri.
A Deo humili
imperijs diuinis parere didicit elementum.

Vbi tuam magiſtrã orbis terrarũ vocẽ audierit,
qua illam iubeas vinum eſſe,
omnem elementi ſimplicitatem dedocta
etiam ſupra phalernum ſapiet.
Sed obedientia aquæ non ſapientia fuit,
ad eam vocem rerum Dominam,
quæ condiderat, deſtrui.
Nec ferè miraculum eſt, ſed natura
elementum in mixta migrare.
Eodem Spiritu Domini aquis incubante
incipit refici mundus; quo fieri.
Sed quia maius eſt renaſci mundum ſenem,
quam naſci infantem,
ibi rerum ex aquis,
hìc ex aquis prodigiorũ primũ prodit opificiũ.
Eius voce aqua in vinum rubeſcit,
cuius pedibus dureſcet in marmor
Progymnaſta diuinus
oceani totius victorijs in cratere proluſit.
Omnia maria cedere illius potentiæ,
hoc vno nuptialis aquæ exemplo didicerunt.
Aqua quod eius obedientiam
miniſtri præueniſſent,
ſtatim in vinum erubuit.
Niſi velis reuerentiam Filij, & amorem Matris
etiam in ſtupido elemento ruborem excitaſſe.
Vt prodigioſa hæc vindemia
primæ reſponderet,
etiam ipſa ex diluuio aquarum fluxit.
Sed illa ebrietatis parens,
hæc ſobrietatis filia fuit.
Coronetur Regina arborum vitis,
nunc cum exhibet in vino miraculũ princeps.
Hoc etiã vinũ interpocula coronari meretur,
quando non è terra, ſed è cælo prodijt.
E cælo

E cęlo porrò deturbetur aureã lucẽ deſpumans
ſtellis coronatus ſidereus crater.
Nobiliores incipimus habere in terris,
cælo donandos aureos crateres.
Solus huius conuiuij ſcyphus
in quo primum eſt ſignum,
ſigni cæleſtis meretur nomen.
Iure etiam ſuperi poteſtis
depauperata ſtelligera vrna
has Euangelicas hydrias
ſtellis gemmantibus ditare.
Inter has Sol æternus in Aquario ꝙ miremur,
in primo ſignorum cæleſtium inuenitur.
Quanquam, quia etiã prope Virginẽ ſplendet
inſolenti miraculo
tempeſtatum vices confundens,
aqua in vinum conuerſa,
vberi vindemia retrotraxit autumnum.
Quia facturus erat vinũ Sacramẽti elementũ,
prius elementum aquæ conuertit in vinum,
vt in hac conuerſione rudimentum exhiberet
gratiæ maiora molientis.
Quid miraris Architicline
aqua in vinum migrante liquoris pretium?
Illud mirum, quod epulante Deo
non omnis potus nectar,
omnis cibus ambroſiam ſapiat.
Ab aqua cælorum matre natum
primogenitum miraculum
IESVS imperat, MARIA impetrat.
Fertile deinde elementum exuberabit,
in ſobolem innumerabilem gratiarum.
Magna cõuiuij nuptialis ſobrietas eſſe debuit,
vbi vini largitas miraculum fuit,
nec omnipotentiæ congiarum

paucorum hominum temperantiam euertit:
Ita poſcebant epulæ nuptiales,
quibus cum IESV MARIA accumbebat.
Aquam hanc ſupra cæleſtes collocate:
nihil ſupra ſe habet hoc elementū miraculorū.
Ex hoc coniugio virtutum omnium
naſcetur prodigiorum ſoboles populoſa.
Hunc ſuum ſemper parentem agnoſcet
omnis diuinarū gratiarū ſequutura poſteritas.
In Cana Galileæ fecit IESVS ſignorū initium;
finem nullibi.
A Deo thaumathurgo infiniti amoris,
nullus finis miraculorum eſt expectandus.

Abſit vt Matrem ſit aſpernatus, qui tanta cura de Parentibus honorandis legem dedit. Abſit inquam, vt in terra faſtidierit Matrem, cuius de cœlo concupiuit decorem. Guarricus Abb. ſerm. 4. de Aſſumpt.

Non timeo dicere, quod in omni gratiarum effluxu quandam iuriſdictionem habuerit hæc Virgo, de cuius vtero, quaſi de quodam Diuinitatis oceano riui, & flumina emanabant omnium gratiarum. S. Bernardinus ſerm. 61. in fer. 4. poſt Paſcha a. 1. c. 8.

De primi miraculi exoratione.

CAP. XXIII.

IAM elapſa erant ſex luſtra, quæ Dei Filius, *Deus abſconditus* Nazarenis latebris, IOSEPHI, & MARIÆ cultui, qui tantum authoritatis habuerant apud Authorem

thorem ſuum, vt eum ſubditum haberent; priuatiſque virtutibus admirabili conſilio deſtinauerat, totidem luſtris omnium faber mundi inſtaurationem domi machinatus, quot diebus fabricam abſoluerat. Tanti nimirum erat ſupra molitionem reparatio, vt præmitti debuerit luſtrorum examеron, non dierum! Iam attigerat corporatus Deus eam annorum metam, quæ ex Hebreorum legibus, illum rite aliorum magiſterio dicare poterat. Inchoabatur iam triennium. quod publicæ ſaluti mundi peccatoris, totiuſque humani generis primæuæ labis rei, ac proinde ſub inferno iugo gementis, Redemptioni deuouerat. Appetebat iam feliciſſima dies, ſalutis aurora, quam quadraginta ſæcula impatienti ferè dixerim volatu cælum, terraſque pererrantia depropeѕrarant. Cum percrebeſcente fama de Io. Baptiſta pænitidinem prædicante, & pias in Iordane turbas luſtralibus aquis abluente, facile fuit, ſiue VOCE VERBVM trahente, ſiue VERBO ſequente VOCEM, vt IESVS, & IOANNES VERBVM nimirum, VOXque iungerentur. Monitam prius Matrem a Filio de paterno conſilio mortalitatem noſtram ex primi hominis ruina lapſam ad omnem apicem gloriæ extollendi nemo dubitat, qui talem Matrem, ac Filium non ignorat. Prima Imperatoris noſtri IESV, qui exijt vincens, vt vinceret, ac totum terrarum orbem ſubiugaret Euangelij maieſtati, ſtatio Iordanes fuit, vt ſpiritu Domini aquis incubante ex eodem elemento mundus renaſceretur ſenex, quo fuerat natus Infans. Ibi ea auſpicatiſſima die, qua ante triginta annos in Bethlemide ſpe-

Iunca tributarios Reges orientis Rex Regum oriens exceperat, factus Deus ipſe Catechumenus innocentia ſua candidatus ſacroſanctum lauacrum a IOANNE IESVS petijt, fere iterum renouatis alterius IESV prodigijs, cum Iordanes eſſet in tantæ humilitatis admiratione ſtupendibus aquis vndequaque ſuſpenſus. Omnis detracta eſt infamia pænitentiæ, cum illius remedium Sanctus Sanctorum non in expiationem criminis voluit, ſed in auctarium iuſtitiæ, vt iam non rea proles peccati eſſet, ſed innocens partus ſanctitatis. Negauit IOANNES ſe manus habere corporato Deo dignas: negauit aquas in Iordane fluere, quæ candorem lucis æternæ mundarent: negauit ſe velle inter Hædos numerare, quem iam indice dextera fideli, ac veraci Agnum expiatorem mundi indigitarat. Otioſum putabat ablui innocentiam pænitentiæ baptiſmo, nimirum ipſam depurari puritatem: in dignum abyſſum gratiæ Sacramentis, quæ gratiæ fontes ſunt, irrigari. Sed in innocenti inter IESVM, IOANNEMQVE humilitatis duello, ille, qui hanc virtutem terris ignotam e cælo detulerat non eſt paſſus alterum, qui alioquin vocem ſe eſſe atteſtans, cum Angelus inter homines eſſet omnes mortales ſui demiſſione vicerat, eſſe ſibi in ſua virtute riualem. Hic primùm in bono lumine Auguſtiſſima Trias ſe ſe ſpectandam dedit mortalibus oculis, & adorandam. Nam dum Filius in Iordane abluitur, Spiritus Sanctus candidam columbam induens diuino Catechumeno concolorem, plaudentibus alis ſuperuolat, & Pater illuſtrem noua luce Filium ſuum veluti ſacer fide-

iuſſor

iuſſor e ſacro fontē leuat, nomenque imponit, per apertum interim cælum tota aula cæleſti ad ſpectaculum effuſa, totque rerum miracula venerante. Dicite Superi qui ſpectaſtis! Quale amoris diuini miraculum fuit Deum, qui ſine ſanctitate Deus non eſt, vt noſtra ſcelera elueret, infamem perſonam ſontis gerere, & ſuæ diuinæ famæ nec parcere! Dei Filium ab ipſo æui inexorſo exordio natum, iterum in aquis renaſci, & naufrago mundo, quem ſecū ipſe educit, cælum reſtituere, ac portum dare! Et certè orbis vniuerſi maculis Filium ſordidatum fere æternus Pater non noſſe videbatur: vbi in aquis ablutum ſpectauit, ſtatim plaudente cælo luculento tonitruo ſuum eſſe, ſibique dilectum exclamauit, cum interim ſub columbæ imagine Spiritus Sanctus, candidus gemituum inenarrabilium orator exprimeret amores ſuos. Auream ætatem primigeneæ innocentiæ rediuiuam expectate; innocens Adamus nudus incedit, & relictis fluminibus Phiton, Geon, Tigri, & Euphrate prope Iordanem nouum Paradiſum deliciarum plantat. Fluunt ad Iordanem vndantes populi, cum vndarum turbis, numero, tumultuque certantes. Sacris aquis abluti nouo miraculo ignem amoris exſuſcitant, illudque geminant cum ſimul Deo naſcuntur, & diuina concipiunt. Non niſi pænitentibus aquis conſecratum Dei Filius Iordanem intrauit. Stetit ille ambigentibus aquis, mundarenturne, an mundarent. Noua hæc manuum impoſitio in ſacro baptiſmate mancipati mundi manumiſſio eſt a ſtygia ſeruitute. Non deſunt tamen mi IESV in regenerationis infantia, mortis tuæ auſpi-
 cia.

cia. Ipſi columbæ volantis plauſus, alis cru-
cem ſignant, & cantus non niſi gemitus ſunt.
Interim poſt longum Euangelij tui peregrina-
tionem in Caluario quietem habiturus iure,
nunc apud Iordanem ſeptimum luſtrum ſabba-
ticum aquis luſtralibus dedicas. Erit poſthàc
Iordanes aurifero Pactolo ditior maius pre-
tium illi, ſplendoremque veri Numinis toto
corpore, quam alteri fabuloſi hominis auara
manu conferente. Erit bacchato ſtellis cæle-
ſti Eridano illuſtrior, cum illum IESVS, &
IOANNES gemini Soles cælo digniores illu-
ſtrent. Erit non veteribus tantum victorijs,
ſed nouo hoc miraculo Iordanes fluuiorum
Rex,qui a Rege Regum conſecratur,& cælum
promiſſionis, non terram Hebræis hominibus
aperit. An deinde Matrem,quæ ſine ſuo IESV
vix eſſe poterat ſacris vndis Filius luſtrarit,
licet pietas ſuadeat in ſacrarum litterarum,
ſanctorumque Patrum ſilentio palam profite-
ri non audeo. Hunc fortaſſe honorem Apo-
ſtolorum Principi cælum detulit; niſi dicamus
in præmium amoris, & pretium cuſtodiæ di-
lectum ſibi Ioannem vindicaſſe. Inde in ora-
tione, & ieiunio incipit energumenus mun-
dus a poſſeſſione Dæmonis liberari,& in noua
quadrageſima lex amoris non in tabulis ſcrip-
ta, ſed VERBO mandata vulgari. Non multò
poſt à ſolerti Hamiota in mari Tiberiadis,
hamo Diuinitatis eſca humanitatis impoſita
vocantur Apoſtoli, trahunturque in ſua retia
orbis terrarum piſcatores. Sed quia eloquen-
tibus magis prodigijs, quam prodigioſa elo-
quentia ſubiugandus erat Euangelio mundus,
in aqua in vinum conuerſa fons miraculorum
in

in nuptijs Canę debuit aperiri, qui veluti fons abyſſi e Paradiſi deliciarum corde ebulliens, liberalibus aquis peregrinans, vniuerſam terram irrigaret. Hoc primogenitum prodigiũ non minus Dei Filij imperio, quam Dei Matris precibus debemus, vt non immeritò tùm IESVS, tùm MARIA glorioſiſſimo titulo miraculorum abyſſus poſſit apellari. Vt exauthoraret cum omnibus alijs fabularibus Dijs etiam Hymeneum, voluit Deus ipſe Virgo nuptijs Canæ præeſſe, & coniugale conuiuium dedicare. Bene, feliciterque prouiſum eſt patriæ prouinciæ Galileæ, vt quæ prima Deum e cælo venientē conceptum exceperat in Virgine Nazarena, eadem miraculum impetrante, teſtis eſſet natæ iam, & corporatæ Diuinitatis. Triſtia lætis non tantum, vt vitia virtutibus confinia ſunt, ſed contubernalia. Non niſi in eodem loco gaudia cum luctibus penetrata poſſideas. Humana omnia vel officiunt, vel ſaltem deficiunt. Epulum diues, dum nuptiali magnificentia modeſta hilaritas ardet, vnius abſentia vini extincta hilaritate, miſerum in modum depauperat. Quod enim conuiuium etiam cum Lucullo in Apolline ſapiat, ſi abſthemium ſit? Quæ cænæ etiam ſaliares ſino hoc vitali ſucco non frigeant, prorſus emortuæ? Ad MARIAM confugitur a Pincerna decoctore, cuius vnius Charitas non vini tantum, ſed rerum omnium caritati proſpiceret. Si tamen illa ſupplicem expectauit, quam vltrò patronam videmus omnium miſerorũ. Ipſa indigentia clientela eſt: perorat triumphalis ſemper Patrona, dum orat, nec vnquam illi explicatur duratura calamitas,

vota Matris, pignerata veluti omnipotentia, Filio anticipatis prodigijs præcurrente. Magna Virgo nihil vnquam poſtulat ſterili prece. Quid non poſſit innocenti ſuarum precum magia rerum Domina, quæ non lunam, & aſtra occidentia, ſed cęlum ipſum inclinans, Deum e cælo traxit in terras? Filius viſus eſt initio Matri ſubiraſci; ſed ſumma amoris reuerentia, nam illa poſtulabat, a qua ſibi nuper emancipato ad ſacræ Doctrinæ promulgationem volebat adhuc imperari. Non abſterretur magna Deipara a miſeratione, reſponſo duriore, ſed eruditur ad miraculum, & obedientiam conuiualibus miniſtris ſuadens prodigij viam docet; neque enim difficile eſt eam, quam vident in hominibus, ſequi elementa virtutem. Qui deinde poterit ille miſerationum Deus negare vinum amicis in menſa, qui inimicis erat ſanguinem propinaturus in cruce, imò celebraturus nuptiale conuiuium in morte, in quo maiori beneficentia non aqua in vinum, ſed vinum in ſanguinem erat conuertendum? Hoc certè nuptiale vinum, quod ſanguis eſt vuæ, illi præluſit, quod expreſſurus erat ſolus in torculari crucis. Sed maiori miraculo quam hoc ex aqua, illud cum aqua fundet. Hoc vnius voculæ imperium: illud totius pectoris incendium dabit ex hydria cordis. Hoc primum, ſed illud ſupremum miraculum erit. Iubet itaque impleri Hydrias aqua; a vacuo enim non natura tantum abhorret, ſed gratia. Vnicum hominis cor vacuum vult eſſe Deus, vt illud ſe ipſo impleat. Illicò natura diuini ſenſit pondus ſceptri, & pudore ſuffuſa multiplici, quod doleret Sponſus, quod

Sponſa mæreret, quod illam obedientes nuptialis conuiuij Miniſtri præiuiſſent in exemplo virtutis, & multò magis quod MARIÆ vota non impleſſet, ſed IESV imperium expectaſſet, in vinum erubuit. Sed admirari magis lubet ſancti pudoris exemplum. Erubeſcente MARIA in aliorum inopia, virgineus pudor illi concolor, aquam in vinum accendit. Quid porrò non perſuadeat a Perſona ſua VERBI Mater? Prima hæc Euangelij victoria fuit ante homines elementa ſubiugare, vt in mutis etiã rebus obedientia naturæ officij ſui homines moneret. Maius tamen opus fuit Archetypo amori aquas in ſtellas accendere, quam in vinum colorare. Etiam adoleſcentes pluuiarum hauſtu gemmantes vuæ, aquæ in vinum conuerſæ germinant ſolemne prodigium. Sed æterna miracula! vbi diutius vixerint, tranſeunt in naturam. At rurſus nemo mirari deſinat Artificem diuinum; vbi prima fidei fabrica in lubrico aquarum fundatur. Nunc primum ſine mixtione in eminentiori philoſophia gratiæ, elementum mutatur in corpus. Aqua iam regnet iure ſuo elementorum Regina inter conuiuiorum calices coronata. Illi elemento debetur principatus, quod primum fuit DEI-HOMINIS miraculorũ elementum. Nec de poſſeſſione poſthàc dubites, vbi vinum facta modo, purpurata regnauit. Niſi ingenti miraculo liberata fuiſſet, fecerat in hac aqua humana prouidentia naufragium. Huic primo miraculo cælum plauſit, cum ſequutura eſſet velut parentem ſuum innumerabilium miraculorum numeroſa poſteritas. O felix, terque quaterque coniugium Deo conuiua

non

non indignum, paleſtram ſobrietatis, teathrum modeſtiæ, prodigiorum officinam, Regiam beneficentię, rudimentũ Sacramentorum, ſcholam Diuinitatis! O fortunatas nuptias, quibus pronuba fuit Virginitas, pincerna ſobrietas, Hymeneus Deus, & inter conuiuij lautitias humanæ ſalutis auſpicia, diuinæ teſtimonia gloriæ, prodromumque orbi terrarum liberando prodigium! O epulas nuptiales ſupra nectar, & ambroſiam cælo dignas, & aula Superum, quas temperantia condire potuit, fides ditare, obedientia inſtruere, beneficentia augere, miraculum conſecrare? Has nuptias poſſent ferè etiam cælites celebrare, in quibus virtutes omnes coniuges erant, illæque ſolæ poterant inter pocula coronari. O conuiuium ſupra Pontificias dapes, Imperatorias cęnas IESV & MARIA epulantibus auguſtiſſimum! Sed nihil in hoc glorioſius, quam ſymphoniam pro fidibus fidem, pro chordis corda dediſſe, pro epulis prodigia ſapuiſſe, pro cantu ſuauiſſimam ſonuiſſe MARIÆ vocem, pro epithalamio fuiſſe vnicum, ſed magnum diuinum VERBVM loquens.

ELE-

ELECTIORA

Ex Sacris Scripturis, SS. Patribus, Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Doctoribus Scholaſticis de primi miraculi exoratione.

SYNOPSIS.

1. DE Chriſti Domini baptiſmo, & an ab eo fuerit B. Virgo baptizata. 2. Ex occaſione baptiſmi quid de alijs Sacramentis Confirmationis, Euchariſtiæ, Pænitentiæ, Extremæ vnctionis, Matrimonij, & Ordinis dicendum ſit reſpectu B. V. ſtatuitur. 3. De nuptialis conuiuij, Canæ die. 4. Loco. 5. Et Sponſis. 6. Cur IESVS & MARIA illi interfuerint? 7. Poſtulatio Mariana *Domine vinum non habent*; vnde ſequutum eſt primum ſignum conuerſionis aquæ in vinum, fuit ex omni parte irreprehenſibilis, & laudabilis. 8. Illa Filij verba. *Quid mihi & Tibi eſt mulier? Nondum venit hora mea* nec incongruam, nec intempeſtiuam fuiſſe maternam poſtulationem ſuadent. 9. Admirabile Deiparæ Virginis conſilium (*quodcunque dixerit vobis facite*) euoluitur. 10. Exoratio primi miraculi efficax apud Filium duas potiſſimum prærogatiuas in Dei Matre demonſtrat, primùm totam eſſe viſcera pietatis, 11. Tum eius preces pro materno veluti imperio haberi, & omnia obtinere poſſe. 12. An B. Virgo aliquem ab Inferis eripuerit? 13. Aliqua SS. Patrum dicta circa potentiſſimam B. V. interceſſionem, temperantur. 14. An vnicum Deiparæ Sanctiſs. patrocinium ſupra SS. omnium patrocinium ſit.

De Chriſti Domini baptiſmo, & an ab eo fuerit B. Virgo baptizata.

I.

ELapſis triginta annis, qui vt tradit S. Ignatius Antiochenus Apoſtolorum coæuus, & colligitur iuxta Hebræorum conſuetudinem ex 1. Paralip. 23. ante Sacerdotis, & Doctoris

Doctoris munus præuij requirebantur, cœpit ignotus antea in latebris Nazarenis, eſſe notus in Iudæa Dei Filius. Hanc ſilentij longam ætatem præſcripſerat Filio ſuo Pater, antequam cæleſtem doctrinam, & paterna arcana euulgaret, ad eruditionem etiam, vt expendunt Patres, ſuperbiæ noſtræ, quæ verbis copioſior, quam factis, in vmbra, non exercita tyrocinio virtutum intempeſtiuè lucem amat, & publicum quærit. Inclareſcente ſiquidem fama de IOANNE, qui circa Iordanem fluuiũ, tot olim miraculorum conſcium, ac teſtem populos ſacris, baptiſmatis pænitentiæ vndis, trium iam menſium ſpatio, vt notat Theophil. Raynaudus in Dipt. Mar. p. 1. puncto 9. abluebat, poſt apertum Matri de promulgatione Euangelij Patris conſilium, & placitum, Bethaniam perexit ad IOANNEM, eiuſque baptiſmum, vt ſacer Agiographus narrat, cælo ingentibus miraculis fauente, ac plaudente, ſuſcepit. Non fuit tamen hæc Bethania baptiſmo Chriſti Domini nobilitata, illa Mariæ Magdalenæ, Marthæ, ac Lazari, & Seruatoris noſtri hoſpitio celeberrima, ſed trans Iordanem alia. Ea, quæ ad Chriſti Domini baptiſmum pertinent euoluere, & expendere huius loci non eſt.

A Dei Filio baptizato Matrem fuiſſe ſacris baptiſmatis vndis luſtratam pia, & probabilis opinio eſt. Scio aliquos Apoſtolorum Principi, alios Ioanni dilecto fauere. Sed hanc opinionem refert Euthymius Io. 3. ex traditione Patrum his verbis. *Scribunt quidam Apoſtolorum temporibus proximi, quod Chriſtus Virginem Mariam & Petrum baptizauerit.* Etiam Card.

Bellarm.

Bellarm. l. 1. de Rom. Pont. c. 23. hoc confirmans, colligit ex Niceph. inter mulieres ſolam B. V. inter viros ſolum Petrum fuiſſe a Chriſto Domino baptizatos. Hæc probabiliter dicuntur, nam ſimpliciter B. V. fuiſſe baptizatam certum eſſe videtur. *Quilibet etiam ſanctificatus* vt docet S. Th. in 4. diſt. 6. *in vtero materno tenetur ad ſuſcipiendum baptiſmum, & quia annumeratur per caracterem impreſſum in populo Dei, & diſcernitur ab infidelibus, & quia baptiſmus eſt ianua Sacramentorum, & poteſtatem confert ad eorum vſum, & receptionem.* Cum enim ergo B. V. eſſet receptura Sacramentum Euchariſtiæ, ad quod ex præcepto diuino obligabatur, ſuſcepiſſe prius baptiſmum dicendum eſt, cum præſertim exemplum illius ad aliorum vtilitatē maximè conferret. Deinde præceptum diuinum de ſuſcipiendo baptiſmo. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* ad omnes fideles extenditur, nec habemus vllum excipi. Allata ratio S. Th. eſt etiam D. Auguſt. ep. 108. ad Seleucianum. Conſentiunt Scholaſtici Doct. communiter Albert. Mag. quem ſequitur Pelbartus l. 7. Stell. p. 1. a. 2. c. 3. Suarez t. 2. 3. p. d. 18. ſ. 3. Vaſquez 3. p. d. 119. c. 7 Caniſ. l. 1. de Deip. cap. 9. Benzonius in pſ. 86. cap. 4. trad. . 7. & præter multos, quos refert, atque expendit Henriquez. l. 2. cap. 5. alij innumeri. Imò Albert. Mag. ſuper Miſſ. eſt c. 74. & ex eo Pelbartus loc. cit. ad exercitium, & exemplum humilitatis aſſerit B. V. ſuſcepiſſe baptiſmum IOANNIS. Neque obſtat quod baptiſmus, vt habetur ex Trident. ſeſſ. 5. in dec. de peccato orig. fuerit inſtitutus ad tale peccatum tol-

lendum.

lendum, quia ſi inueniat ſublatum, imò non contractum, vt in B. Virgine, adhuc veritas formæ talis Sacramenti ſaluatur.

Ex occaſione Baptiſmi, quid de alijs Sacramentis Confirmationis, Euchariſtiæ, Pænitentiæ, Extremæ vnctionis, Matrimonij, & Ordinis dicendum ſit reſpectu B. Virginis ſtatuitur.

II.

DE confirmationis Sacramento an illud receperit B. Virgo alia controuerſia eſt. Suarez, quem ſequuntur multi alij tom. 2. 3. p. d. 18. ſ. 3. cenſet B. Virginem non accepiſſe Confirmationem quoad ſignum ſenſibile, in quo conſiſtit ratio Sacramenti, accepiſſe tamen caracterem, & gratiam huic Sacramento propriam. Magnus Albert. a Pelbarto ſuffragante relatus l. 7. p. 1. a. 2. c. 3. & Syluester in roſa aurea tract. 1. ad euang. Sabb. poſt Dom. 3. Adu. ad q. 3. affirmant Chriſtum Dominum Matrem ſuam, & Apoſtolos Confirmationis Sacramento conſignaſſe, additque hic vltimus eſſe S. Th. ſententiam. De capacitate huius Sacramenti in B. Virgine dubitari non poteſt, vt probat Gullielmus Pariſienſis. tract. de Confirm. c. vnico, vnde non video cur ab illa amoueri debeat. Si deinde verè, vt fert hæc pia ſententia, Sacramentum Confirmationis ſuſcepit Deip. Virgo, quia admirabili modo diſpoſita, procul dubio magnum gratiæ recepit augumentum. Auguſtiſs. Euchariſtiam recepiſſe, & frequentiſſimè citra controuerſiam eſt, & in hoc cæleſti conuiuio fuiſſe ſummis delicijs perfuſam nemo dubitare poteſt.

Has aliqui putant fuiſſe ſimiles illis, quibus in prima corporati Verbi receptione in vtero Virgine, fuit cumulata. *Hic eſt enim cibus*, vt notat Melleus Ambroſ. in pſ. 21. *melle dulcior, quem B. V. cunctis Eccleſiarum populis apparauit*. An debebat conuiuij Euchariſtici Domina, & apparatrix diuinis lautitijs totum mundum ſaginare, & ipſa ieiunare? Abſit. Suſcepit ergo Sanctiſſimum Altaris Sacramentum, & frequentiſſimè, vt concludit ex Mag. Albert. Pelbartus loc. cit., & hoc Sacramento, ad quod mirum in modum diſpoſita accedebat gratiæ ſuæ ingentem cumulum fere in immenſum auxit ex opere operato. Pænitentiæ Sacramentum procul dubio B. V. non ſuſcepit, cum fuerit immunis ab omni labe peccati, quæ ſola eſt huius Sacramenti materia. Mag. Alber. in Miſſus eſt c. 60. 70., & 74. & ex eo Sylueſter in roſa aurea tract. 3. q. 53. videnrur in Dei Matre adſtruere confeſſionem non peccatorum, ſed beneficiorum Dei, & incongruitatis ad magnitudinem illorum. His conſentit l. 3. Carthuſ. a. 28. vnde ex ipſo dicebat ſe beneficijs dininis par reddere non poſſe, neque condignas gratias: profitebatur ſe Deum vti meretur amare non poſſe &c. Præter hanc confeſſionem Pelbartus l. 7. Stell. p. 1. a. 2. c. 3. attribuit B. V. deteſtationem peccati, qualem exprimunt hæc verba. *Nolo peccare*. Nulla iſtarum confeſſionum ſimpliciter eſt Sacramentalis, & Confeſſarius, qui abſolueret aliquem non apponentem pro materia peccatum, vel non dimiſſum, vel ſaltem dimiſſum, redderet falſam formam abſolutionis. *Ego te abſoluo*, & committeret graue ſacrilegium;

Hinc

Hinc patet ineptire eos, qui de Confeſſario B. V. diſputant. Syluester loc. cit. dicit B. Virginem neſciſſe ſe carere peccatis venialibus, vnde potuit dicere S. Io. Euangeliſtæ, quem illi Confeſſarium adſcribit. Si in tali opere incautè, vel negligẽter in aliquo deliqui dico meam culpam. Abſit vt hanc ignorantiam admittamus in illuminatiſſima Dei Matre, imo & in S. Io. Euangeliſta, qui ſine materia aliqua peccati, vel nõ dimiſſi, vel ſaltem dimiſſi eam abſoluere ſacramentaliter non potuiſſet. Carthuſ. loc. ſupra rel. dicens B. V. ſpecie tenus ad ædificationem fidelium confeſſam fuiſſe non eſt audiendus, nam iſtæ fictiones ad ædificationem aliorum in ea admitti nullo modo debent, quæ eſt Sancta Sanctorum, & de qua veritas orta eſt. Nulla tamen neceſſitas nos cogit remouere a Deip. Sanctiſſima habitum pænitentiæ infuſum, qui non eſt ſolùm facultas ſupernaturalis ad eliciendum actum deteſtationis proprij peccati, quo in omni genere caruit Dei Mater, ſed ad deteſtationem peccati alieni, ad deſiderium ſatisfaciendi pro peccatis alienis, & compenſandi ius diuinum læſum per peccatum, hominesque Deo reconciliandi, & huius modi alios actus, qui eius innocentiſſimam ſanctitatem non dedecebant. Eſt hoc pacto habitus ſupernaturalis pænitentiæ infuſæ non ſolum ornamentum animæ, ſed ſupernaturalis potentia ad actus honeſtiſſimos eliciendos ſine vlla ſuppoſitione proprij peccati, & conſequi debet cum alijs habitibus infuſis gratiam ſantificantem. Concedunt ergo B. Virgini habitum pænitentiæ infuſæ, & aliquem actum, vt ſupra

Suarez t. 4. in 3. p. d. 7. ſ. 1. Mendozza l. 2. flor. ſacro problem. 3. Henriquez l. 4. c. 25. Benzonius in Pſ. 86. c. 40. tradit. 26. Maior in 4. d. 14. q. 2. & alij. Imò multi in Chriſto Domino admittunt vt Suarez t. 1. in 3. p. d. 4. ſ. 5. Koninchus d. 1. de pæn. num. 19. & alij in ſenſu allato.

De Extrema vnctione dubitatur a multis, an B. V. hoc Sacramentum ſuſceperit. Affirmant Henriquez l. 3. c. 11. Pelbartus ex Alb. Mag. l. 10. Stel l. p. 1. a. 1. Suarez t. 4. 3. p. d. 42. ſ. 2. & apud ipſum alij multi. Contrarium docent Vaſquez 3. p. d. 119. c. 8. Io. Sanchez diſp. 27. Sel. num. 20. & alij. Illis, qui ſententiam negatiuam tuentur argumentum eſt mentio peccatorum, quæ fit in forma Sacramenti Extremæ Vnctionis. Sed idem re-
nera poſſet dici, quod de baptiſmo, cum peccata non ſint materia neceſſaria huius Sacramenti. Efficacius argumentum eſt, ſi ſine ægritudine B. Virgo obijt, nam tantum perſona ægra videtur eſſe ſubiectũ huius Sacramenti.

Sacramentum Matrimonij non ſuſcepiſſe B. V. videtur certum; nam virgineum cum IOSEPHO coniugium fuit quidem verum, Matrimonium non tamen Sacramentum, cum omnia Sacramenta a Chriſto Domino fuiſſe inſtituta conſtet, qui tunc nondum venerat. Scio Syluestrum ex Alb. Mag. in roſa aurea tract. 2. ad Euang. Sabb. poſt Dom. 3. Adu. circa 3. punctum aſſerere contrarium, ſed obſtat veritas manifeſta.

Sacramenti Ordinis B. V. vt fæmina, erat incapax. Nec refert quod Alb. Mag. de laud. B. V. c. 81. dicat omnes functiones ordinum

Deipa-

Deiparam Virginem obiuiſſe æquiualenter, & conſequutam fuiſſe in illa æquiualentia gratiam huius Sacramenti; nam ego formaliter loquor, & in rigore Scholaſtico de Sacramento Ordinis.

De nuptialis conuiuij die.

III.

ITerum poſt quadragenarium ieiunium in interiore Eremo trans Iordanem Chriſtus Dominus, vt affirmat S. Epiphan. hær. 51. in Vrbe Nazarena Matrem Sanctiſſimam adijt. Inde ſenſim diſcipulos ſibi adſciſſens promulgandæ cæleſtis doctrinę fecit initium ab ingenti miraculo conuerſæ aquæ in vinum in nuptiali conuiuio Canæ Galileæ, ad quod ipſe cum Matre fuerat inuitatus. Inchoat autem ſacram hiſtoriam Io. Euangeliſta c. 2. his verbis. *Die tertia facta ſunt nuptiæ in Cana Galileæ.* Dies hæc tertia a reditu ab Eremo iuxta Euthymium numeratur, iuxta Origenem, a profectione in Galileam, iuxta S. Epiphan. hær. 51. S. Thomam, & alios ab illa die, qua duo diſcipuli voce IO. BAPTIS. permoti ſe ſe Mundi Seruatori adiunxerunt. At Card. Toletus ſic dies diſtribuit, *vt prima ſit vocationis Philippi, ſecunda acceſſus Nathanaelis, tertia celebratarum nuptiarum.* Aliæ expoſitiones inueniuntur apud Sacri Euangelij Interpretes in c. 2. Io. Venerab. Beda ita myſticè tres dies enumerat *vt prima ſit legis naturæ, quæ cepit ab Adamo, ſecunda legis ſcriptæ, quæ a Moyſe, tertia legis gratiæ, quæ non tantum ab his nuptijs, ſed ab illis nuptijs Agni,* vt habemus in Apoc. eiuſdem Ioannis *inter Agnum Dei, Agnū domina-*

dominatorem terra, & Sponſam ſine ruga & macula Eccleſiam Catholicam celebrata ſunt.

Loco.

IV.

DE Cana Galileæ S. Hieron. de loc. Hebr. dicit fuiſſe in Tribu Zabulon non longe a finibus Aſer decem milliaribus ab vrbe Nazareth diſtantem ad Occidentem, & Septentrionem. In hac nuptiæ factæ ſunt. Alteram deinde Canam, quam maiorem appellat docet fuiſſe Tyro, & Sidoni proximam in Tribu Aſer, de qua Matth. 15. egreſſa dicitur celebris illa mulier Cananea, quæ licet gentilis eſſet, inter vicinos Hebræos habitabat. Ex prima oriundus erat iuxta Io. Gagnæum bonus Iſraelita Nathanael. Hæc etiam patria fuit Simonis Apoſtoli, qui propterea Cananeus dictus eſt. De Cana Galileæ hac primi miraculi ſede, ac teſte, ſcripſerunt præter S. Hieron., S. Bonau. in l. de vita Ch. c. 20. Bonifacius de perenni cultu terræ ſanctæ, Antonius Aranda tract. 2. c. 4. Caietan. Io. 2. Haymo hom. 2. poſt Epiph. Fran. Quareſmus t. 2. l. 7. c. 6. per. 4. & alij. Nunc extat Eccleſia diuino cultui dicata in eodem loco, vbi erat conuiuale triclinium. In Hodæpotico S. Villibaldi Epiſ. hæc leguntur. *In villa Cana eſt Eccleſia magna & in Eccleſia illa ſtat altare vnum de ſex hydrijs, quas Dominus iuſſit impleri aqua, quæ in vinum verſa eſt.*

Et Sponſis.

V.

INcertum eſt quinam fuerint. Non eſt contemnenda opinio illorũ, qui dicunt Sponſum

ſum fuiſſe S. Io. Euangeliſtam, cum illi ſuffragentur multi, & magni Doctores, Venerab. Beda t. 7. in hom. Euang. Rupertus Abb. l. 2. in comm. Io. Lyranus in c. 2. Io. D. Th. 2. 2. q. 186. Sotus in 4. diſt. 27. q. 1. a. 4. S. Antoninus 3. p. ſummæ t. 1. Ludolphus in vita Chriſti, & alij. Aliqui referunt pro hac opinione S. Hieron. & S. Auguſt. in prologo ſuper Io. Sed vt notat doctiſſimus Toletus, Bedæ eſt vterque prologus. Rup. Abb. loc. cit. aſſerit hanc fuiſſe communem ſui temporis opinionem, & concludit. *Propterea quem a carnali voluptate retraxerat potiri amoris ſui dulcedine donauit*. In prologo, qui perperam tribuitur S. Auguſt. habentur hæc verba. *Iſte eſt Ioannes, quem Dominus de fluctiuaga nuptiarum tempeſtate reuocauit*. Contrariæ tamen ſententiæ libentius ſubſcribo, cui fauent S. Epiph. hær. 51. dicens neque interfuiſſe Ioannem hiſce nuptijs Cananeis, S. Auguſt. tract. vlt. in Io. S. Hieron. l. 1. contra Iouinian. & alij multi. Adducuntur ab his ſatis efficaces rationes, quorum aliquas refert Io. Carthag. t. 3. l. 11. hom. 12. S. Antoninus 3. p. ſummæ t. 21. § 3. ait nonnullos exiſtimaſſe Sponſam iſtarum nuptiarum fuiſſe S MARIAM Magdalenam. Sed hæc exiſtimatio omni fundamento caret.

Cur IESVS & MARIA illi interfuerint.

VI.

CVR IESVS inuitatus, annuerit nuptialium conuiuarum votis adducuntur admirabiles rationes, & quæ diuinum conſilium ſapiunt a SS. Patribus S. Gaudentio tract. 1. in

Euang. Ven. Beda hic D. Cyrillo in Io. c. 22. S. Epiph. hær. 7. & alia. En præcipua ratio in ipſa euangelica hiſtoria Ioanne dicente, *Manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli eius!* Certè hoc miraculo cepit manifeſtè Dei Filius ſuæ Diuinitati fidem facere; nam ob hoc, & alia bonus ille Nicodemus dixit Io. 3. *Scimus, quia a Deo veniſti magiſter; nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus in eo.* Aliam rationem non minus præcipuam turmatim afferunt SS. Patres nimirum, vt illo miraculo conſecraret veluti nuptias, quas in Sacramentum inſtituere debebat, præſentia ſua inſaniam hæreticorum, qui eas tanquam Diaboli inuentum impugnaturi erant, refellens. Vnde ait S. Auguſt. tract. 9. in Io. *Quod venerit ad nuptias confirmare voluit, quod ipſe eas fecit; futuri enim erant de quibus* Apoſt. 1. ad Tim. 4. *prohibentes nubere, quod malæ eſſent nuptiæ, & Diabolus eas feciſſet.* Eadem habent S. Epiph. hær. 7. S. Cyrillus in Io. c. 22. & alij. Hæretici impugnatores nuptiarum a SS. Patribus paſſim referuntur. Marcion matrimonium, vt malum, & impudicitiæ negotium damnabat teſte Tertulliano l. 1. contra Marcionem, & Clemente Alex. l. 3. ſtrom. Hac eadem inſania a Magiſtro deriuata laborabant Simonis Magi diſcipuli, vt auctor eſt Clemens Rom. l. 9. Conſt. Apoſt. c. 8. Nubere, & gignere filios opus Satanæ eſſe docebat Saturninus, vt refert S. Ireneus l. 1. c. 12. Euſtachius ita nuptias reprobauit, vt diceret nullum eorum, qui coniugati ſunt in Deo ſpem habere poſſe. Ita habetur in concil. Gangrenſi, & apud Socratem l. 2. c. 3.

L Eadem

Eadem fuit hæreſis Hydroparaſtarum auctore Theodor. l. 1. hæret. & Seueri auctore Niceta l. 4. orthod. fid. hær. 17. & aliorum. Hydram hanc multiplicitem vno ictu diuinus Hercules truncauit; authoritate nimirum miraculi, vt loquitur S. Cyrillus, & præſentia ſua, vt loquitur S. Epiph. fecit omnino venerandas. Extat nobilis amplificatio S. Io. Chryſoſt. in fauorem nuptiarum in ſerm. de hac hiſt. euang. cuius hæc aurea verba in fine ſunt: *Vocatus eſt autem, & Ieſus ad nuptias. Ita nemini deeſt Chriſtus, ſeu coniugato, ſeu Virgini, modo & ipſum inuitet, habebit Chriſtum aſſeſſorem*. Paulò ante dixerat. *Nonne Moyſes mare diuiſit, & traduxit populum? Nonne Elias curſu igneo ſubleuatus eſt? An nocuit huic Virginitas? An impedimento fuerunt illi vxor, & liberi? Vidiſti Eliam aurigam in aere: vidiſti Moyſen in mari Victorem: vide & Petrum Eccleſiæ columnam, quod & ipſe habuit vxorem*. Aliæ rationes afferuntur a Io. Bapt. Nouato cur IESVS voluerit intereſſe nuptijs Canæ t. 1. c. 17. q. 1.

Affert etiam alias cur MARIA illis adfuerit, de cuius præſentia dubitari non poteſt Ioanne dicente. *Et erat Mater Ieſu* ibi. Veriſimile putat Maldonatus in 2. Io. valde familiarium, & fortaſſe neceſſitudine coniunctorum hominum fuiſſe nuptias. Cur voluerit B.V. intereſſe, cum alioquin videatur contra decorum Virgines hiſce nuptialibus conuiuijs miſceri, alijs omiſſis vnus reſpondeat Rup. Abb. qui l. 2. comm. in Io. ſic ait. *Maluit ergo humiliter cauere præſens ſcandalum, quam futuris Virginibus immaturum rigidi propoſiti præbere exemplum, quo plus tolleret ſupercilium Vir-*

ginum fatuarum, quam inſtrueret cuſtodiam prudentium.

Poſtulatio Mariana Domine vinum non habent, *vnde ſequutum eſt primum ſignum conuerſionis aquæ in vinum, fuit ex omni capite irreprehenſibilis, & laudabilis.*

VII.

ADerat neceſſitas defectus vini, qui proceſſit non à larga perpotatione, ſed à multitudine conuiuarum; neque enim temperantiæ magiſter IESVS, de quo legitur Zachar. 9. *Quid eſt bonum eius, & quid pulchrum eius niſi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines*, & MARIA Virginum Virgo, cum bibonibus conuiuis nuptiale conuiuium celebraſſent, vbi coronaretur profusè vinum, in quo eſt luxuria, vbi regnaſſet ebrietas, quæ vt elegantiſſimè deſcribit S. Auguſt. ad Sac. Virg. eſt *flagitiorum omnium Mater, culparumq; materia, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, ſubuerſio ſenſus, tempeſtas linguæ, procella corporis, naufragium caſtitatis, amiſſio temporis, inſania voluntaria, ignominioſus languor, turpitudo morum, dedecus vitæ, honeſtatis infamia, animæ corruptela.*

Contra hanc poſtulationem Marianam blaterant Nouatores, quaſi cum nimio imperio fuerit, in quo ſe ipſi Deo præferret, & intempeſtiua. Huic impudenti calumniæ inſani Sanniones conantur ſtruere fidem, dicentes propterea Deip. Virginem fuiſſe a Chriſto Domino reprehenſam illis verbis. *Quid mihi & tibi eſt mulier? Nondum venit hora mea.* Apes

mel ex floribus ſuauioribus, Aranei virus conficiunt. Sic ex facto, ex quo SS. Patres MARIÆ laudes abundè colligunt, iſti illud in probrum vertunt, & vti Hebræi canes multi infideliter ex Prophetæ oraculo Dominum obſederunt, ita hæretici canes rabiem infernam deſpumantes in Dominã cynicè latrant. Sed fruſtra conantur immaculatum Sanctuarium Dei ſuis conſpurcare cauillis. Manichæi, & Valentiniani, vt referunt Orig. in cat. græca, & S. Auguſt. tract. in Io. 8. illis verbis. *Quid mihi & tibi eſt mulier* execrandum ſuum errorem confirmabant, id eſt B. V. non eſſe veram Chriſti Domini Matrem. Lutherus in c. 4. epiſt. ad Gal. & Melancton in annot. circa Euang. Io. c. 2. temerè dixerunt B. V. vocatam fuiſſe mulierem per contumeliam, & a Filio reprehenſam. Sed toto omnes cælo errant. Prima calumnia manifeſtè falſa eſt ex ipſa Euangel. hiſt., nam ſemel, atque iterum Io. eam Matrem vocat. *Erat Mater Ieſu ibi, & dicit Mater Ieſu ad eum.* Secundam, quæ infra dicuntur, apertè diluent. Præterquamquod certiſſimum eſt B. V. ab omni actuali labe fuiſſe immunem ex Conc. Claramontano ſub Vrbano II. ex Trident. ſeſſ. 6. c. 23. atque ex SS. Patribus paſſim, vt ſupra demonſtratum eſt, ipſe contextus Euangelij omnem calumniam huic Marianæ poſtulationi ſine fundamento, & per inane inædificatam difflat, & diluit. Falſum eſt B. Virginem habuiſſe vllam miraculi præſumptionem cum tantum vini neceſſitatem indicarit. Vnde Metaph. in or. de vita B. V. ſic ait. *Vide autem hic quoque Dei Matris inſignem moderationem, & prudentiam.*

ſtiam. Nec enim iubet audacter tanquam Mater Filio, vt faciat miraculum, ſed eum ſolummodò admonet, idque cum magna quadam reuerentia, & ſubmiſſione. Vinum non habent. Nam etſi eaillum eſſe ſuum cognoſcebat Filium, non tamen ignorabat eſſe ſuum quoque Creatorem. Aliquod quidem maternum imperium agnoſcunt in confidenti poſtulatione S. Athanaſ. ſ. 4. contra Arrian. l. S. Auguſt. l. 2. de Symb. ad Cathechum. S. Gregor. Nyſſ. or. in illud Apoſt. Tunc erit, & ille ſubiectus, & Hugo de S. Vict. l. de modo orandi c. 3. Sed irreprehenſibile, & laudabile ratione efficaciæ impetrandi, non præſumptionis poſtulandi. Admirandis virtutibus ſtipatam MARIÆ Deiparæ poſtulationem hiſce melleis verbis deſcribit mellifluus Doctor l. de grad. humil. *Diſce in Matre Domini magnam in mirabilibus fidem habere, in magna fide verecundiam retinere. Diſce verecundia decorare fidem, reprimere præſumptionem. Vinum inquit non habent. Quam breuiter, quam reuerenter ſuggeſſit, vnde piè fuit ſollicita, & vt diſcas in huiuſmodi magis piè gemere, quam petere præſumptuosè, pietatis æſtum, pudoris temperans vmbra, conceptam precis fiduciam verecundè ſuppreſſit. Non frontosè acceſſit, non palam loquuta eſt, vt audacter coram omnibus diceret. Obſecro Fili. Deficit vinum: contriſtantur Conuiuæ: confunditur Sponſus. Oſtende quid poſſis. Sed licet hac aut multò plura pectus æſtuans, feruens loqueretur affectus, priuatim tamen potentem pia Filium Mater adijt non potentiam tentans, ſed voluntatem explorans. Vinum inquit non habent. Quid modeſtius? Quid fidelius? Non defuit pie-*

tati fides , voci grauitas , efficacia voto. At reuera nullus euidentius ab omni calumnia Matrem liberauit, quam Filius, cùm humiliter, & modeſtè indicatæ neceſſitati miraculo prodigioſè ſuccurrit. *Non igitur*, cum S. Iuſtino Marty. in l. queſt. q. 136. concludo, *verbis Matrem increpuit, quam operibus cohoneſtauit.*

Illa Filij verba, quid mihi & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea, *nec incongruam, nec intempeſtiuam fuiſſe Maternam poſtulationem ſuadent.*

VIII.

ILlorum verborum *quid mihi, & tibi eſt mulier* extant variæ interpretationes doctæ, & piæ apud Patres, & ſacrarum litterarum Interpretes, S. Gregor. l. 8. Epiſ. c 42. S. Auguſt. trac. in Io. 8., S. Bern in ſ. poſt oct. Epiph, S Iuſtinum q. 136., S. Epiph. hær. 51. & 79., S. Thomam 3. p. q. 27. a. 4. Guarr. Abb. ſ. 4 de Aſſump. Euthymium in comm. huius loci, Theophilac. in c. 2. Io. D. Io. Chryſoſt. hom. 25. in Io. D. Cyrillum l. 2. c. 23. S. Athanaſ. in apolog de ſua fuga, Theophilum Alex. tract. 9. in Io. & inter recentiores Stapletonium in prompt. Cathol. Dom. 2. poſt Epiph., Caniſ. l. 4. c. 19. Richelium l. 3. de laud. Virg. c. 19. Ludou. de Ponte l. 3. in cant. exhort. 70. Toletum, & Maldonatum in 2. Io. alioſque innumeros. Cenſeo hunc eſſe ſenſum illorum verborum. *Exoras a me vinum pro conuiuis o mulier. Annuo tuis precibus, niſi tu interpellares, non patraturus modo hoc miraculum. Sed nondum venit hora mea, hora mea paſſionis tantopere a me exoptata, qua aliud*

vinum

vinum Sanguinis mei ſub torculari Crucis in pretium redemptionis humani generis exprimam. Fauent huic expoſitioni S. Cyrillus loc. cit. S. Ambroſ. in pſ. 118. & S. Io. Chryſoſt hom. cit. expreſsè affirmantes ob interceſſionem Matris Filium citius, quam factu1us erat, miraculum patraſſe. Ad expenſa verba. *Quid mihi & tibi eſt mulier?* Sic inſtat Mellifluus Bern. ſ. 2. poſt act. Epiph. *Quid tibi & illi Domine? Nonne quod Filio, & Matri?. Quod ad illam pertinet quaris? cum tu ſis benedictus fructus ventris eius immaculati? Nonne ipſa eſt, in cuius vtero nouem menſibus moratus es, cuius Virgineis vberibus lactatus, in qua iam duodecim annorum factus de Hieruſalem deſcendiſti, & eras ſubditus illi?*

Ad alia quoque verba *nondum venit hora mea*, quæ magna myſteria ſapiunt, vt ſupra vidimus inſanierunt, ſed ineptiſſimè Priſcillaniſtæ hæretici dicentes Dei Filium fato fuiſſe ſubiectum. Hæc inſania refutatione non eget, cum ſit manifeſti erroris rea, & diuinarum litterarum, ſacrorum canonum, conciliorum æcumenicornm, Summorum Pontificum, Sanctorum Patrum, tum Latinorum tum Græcorum auctoritate, Imperatorum legibus, Iuriſconſultorum placitis, antiquorum Philoſophorum, & Doctorum grauiſſimorum ſuffragio, ac robuſtiſſimis rationum momentis examinata, iudicata, damnata. Quid poſſint Aſtrologi iudiciarij ex aſtris prædicere docent magni theologorum Principes D. Auguſt. l. 5. de Ciuit. Dei c. 6. & D. Thomas 1. 2. q. 9. a. 3. & alibi.

Admirabile Deiparæ Virginis conſilium. Quodcunque dixerit vobis facite, *euoluitur.*

IX.

H*Iſce verbis* inquit Rupert. Abb. l. 3. in Io. *opportuna commonitione voluntatis Filij ſui conſcia, & de potentia non dubitans miniſtrorum animos præparabat.* De hoc admirabili conſilio Albert. Magnus glorioſior B. V. diſcipulus, quam maximorum Doctorum magiſter in Miſſus eſt c. 117. egregiè differit. *Doctrina* ait *Prudentum facilior eſt prou.* 14. *ſed Beatiſſima Virgo breuiſſimè, & lucidiſſimè omnia prædicabilia vno verbo prædicauit, quando dixit in nuptijs. Quodcunque dixerit vobis facite. Qui enim facit quæcunque Filius Dei dixerit omnia prædicabilia implet: ergo Beata Virgo omnia vno verbo prædicauit.* Plena erit prophetico Spiritu Dei Mater procul dubio, cum ita loquuta eſt, vt docet præter Rup. Abb. iam relatum S. Gaudentius in commentario huius loci expreſsè. *Nunquã* in quit *mandaſſet Miniſtris quodcunque dixerit &c. niſi Spiritu Sancto poſt partum diuinum plena non ſolum reſponſionis Chriſti virtutem cognouiſſet, verum etiam futuri ab eo tunc ex aqua vini vniuerſum ordinem præuidiſſet. Quid enim lateret ſapientiæ Matrem, capacem Dei ædem?* Euthymius hic dicit Dei Matrem monuiſſe Miniſtros, vt ſimul cum ipſa peterent miraculum: addit S. Bonau. in vi. Ch. c. 20. dixiſſe illis *Ite ad Filium meum, & quodcunque &c.* imo S. Io. Chryſoſ. in hunc locum etiam eos ad Filium ſuum duxiſſe adiungit.

Exoratio primi miraculi efficax apud Filium duas potiſſimum prærogatiuas in Dei Matre demonſtrat, primùm totam eſſe viſcera pietatis.

X.

PRimam hanc prærogatiuam infert D.Bern. ſ. 1.Dom. 1. poſt Epiph luculentiſſimis hiſce verbis. *Compaſſa eſt inquit Mater IESV in nuptijs Canæ Galilea, eorum verecundiæ, qui vinum non habebant, ſicut miſericors, ſicut benigniſſima. Quid de fonte pietatis procederet, niſi pietas? Nonne qui pomum tenuerit in manu ſua dimidia die, reliqua diei parte ſeruabit odorem? Quantum ergo viſcera illa virtus pietatis affecit, in quibus nouem menſibus requieuit?* Iam ſolemnis titulus eſt in Eccleſia Catholica, vt *Mater miſericordiæ* vocetur. Hunc illi titulum adſcribit S. Bern. ſ. 1. de Aſſumpt. cum alijs Patribus. Et certè hæc ſunt *viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto.* Immenſitatē Marianæ miſericordiæ nulla geometria, ſiue Angelorū, ſiue hominum metiri poteſt, niſi ſolus immenſus Deus. *Quis* ait S. Bonau. in ſpec. B V. c. 5. *Mariæ immenſitatem dimenſus eſt, niſi ille ſolus, qui ipſam non ſolum in gratia, & in gloria, ſed etiam in miſericordia tam altiſſimam, tam latiſſimam, tam profundam operatus eſt?* Aliquo tamen modo eius fere dixerim immenſam menſuram deſcribit S. Bern. vbique de Mariana miſericordia magnificè loquens, his verbis. *Quis miſericordiæ tuæ o benedicta longitudinem, & latitudinem, ſublimitatem, & profundum queat inueſtigare? Nam longitudo eius vſque in diem nouiſſimum inuo-*

inuocantibus ſubuenit vniuerſis. Latitudo eius replet orbem terrarum, vt tua quoque miſericordia plena ſit omnis terra. Sic & ſublimitas eius Ciuitatis ſupernæ inuenit reſtaurationem, & profundū eius ſedentibus in tenebris, & vmbra mortis obtinuit Redemptionem. Aurea etiam ſunt illa verba, quibus alloquens Matrem miſericordiæ ſuperius dixerat. *Sileat miſericordiā tuam Virgo beata, ſi quis eſt, qui inuocatam te in neceſſitatibus ſuis, ſibi meminerit defuiſſe. Nos quidem ſeruuli tui cæteris in virtutibus congaudemus tibi, ſed in hoc potius nobis ipſis: laudamus virginitatem, humilitatem miramur; ſed miſericordia miſeris ſapit dulcius, miſericordiam complectimur charius, recordamur ſapius, crebrius inuocamus.* Iure itaque etiam ſic ſalutant duo magni eius cultores Ephrem de laud. Virg. & And. Cretenſis. *Salue diuina cum hominibus reconciliatio*, & *Aue Domina noſtra fœdus, pacemque fidelibus tuis impetrans*, quia ipſe eſt teſte S. Bernard. Sen. t. 3. ſ. 1. *Arcus fœderis ſempiterni, vt non interficiatur omnis caro.* Extat dictum illud emphaticum, ſed verum S. Fulgentij l. 4. Mythol. *Cælum, & terra iam dudum ruiſſent, ſi non Maria ſuis precibus ſuſtentaſſet.* Vti nihil Pater Filio non concedere poteſt, ita nec Filius Matri, cum ille exhibet vulnera, & hæc vbera perorantia. Hinc illa celebris ſententia Arnoldi bonæ vallis in encom. Deip. *Securum acceſſum iam habet homo ad Deum, vbi mediatorem cauſæ ſuæ Filium habet ante Patrem, & ante Filium Matrem. Chriſtus nudato latere Patri oſtendit latus, & vulnera: Maria Chriſto pectus & vbera. Nec poteſt vllo modo eſſe repulſa, vbi con-*

concurrunt, & orant omni lingua diſertius hæc clementiæ monumenta & charitatis inſignia. Hæc de miſericordia MARIÆ ſufficiant, de qua fusè agit Spinellus in Throno Dei c. 16. Sacrarum Scripturarum ſymbola, & SS. Patrum teſtimonia luculentiſſima congerens, & in fine exempla nobiliſſima in publicis mundi calamitatibus. Ex hac primi miraculi exoratione argumentum nobis ſuauiſſimum eruit S. Bernar. Sen. t. 3. ſ. 9. a. 3. c. 2. *Virgo Mater* inquit *ſe cunctorum hominum Matrem pietatis agnoſcens, ſollicita pro filijs, irrequieta etiam ad Dei Filium interceſſit dicens. Vinum non habent. Si hoc non rogata perficit, quid rogata perficiet? Si hoc viatrix exiſtens quid cum regnat in patria? Si hoc apud Filium temporali morti ſubiectum, quid cum mortem ſuperauit? Cælum, ac terra omnibus ſæculis miſericordia Mariæ Deiparæ plena ſunt, & omnia eam prædicant. Quis eſt* clamat S. Bonau. in ſpec. B. V. c. 8. *ſuper quem Sol non luceat? Quis eſt ſuper quem miſericordia Mariæ non reſplendeat?* Quid ergo amplius moramur in Sole illuminando? Non eſt qui ſe abſcondat à calore eius.

Tum eius preces pro materno veluti imperio haberi, & omnia obtinere poſſe.

XI.

IMperare quodamodo Matrem Dei, cum orat, docuit B. Pet. Dam. ſ. 44. cum illam ſic alloquitur. *Accedis enim ante illud aureum humanæ reconciliationis altare non rogans, ſed imperans, Domina non ancilla.* Similia habet, & ferè ad verbum Hugo Victor. l. 3. miſcell.

c. 44. & Cantipratenſis l. 2. Apum c. 29. Sed nullus luculentius hoc expreſſit, quam Ricchardus a S. Laur. eloquentiſſimus B.V. et co-miaſtes l. 3. priu. 9. *Cum omnes* inquit *alij Sancti, & Angeli poſſint Chriſto ſupplicare, & a Deo exaudiri, vnde & dicit eis, Petite, & accipietis* Matth. 7. *ipſa ſola materna auctoritate poteſt ei vt filio imperare. Quod ſignatum eſt* 3. Reg. 2. *vbi legitur Salomon, qui ſignat Chriſtum reſpondere Matri ſuæ. Pete Mater mea, neque enim fas eſt, vt auertam faciem tuam &c.* De Deiparæ Virginis potentia, ita magnificè loquuntur Patres, vt ea, quæ ſacræ litteræ Dei Filio adſcribunt, ipſi per quandam communicationē honoris Matri attribuant. *Exauditur* Chriſtus *pro ſua reuerentia* legimus ad Heb. 5. *Pro ſua reuerentia exauditur Maria* ait S. Bern. ſ. in vig. natiu. Dom. Chriſtus *mediator Dei, & hominum* dicitur 1. ad Tim. 2. *Mediatricem Dei, & hominum* apellat B. Virg. D. Auguſt. apud Mendozam in virid. l. 2. prob. 2. *Propitiatorem Deus propoſuit Chriſtum*, vt habemus ad Rom. 3. *Propitiatricem Deus conſtituit Mariam* verba S. Hieronymi ſunt apud eundem. *Quacunque popoſceris a Deo dabit tibi Deus*. Ita legimus de Chriſto Dom. Io. 11. Conſonat S. Anſelmus de excell. Virg. c. 12. his verbis; *Quidquid tu Virgo velis nequaquam fieri non poteſt*. Efficaciſſimum hoc Marianum patrocinium SS. Patrum Elogijs celebratur apud Spinellum in Throno Dei c. 30. Aduocata vniuerſalis eſt ex ijſdem SS. Patribus, vnde Idiota in lib. de contempl. Mar. in prol. ſic ait: *Cæteri Sancti iure quodam patrocinij pro ſibi ſpecialiter commiſſis plus poſſunt prodeſſe*

deſſe in curia Altiſſimi, quam pro alienis. Beatiſſima verò Virgo Maria ſicut eſt omnium Regina, ſic & omnium Patrona, & Aduocata, & cura eſt illi de omnibus. Iure itaque Rup. Abb. l. 7. in cant. his verbis ad eam confugiebat. *O beata Maria, mons montium, Virgo Virginum, Sancta Sanctorum, ad omnes quidem conuertimur, ſed ad te præcipuè præ cæteris oculos noſtros leuamus, tuum præ omnibus auxilium ſuſpiramus.* Magnæ huius potentiæ in B. Virgine rationem reddit S. Bonau. ſic illam alloquens. *Quia Dominus potentiſſimus tecum eſt, ideò & tu potentiſſima es apud ipſum, verè vt dicere poſſis, in Hieruſalem poteſtas mea,* & S. Anſelmus l. de laud. Virg. c. 12. *Te Deus Virgo ſic exaltauit, vt omnia tibi ſecum poſſibilia eſſe donarit.* Tota ergo Matris potentia in omnipotentiam Filij refundenda eſt, *ne dum Matris honor* (Seraphici Doctoris verba ſunt) *extollitur, Filij gloria minuatur, & in hoc ipſo Mater prouocetur, quæ magis vult honorari Filium, quam ſe ipſam.*

An B. Virgo aliquem ab Inferis eripuerit.
XII.

INſtituit hanc quęſtionem ex profeſſo Mendozza in virid. l. 2. probl. 5 Si loquamur de liberatis ab inferno per anticipationem, antequam animæ demerſæ eſſent in locum tenebrarum, & barathrum perditionis, non videtur dubitari poſſe, quo minus multi ſub clientela Dei Matris liberati ſint. In hoc ſenſu dixit S. Bernardus ſ. 98. à B. Virgine Cælum impletum, & Infernum euacuatum. Hoc ipſum expreſsè affirmant S. Germanus Patriarcha C.

de

de Zona Virginis S. Cyrillus Alexand. hom. 6. contra Neſtor., S. Io. Chryſoſt., S. Fulgentius, S. Anſelmus apud eundem. Adducitur exemplum cuiuſdam Theophili, cuius meminit metaphraſtes, a S. Antonino, Euthymio Patriarcha Conſtantinopol. & alijs. Hoc etiã exemplum refert B. Pet. Damiani ſer. 1. de natiu. Virg. his verbis. *Quid tibi negabitur Maria, cui negatum non eſt Theophilum de ipſis perditionis faucibus reuocare?* An eripuerit B. V. aliquem damnatum, & in inferno incluſum maior eſt difficultas. Adhuc diſtinguendum eſt. Si loquamur de anima finaliter damnata mihi videtur certum nullam interceſſione B. Virginis fuiſſe ab inferno in cælum translatam. Ratio eſt, quia infernus non eſt locus pænitentiæ, & dicere cum ſtatu peccati ſine pænitentia aliquam animam ad gloriam admitti, manifeſtè ſacris litteris, & decretis diuinis nobis in ijs reuelatis, repugnat. Si loquamur de anima in inferno ad tempus ſepoſita, & non finaliter damnata, adhuc fundamentum non habeo affirmandi Dei Matris precibus aliquam fuiſſe ab inferno hoc modo liberatam, licet Mendozza iam relatus in hanc ſententiam inclinet. Sic ipſe ratiocinatur. Priuilegium alijs SS. conceſſum, cuius B. Virgo eſt capax, ipſi negari non debet, & probatur S. Bern. auctoritate epiſt. 174. vbi ait. *Quod vel paucis mortalium conſtat fuiſſe collatum, non eſt fas ſuſpicari tantæ Virgini fuiſſe negatum.* Hoc idem affirmant Idiota l. de contempl. Virg. c. 2., S. Bonau. in ſpec. c. 5. 6. & 7., S. Auguſt. ſ. 21. de temp., S. Io. Damaſc. or. 1. de dorm. Virg., S. Athanaſ. S. Cyprianus,

S. Io.

S. Io. Chryſoſ. S. Ambroſ. S. Hieron. S. Th. S. Antoninus, & alij, quos refert, & ſequitur Suarez t. 2. d. 1. ſ. 2. Sed multorum Patrum auctoritate, alicuius Sancti precibus aliqui ab inferno liberati ſunt: ergò hoc priuilegium B. Virgini concedendum eſt. Minorem ſic probat. Anaſtaſius Antiochenus in ſuo itinerario refert Platonem deſcendente Chriſto ad inferos extractum fuiſſe. Approbat hoc Nicetas S. Gregor. Nazianz. interpres or. 1. in Paſchate, & videtur fidem adhibere Salmeron t. 4. in epiſt. d. 26. S. Io. Damaſc. ſ. de defunctis dicit S. Gregor. Mag. precibus Traianum idololatram Imperatorem, & perſequutorem Eccleſiæ fuiſſe ab inferno liberatum. Imo addit hæc verba: *Teſtatpr oriens, & occidens totus miraculum hoc germanum, & irrefutabile.* Hanc hiſtoriam approbant Ciacconus in apolog. de hac re, Corduba l. 1. q. 51. Rebuff. in ard. Altiſiodorenſis l. 4. Albert. 1. p. ſum. q. 77. Abulenſis 4. Reg. q. 57. Ledeſma 2. p. q. 16. a. 13. Caſſanæus in catal. conſid. 27. Viguerius de pænit. c. 8. & alij. Refertur etiam S. Thomas in 4. d. 45. q. 2. a. 5. ad 5. Non tamen exiſtimo ratiocinationem allatam eſſe efficacem. Illud fundamentum, quod omnia priuilegia alijs Sanctis conceſſa ab B. Virgine amoueri non debeant, non admitto, niſi intelligatur eminenter, & intenſiuè non materialiter, & extenſiuè. In hoc ſenſu relati SS. Patres, & Doctores Scholaſtici loquuntur. Hiſtoriam illam de Traiano ab inferis, liberato reijciunt Suarez, & Bellarminus, alijque ſatis communiter.

Aliqua SS. Patrum dicta circa potentiſſimam B. Virginis interceſſionem temperantur.

XIII.

EX proximè dictis patet, in quo ſenſu intelligi debeant S. Ephrem Syrus in Threno Virg. ita Deiparam ſanctiſſimam ſalutans. *O ſacroſanctiſſima deſperantium ſpes, & damnatorum patrocinatrix!* & B. Pet. Diamiani ſer. 1. de nat. Virg. ſic eam alloquens. *Data eſt tibi omnis poteſtas in cælo, & in terra, & nihil tibi impoſſibile eſt deſperatos in ſpem ſalutis reuocare.* In eodem ſenſu loquutus eſt S. Bernar. ſ. 2. ſuper Miſſus eſt cum dixit. *Ipſa tenente non corruis, ipſa protegente non metuis, ipſa Duce non fatigaris, ipſa propitia peruenis.* Illud S. Anſelmi dictum l. de excell. Virg. c. 6. *Velocior eſt nonunquam ſalus inuocato nomine Mariæ, quam inuocato nomine Ieſu,* facilem explicationem habet, cùm omnis Marianæ interceſſionis potentia a Dei voluntate, atque omnipotentia dependeat. *Siquidem Spiritus Sanctus,* vt loquitur idem Anſelmus apud Mendozam in virid. l. 2. probl. 1. *Reginam Imperatricem cæli, ac terræ, & omnium, quæ in eis ſunt, Sponſam ſuam fecit.* Ita potens eſt B. Virgo efficaciſſima ſua interceſſione, vt Gregor. Nicomedienſ. audeat apellare illam *omnipotentem,* & Pet. Chryſol. *Deam omnis creaturæ. Per orationem inquit Moyſes fit Deus Pharaonis, & ad triumphos ſuos militare ſibi omnia mandat elementa. Per orationem Virgo fit vniuerſæ tanquam Dea creaturæ.* Tota tamen hæc veluti precaria omnipotentia MARIÆ Dei auctoritatem non minuit, ſed benignitatem amplificat.

cat. Alia Anſelmi dicta. *Qui ad Mariam acceſſerit impoſſibile eſt vt pereat, & ipſa velit, & nequaquam ſalui eſſe non poterimus*; maiorem difficultatem habent, ac temperanda ſunt, vt impoſſibilitas intelligatur ſecundum eum modum loquendi, quo rara, & difficilia aliquando impoſſibilia dicimus. Ordinariè loquendo, & regulariter B. Virgo veris, feruentibus, & pijs ſuis cultoribus impetrat auxilia efficacia finalia, quibus ſalutem conſequantur.

An vnicum Deiparæ Sanctiſſimæ patrocinium ſupra SS. omnium patrocinium ſit.

XIV.

AFfirmat Suarez t. 2. in 3. p. d. 23. ſ. 2. & reddit rationem, quia nimirum dignitati Matris eſt maximè conſentaneum, & perfectiſſimæ illius gratiæ, & charitati quodamodo debitum, ideoque Eccleſia Sancta Catholica, & frequentius, & altiori quodam modo B. Virginem exorat, quam reliquos Sanctos. Concludendum eſt ergo cum S. Germano in or. de Zona. *Omnia tua admirabilia ſunt o Deipara, omnia ingentia, & aliorum vires ſuperantia! Propterea & patrocinium tuum maius eſt, quam intelligentia apprehendi poſſit.* Idem exprimit S. Birgitta l. 4. reu. c. 74., vbi in quadam viſione dicit Sanctos apparuiſſe, & dixiſſe Virgini. *O Domina benedicta tu portaſti Dominum in te, & tu Domina omnium es. Quid eſt quod non poteris? Quod enim tu vis: hoc factum eſt.* Huius primi miraculi impetratione veluti inaugurata eſt MARIA Deipara omniũ ferè gratiarum in Eccleſia Catholica diſpenſatrix. *Eccleſia Sancta aquaductum* vocat S.

Bern. ſ. de B. V. vbi agit de aquæductu, *per quem ex fonte æterno omnia ad nos fluunt dona cæleſtia*. In eodem ſenſu Eccleſiæ collum vocat S. Bern. Sen. t. 1. conc. 61. Sic Deus ſtatuit Bonauent. teſte *vt congregationes aquarum maria apellarentur: congregationes gratiarum Maria*. *Sicut ergo* vt ait S. Epiphan. *Chriſtus Dominus fuit ſtupendum ſuper omnia miraculum, quia ſuis precibus nullum non efficere potuit*, ita B. Virgo Dei Mater non immeritò magnum mundi miraculum apellatur, imo ex S. Io. Damaſceno miraculorum officina.

MA-

MATREM INTER FILII cruciatus doloris gladius perfodit.

TRAGAEDIA.

ELOG. XXIV.

Et benedixit illis Simeon & dixit ad Mariam Matrem eius. Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael; & in ſignum cui contradicetur: & tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Lucæ 2.

Attendite, & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus. Threnor. 1.

Adeſto orbis terrarū ſpectator diuinę tragędię,
quæ ad omnes homines ſpectat.
Aliæ omnes tragædiæ, fabulæ ſunt:
hæc vna hiſtoria, vera tragædia eſt,
actore hominum odio, auctore Dei amore,
humana omnia Deo
cruciario protagoniſta patiente.
Exhibetur paucis horis negotium,
omnium ſæculorum.
Sed hæ horæ æternitatem ferunt,
toto in admiratione ſui æuo ſuſpenſo.
In cænaculo Sion lætam prothaſim:
in horto Gethſemani lachrymabilē epitaſim:
in Caluario monte
luctuoſiſſimam cataſthaſim habemus.
Humanas in diuina tragædia leges ne require:
inexplicabilis cum ſit ſine nomine,
vno VERBO abſoluitur,

quod

quod lituris ſcriptum potius, quam litteris,
nec Iudæi doctiores agnouerunt.
Quid aliud expectari poterat,
vbi arundinem pro calamo
rudes adhibent milites.
Hæc cum ſpinas inſereret
interpunxit potius VERBVM, quam ſcripſit.
Nullo alio infeliciori calamo vti potuiſſet,
ſi ſcripſiſſet ipſa calamitas.
Nec ſuauiori ſtylo rubricatum ſuo ſanguine
incidit ferrum carnifex, VERBVM,
quam ſpinæ interpunxerint.
Trabalibus clauis, patibulari lancea,
omnes ſculpti ſunt in vno VERBO
crudelitatis caractères.
Iudæorum ignominioſus barbariſmus fuit
idiomatis peregrini diuino VERBO,
male abuti.
Turpis etiam ſolleciſmus
indeclinabile diuinum VERBVM declinare,
& quod omnia aliàs fecerat, velle omnia pati,
ex actiuo paſſiuum.
In vnico quoque VERBO,
quo tota tragædia componitur
nullus verſuum numerus inuenitur;
niſi quod plangitur numerare velis,
non quod pangitur;
& illud adhuc ſupra omne numerum fuit.
Ipſi Caiphas, Pilatus, Herodes
illuſtriores drammatis tragici partes
ex vero ficti
ſub Principe perſona plebei ſunt.
Execrandus ſcurra infulas habet:
Exlex nebulo pro tribunali ſedet:
Infamis ludio Sceptrum geſtat,
ſine

ſine religione Pontifex, ſine conſilio Prætor,
ſine aula Rex.
Choros ducunt, Angeli pacis;
Sed quod mireris olympicis modis
amarè flentes.
Chordas mouent cum cordibus:
Excitant cum fidibus fidem.
Expectanda cataſtrophe non eſt in theatro:
illā Protagoniſta patibulatus in tumulo dabit,
vbi in victoria ſua mortem vincens
erit triumphator Inferorum,
terræ Dominus, Cæli Rex.
Eodem perficitur Sacrificio totum dramma,
quo inchoatur, ſi altare mutes.
In prothaſi incruentum adoletur in menſa:
In cataſtati cruentum mactatur in cruce.
Vnus viſus eſt Protagoniſta ſimul, & geminus;
nam quos cruciatus Filius
exhibebat in corpore,
quaſi geminati Solis parelia eſſent,
impreſſos Mater referebat in corde.
Vbi totus orbis ingenti terræmotu
plauſum dedit:
æſtinctis luminibus cęlū iterū ſipariū obduxit.
Et cum hoc PLAVDITE, ac tenebris,
finem habuit diuina tragædia,
lugenda potius, quam legenda.

Verè pertranſiuit animam tuam gladius doloris, qui tibi amarior fuit omnibus doloribus cuiuſuis paſſionis corporea. Quidquid enim crudelitatis inflictum eſt corporibus Martyrum leue fuit, aut potius nihil comparatione tua paſſionis, qua nimirum ſua immenſitate transfixit cuncta penetralia tua, tuique benigniſſimi cordis intima.

S.An-

S. Anſelmus l. de excell. Virg. c. 5.

Quid enim Mater non paſſa ſit videns ſuum Filium, eumque maximè, qui humana erat natura ſublimior, maleficorum ſupplicia ſuſtinentem? Hæc vtique paſſio Verbi immaculatiſſimæ Matri quouis gladio acutior, acerbiorque accidit. Origenes apud Corder. in cat. ad c. 2. Lucæ v. 35.

De Matris Doloribus inter Filij cruciatus.

CAP. XXIV.

A Nuptiali Canæ conuiuio, in quo Thaumathurga corporati verbi Diuinitas cæpit miraculis inclareſcere, magna Mater ferè fuit omnium comes itinerum, quibus cœleſtem doctrinam triennali expeditione glorioſiſſimè circumtulit, adiutrix laborum, auſpex prodigiorum, adminiſtra beneficiorum, incommodorum ſoſpitatrix. Ita ante Apoſtolos ipſos Apoſtolatum quendam admirabilem geſſit. Qui enim eſſe poſſet ſine tali Filio talis Mater, ſine quo cælum ipſum ſordebat, cum quo tellus cælo illuſtrior videbatur? Eundem ferè Mater, Luna Eccleſiæ naſcentis pulcherrima, tenuit illuſtrem zodiacum, in quo Filius Sol æternus inter adſcitorum iam ad ſe ſe duodecim Apoſtolorum ſigna cæleſtia, Iudæam ſæpius peragrauit, & nouam auſpicatiſſimi Euangelij diem intulit.

lit. Vnicum MARIÆ gaudium IESVS erat; vnicus Matri amor, Filius, auditoribus populis, ac ſpectatoribus æternæ vitæ verba, & facta diſpergens. Dicite ſuperi inſpectores diuinorum, & plauſores, comiteſque corporati Dei peregrinantis, & apparitores, quænam fuerit Deiparæ Sanctiſſimę felicitas, cum vidit Filium legentem in littore Galileo duodecim-viros terrarum orbis triumphatores, trahentem vrbes in Eremos, Chiliadas hominum totidem panibus, imò vnico prodigio paſcentem, e cathedra montium docentem ſublimia, frænantem maria, & ſupra fluctus ambulantem ſtupore immotos, aperientem vocis imperio ſurdas aures, inſerentem digito mutis linguam, luce ſua cæcis diem reſtituentem, viduantem miris modis ſepulchra cadaueribus, arcana diuino prorſus more reuelantem, ſubdentem Erebum iuſſis ſuis, cælũ in ſua vota inclinantem, ſcelera expiantem, palmaribus prodigijs vbique imperantem naturæ, Iudeamque omnem verbis docentem felicitatis viam, vultu beantem, præſentia conſecrantem! Idem erat Matris, ac Filij amor in duplici pectore, vno ferè dixerim corde geminato. Hinc IESV victoriæ in MARIÆ triumphos cedebant, & iam plures ſacras vtrique victorias Iudea germinabat, quam profanis ſylueſceret. Hiſce paſſibus gloriæ Magna Deipara comite, laborũ, & operum teſte ſubiugatis cum parua piſcatorum inermium manu duodecim Hebræis tribubus ad ſupremam victoriam, quã in cruce triumphali ſtatuerat, diuinus Imperator properauit, vt deinde vtriuſque mundi triumphator cæleſte capitoliũ intraret.

traret. Iam apperebat dies terræ, cęloque ſalutaris, quo mundi gementis ſub ferreis catenis inferni tyranni, inter totius naturę prodigia a cruciario amore, aſſertore libertatis, quadraginta ſæculorũ redimeretur longæua captiuitas, & Deus veluti è ſolio glorię ſuę, ab eo ligno in vtroque orbe regnaret rediuiuus, quod preſſerat morientem. Acceſſit itaque Hieroſolymam nomine viſionem pacis, ſed re ipſa pugnæ campum, imo belli fecialem, certuſque de victoria inter populares acclamationes, & palmas, plauſu populorum anticipato, & coronamento triumphali, auſpicatò triumphum ante pugnam exhibuit. Oleiſpalmæ inſertæ victorem quidem indigitabant, ſed principem pacis, per ſua, non per aliena vulnera ad victoriam anhelantem. Huius triumphi glorioſiſſimi, quam non palmata tantum veſtis, ſed via decorauit, magna pars fuit MARIA ouans. Verum areſcentibus ſtatim frondibus oleatum, ac palmarum, ſiccum tantum lignum remanſit, auſpicium crucis. Primum mortis progymnaſma Iudæ proditio fuit, qui latronum Anteſignanus auaritiæ ſimul, & prodigalitatis monſtrum humana rapuit, & diuina perdidit, hominum depeculator, Deique decoctor. At inſana prorſus prodigalitas, & auaritia videri potuit in inſcio ſuæ artis mercatore, inæſtimabilem Deum vili pretio nundinari, & licitari auro vltrò ſe dantem. Etiam fædiſſimæ animæ ſuæ auarus ſimul fuit, & prodigus, cum ſe ipſum ſuffocauit, & perdidit. Cum enim tam graue vnius ſceleris pondus, nec poſſet terra ſuſtinere, nec cælum pati, Deicida ſacrilegus inter cælum, terramque medius crepuit, Rex perdi-

perditorum infami laqueo coronatus, & e loculis ſuis abijt in locum ſuum, centrum nimirum erebi futurus in æuum odium Superum, hominum repudium, & ipſorum propudium inferorum. Proditorum magiſter, Magiſtri proditor Iudas, ac trium litterarum vir, factus ex trifure, trifurcifer non potuit infames litteras, niſi nigro theta delere, ſed inſano conſilio poſt fundatam omnium ſalutem illicò de ſua deſperans. Iniquiſſimus, & æquiſſimus ſui Iudex, & carnifex ex Apoſtolo Apoſtata, vbi Numen pro nummo vendidit, & cænum cælo prætulit, finem fune concluſit. Vide quantùm Iudas a Iuda diſtet, & in vno nomine certet virtus, & vitium. Alter Iudas nomen illuſtre Hebreæ Genti contulit, alter ſummam ignominiam. Ille Chriſti Pater dici meruit: hic Antichriſti. Proh Superum, & hominũ fidem! Ita ne venditur Deus, vt cum omnium hominum Redemptor ſit, nullum inueniat hominem, qui eum redimat? Ita plane; ſed eum etiam ante Iudam Pater dederat nobis, vt hoc ſummo bono noſtros ſibi omnes fœneraretur amores. Iam Cruci deſponſus aſpirabat Sponſus ſanguinis ad nuptias. Primus ad has apparatus de more conuiuium fuit, in quo poſt legalem Agnum, ipſe Agnus teri æ dominator Suis, non de ſuo tantum, ſed de ſe ipſo inexplicabili liberalitate epulas dedit, non corpus tantum, & ſanguinem ſuum, ſed totam Diuinitatem in cibum immortalitatis, lauritiaſque cæleſtes eliquando. Nunquam dulcius omnigeni ſaporis manna non Angelis tantum piſtoribus compactum, coctumque, ſed Numine conditore, hominum, ſe ſe in eorum cupedias

condiente e cælo pluit. Nunquam glorioſius Paſcha, quam cum hoc Agno orbis terrárum celebrauit, quod ſimul Sacerdos, hoſtia, ac Deus, non pontificiam tantum cænam exhibet, ſed diuinam. Ita corporatus Deus, vt hominem, qui malеſana cibi libidine e cælo ceciderat, in natiuo limo pertinacius hærentem, iacentemque in ignobilitate, extollat in ſublime, migrat in fructum vitæ nobiliorem. Ita anguis veteratoris veneno infelici, quod terrenus Adamus in omnem noſtram mortalitatem ſparſerat, cæleſtis medetur ſummæ antidoto felicitatis. Ita victor omnium de morte mox triumphaturus in Caluario, ante immortalitatis dat congiarium ea largitate, quæ omnium, & hominum, & ſæculorum famem ſedaret. Ita prouidus Summi Principis amor in arce Sion omnium annorum cæli, ac terræ repoſuit annonam, panem quidem arctum, ſed quo vterque mundus refici poſſit prodigioſa fertilitate, quia frumentum electorum eſt, ſe ſe vbique regerminans. Apagite fabulæ, etiam, quæ Ambroſia, & Nectare Deorum delicijs condiuntur! Veram Ambroſiam, verum Nectar habemus, quæ Deos conuiuas non poſcunt, ſed faciunt, & filios Excelſi omnes. O cænam magnam! o triumphale conuiuium, cuius reliquiarum etiam reliquiæ adorantur, & ipſa diuinorum fragmentorum analecta totam Diuinitatem ſapiunt, cæna ipſa, & conuiuio non minora! Hæc vbera vitali lacte ſtagnantia, & ſtillantia in æuum vberem vitã, ac nunquam morituram ſuis nuper de ſacri luſtrali fonte baptiſmi renatis, Deus vberum propinat. Hoc philtrum amoris Deus, nihil niſi

niſi amari amans, ac totus amor, benefico quodam veneficio, ac magia innocenti arcanis modis, vt amaretur, in cæleſti cibo celauit. Hanc Chemicam Paradiſi ſummus rerum omnium artifex amor tandem inuenit, atque expoſuit ſupra omnes cęli, rerręque theſauros inæſtimabilem, qua de empyreis ignibus, non ſubterraneis fornaculis ipſa Diuinitas prodiret Elixir æternæ vitæ. Quis neget inſolenti fędere cælum, terramque iungi, ſiue illud in terram deſcendat, ſiue hæc aſſurgat ad cælum, cum pane cælitum, imo ipſo Deo paſtus, æternarum menſarum iam nunc conuiua luteus homo ſaginatur? Scribite Superi columnis cænaculi Sion aureis notis in adamantina tabula NON PLVS VLTRA diuinæ charitatis, cum Euchariſtia auguſtiſſima conſona nomini rei veritate, ſit omnium cæleſtium charitum ſine vllo vnquam faſtidio diuinum manna, infiniti amoris empyreum, oceanus immenſus beneficiorum, inexhauſtæ potentiæ abyſſus, ſapientię mundi molitricis, ac ſeruatricis apex, inexplicabilis miraculorum labyrinthus, ſemper florens deliciarum Paradiſus, & confuſis ſimul omnibus titulis ineffabili modo Deus, & omnia. Nihil deinde mirum, ſi in conuiuio pinguium medullatorũ fortiſſimus Leo Iuda ſuis medullis nutritos adipatoſque ex Piſcatoribus Galileis Chriſtianos Achylles fecerit, Heroas euertendæ idololatriæ, & orbi terrarum ſubiugando pares; imo mellificium ſui oris exhibens nouos Sanſones, Nazareæ ſanctitatis, & prodigioſæ fortitudinis. Cibus grandium hic eſt: Gigantes aut paſcit, aut facit, cæli tamen non terræ filios, argos ſapien-

tiæ, Encelados charitatis, virtutum omnium Briaræos.

Admirabile conuiuium corporati Verbi, ſequuta eſt oratio, de ſphæra Empyrei flammas pro verbis loquens, & vbique ſacrum amorem inſpirans. Inde hymno dicto Montem Oliuarum petijt moribundus Cycnus, ſui epicedij præcentor. Hymni argumentum mors triumphalis fuit: læthalis doloris ſtrophe: læta ſalutis antiſtrophe, contrarijs mirum concentum facientibus. Ita non ex Hebro, ſed ex Heber verus Hebræus Orpheus, non vrbem fundat, ſed orbem canendo reparat. Ita etiam amor diuinus muſicam docet, & Spiritus Domini omnem ſcientiam habet vocis. Cantus hic Petro ſomnum conciliauit, a quo nõniſi vigilis Galli cantu excitatus eſt. Idẽ mons pugnanti, ac triumphanti Chriſto Imperatori deſtinatur, vt ſciamus Chriſtianis militibus eandem eſſe pugnæ arenam, victoriæ campum, ac triumphi capitolium. Ad beatum cæli apicem non niſi per calcatos cruciatuum montes aſcenditur. Hæc gigantæa pugna eſt, qua innocenter grandes animæ cælũ expugnant. Primæ igitur Cruciarij Imperatoris pugnæ hortenſes fuere in horto Gethſemani cum horrorum, ac metuũ confertiſſima legione, vnde illas ſine horrore, ac metu, nec ſuſtinere tellus, nec ſpectare cælum potuit. Ingens ſanè certamen, ſed maiori victoria confectum, quæ remittentibus per ſummam triſtitiam vndique venis inuſitato, & ante illud tempus inaudito auguſtiſſimi ſanguinis ſudore conſtaret. Inteſtinus ſiquidem hoſtis, malorum omnium copijs inſtructiſſimus, Im-

peratorem,

peratorem, quem timent vniuerſa, timor inuaſit, nec ceſſauit a pugna, quin cadentem videret, ac beatitate proſcripta pene dixerim infelicem. O timendam timoris vim, ac potentiam, niſi in amoris victorias incidiſſet! Ergone tam infeliciter laborabat hominum cauſa, vt cruentis eſſet lachrymis cæleſti oratori, cum langueret maximè, perorandum! At licet inſolenti facundia VERBO tacente Sanguis oret, non tamen iuſti auditur Sanguis de terra clamans, quia maiora vulnerum eloquentium ora, cælum poſtulabat. Ergone tot erat malorum monſtra, vt ſola imagine vitam vndique diffluentem præmaturo exitu tortor metus eliceret? Infelix onus quod expreſſit: felix hortus ſupra cæli lucem, ac pretium, qui tantum ſudorem exhauſit. Horto debebatur hic ſalutaris cruor, quia ibi, & prima lues fuerat, vt ab eodem loco manaret mortis venenum, & antidotum vitæ, ibique dolorum extrema florerent, vbi aruerant primitiæ voluptatum. Orbem ſordidatum non ſatis diluerat aquarum immane diluuium: ſupra pluuium mare e cælo depluens, illum emaculant guttæ Sanguinis decurrentis in terram, allato portu, non illato naufragio. Expectate mortales fortunatum autumnum copioſæ Redemptionis: ſine torcularis crucis graui tortura e botro Cypri generoſior vltrò erumpit vindemia ſanguinis, & probat illius vitis fæcunditatem, cuius Deus agricola, nos palmites ſumus. Auſpicor etiam illuſtriſſimam ſerenitatem Solis Orientis rediuiui: Occidens rubet in horizonte purpuraſcens. Ad omnium ſcelerum ſupra Teſſaliça aconita viroſam

præſentiam ſpes hominum, Superumque, cæleſtis ſmaragdus ſudare debuit. Sed hæc Chriſti bona chriſis læthalibus morbis mundum laborantem ſaluti reddet; toto enim Diuinitatis pondere in terram cadens omnia humana mala, quæ homines premebant, oppreſſit. O grauitatem peccati prorſus immenſam! Magnus ille, qui tribus digitis mundum appendit Deus, ludens in orbe terrarum, tergo ſuo illud imponens, ſi non ſuccumbit, ſaltem procumbit. Ita Sole Occidente Iris inſolens in guttis ſanguineis cælum terræ federauit vtrunque complectens, & omnium ſæculorum admirationem excitauit. Ita in ſpineto dolorum auſtro ſpirante, ſtatim aperitur roſarium felicitatis. Ita diuino Pellicano non ſatis fuit in cæna ſanguinem Filijs propinare, niſi ad prodigium prodigi prorſus amoris largè laxatis omnibus venis terram irrigaret, quæ tota pretioſo ſudore madens in Paradiſum deliciarum deinde refloruit. In hoc amoris, timoriſque Euripo, dum æſtus fluit ſanguinis, refluitque, diuina patientia mergi non potuit, cui omne naufragium malacia eſt. Per hæc anguſta vulnera tam ingens anima egredi non debuit. Viſus eſt cæleſtis Antheus vires a terra ſumere.

Inimicus timor ceſſerat Sanguini illi triumphali, quem in victoriȩ conatu cruciarius Imperator eduxerat, cum inſigne illud odium hominum, & ſi Superos odium tenet, etiam Superum Deicida ſacrilegus, aç Diuinitatis ſubhaſtator infamis Iudas acceſſit. Ille maximum vulnus, vt crudelius ſæuiret, amanter intulit impoſitum oſculo mendaci, ac venena-

to, per ſummam fraudem ſub amici perſona hoſtem abſcondens, & ſub ſigno pacis, belli fecialem. Hanc bellandi artem non ignorabat transfuga Charitatis, & alieniſſimus a Deo, quem quærebat, inſuauiſſimo cælo, terriſque ſuauio, inſpirauit in faciem vitæ ſpiraculum mortis. At feciſſet iterum ex Apoſtata Apoſtolum diuinus Magiſter, ſi etiam ipſe vſque ad vecordis cor inſufflaſſet ſpiritum ſuum. O audaciam incredibilem! Non timuiſſe ſi minus oris illius Diuinitatem, & illam ipſam noctem, ac tenebras deteſtandi facinoris teſtes! Ita ſecundum Adamum innocentem, in horto iacentem in ore Iudæ veterator Serpens aggreſſus eſt, non vt Deum faceret, ſed vt perderet. At Deum quem prodit Iudas, omnia prodũt, & explicant.

Adeſt cum Sycophanta Principe ſatellitum vulgus. Barbari lictores expedituri in prætorio faſces, ferrum in Caluario, libero non ſolum homini, ſed omnis humanæ libertatis aſſertori ſeruilia vincula inijciunt. Otioſus eſt labor; nam volentem trahunt, & dudum captiuum in faſciculis Adam, & vinculis Charitatis, imò & volantem amoris alis. Certè nouum amorem probat faſcia, licet non oculos tegat, ſed brachia premat, nedum amantem. Apagite lictores: vnus Iudas amplexu ſuo turpiſſimum vinculum inijcit. Nunc verè poteſtas eſt tenebrarum, cum in oſculo Iudæ, in ore Draconis Sol æternus Ecclypſim patitur. At cum ſceleſtiſſimo Sycophanta non ex telonio Apoſtolo, ſed ex Apoſtolatu telonario Dei venditore tota teterrimorum militum cohors velut icta de cælo humi proſternitur.

 tur.

tur. Et tamen duabus voculis EGO SVM loquitur Deus in ſibilo auræ tenuis. Ijſdem vocibus inimicos punit, & amicos beat; nam & Moyſi nomen ſuum quærenti (*Ego ſum, qui ſum*) glorioſiſſimè reſpondit. Inerme tonitru pacatæ vocis milites cataphractos humi abijcit. Quos non proſterneret, ſi eam fulmine armaret? Quid poterit, vbi tonuerit Iudex fulminator, ſi profligatiſſimam turbam affligit etiam afflictus, & reus? Adoratio tamen videri potuit non caſus, Deo etiam captiuo venerationem poſcente ab inuitis. Inijci ſibi tandem vincula patitur Regnorum omniũ, & ſeculorum Princeps, non vt citius, ſed o monſtrum! O nefas! vt infelicitius raperetur. Educitur quidquid ferre poteſt captiua innocentia, quidquid ſæuire armata crudelitas. Interim Lictores cæci Solem, quem noctu quæſierant, neque cum laternis, & facibus vident. Tædas, faſces, catenas, funes, omnem Inferorũ ſupellectilem noſtratibus furijs diræ Eumenides commodarant. Iudas Erebi furijs tetriorem quartam addiderat.

Exhibita prothaſi diuinæ tragediæ primus auditur plauſus tonantium verberum, & ſtridentium catenarum. Impune ſicarij furunt; nam in ſinu adulteræ ſynagogæ innocens Sanſon verus Nazareus laqueis duriſſimis irretitus omnium ludibrio proſtat. Omnes diſcipuli relicto magiſtro, qui ſolus omnes perditos in orbe terrarum quærebat, fugerunt, pudendo ſanè BARBARISMO, cum VERBVM declinant. Noluit Cruciarius Deus patiendi materiam, quam ſibi totam deuouerat in plures diuidi. Vnus Hercules diuinus poterat

totius

totius mundi labores exanthlare, peſtes diſflare, omnia mala pati, monſtra proſternere, cælo dignus, quod non tergo tantum mundum ſuſtentabat, ſed manu condiderat. Aufugientibus ſeruis Mater accurrit, quæ etiam nuncio ſilente, qui omnes hortenſes cruciatus retulerat, ſui ſanguinis adhucde terra clamantis in Filio patiente poterat voces audire. Vbi cæleſtem Adamum vidit e Paradiſo non deliciarum, ſed dolorum expulſum innocens Eua, VERBI diuini iã ſuo ſanguine rubricati cruentas relegens notas, vbique inuenit argumenta lachrymarum. Has largè profundens liquato per oculos corde, Cedroni iam Filij ſanguine aucto, Mater luctu ſuo auctarium addidit, vnde irrigata Eccleſiæ naſcentis noualia ex IESV ſanguine purpuraſcentis martyrij roſas, ex lachrymis MARIÆ lilia candidæ Virginitatis deinde germinarunt. Ita iiſdem aquis ſupra pretioſam Tagi tempeſtatem ſtillante ſanguinem Filio, lachrymas Matre, pyropi, & vniones innatabant. Nunc primum Cedron, torrens mæroris, totum ſuum nomen impleuit. Nunc ferè dixerim primùm IESVS a MARIA paritur; ſaltem nunc primi Matrem dolores cruciant. Nunc primum ſacrificus Simeonis gladius nobiliſſimæ victimæ ideſt Mariano cordi, tot annis ſuſpenſus, grauiorem ictum ex alto præcipitat, & vno vulnere ancipiti ferro mortem geminat, Filij corpus, Matris animam feriens, imò in ſe ipſa Matrem, atque in Filio bis feriens.

A faſciculo amaro hortenſis myrrhæ, ad forenſem tranſitur virgarum parricidalium faſcem. Hic nihil tam leue pænarum inuenies

in Dei Filio,quod collatum, aliorum hominum miſerias felices non faciat. Rapiunt captiuũ Imperatorem prætoriani ne dicam milites an dolores. Trahit infame ſatellitium armatorũ, ne dicam cruciatuum, an hominum. Vbique carnifices minæ, cruenta ludibria, aculoata probra, & alia nequiſſimi furoris portenta bacchantur. Pontifex ante Pontificem ſiſtitur, ſacer ante ſacrilegum, qui ipſo ſacrarum veſtium ſchiſmate Hebræum omne Sacerdotium lacerans, abiurat. Atheus myſta, nec Deum præſentem videns, nec loquentem audiens, nec manifeſtum agnoſcens, vbi veritatem ream blaſphemiæ accuſauit, atheiſmo in inſaniam migrante illud, quod mirari tanquam prodigium debebat, tanquam piaculum condemnat VERBVM TACENS. Non eſt ſacrilege Caipha, quod lacerata veſte arcana cordis expectores, & cælum inceſtes impia tui pectoris nuditate! Occulatiſſimo cordium Scrutatori Iudici, quem reum agis, omnis inteſtina tua impietas nimis etiam in aperto eſt. Iam te dudum diuinarum trium-viratus virtutum abiecerat, nec fidei byſſina, nec ſpei cæleſtis hyacinthina, nec flammatæ purpurea charitatis induebat: iam dudum ſine RATIONALI ſtultiſſimus hominum, pro illuminationis, & veritatis gemmeo monili ſplendida mendacia e collo ſuſpendis. Iam dudum mereris vita cum vitta ſpoliari. Quid agis o Hierarcha ſacrilege? Indignum te veſtibus probas, quas tibi detrahis, & iuſtè ne dicam an iniuſtè tua ipſius manu exauthoratus, vt carnificem induas, exuis Sacerdotem, dubitantibus iam poſteris ſeculis, an maiori ſacrilegio

ſacras indueris veſtes, an exueris? Iterum vaticinaris, ſed neſcius futurorum: in tuis veſtibus ſynagogam dilanias, & Hebreæ Reipublicæ membra per orbem terrarum e capite ſpargis. Accuſas iniquiſſime Iudex Dei VERBVM, cum falſa tacet; & cum vera loquitur, damnas. An ſileret Dei VERBVM, cum Dei nomine adiuratur? An negaret Patrem Filius, cum eum infra ſeruorum tuorum greges contemnis? Sed quid ſperari a Præſule poterat, cuius Vicarios dixiſſes fuiſſe ſeruos procaciores. Vnus illorum, vt veritati loquenti os occluderet, VERBVM ipſum diuinum aggreditur ferrea manu, & aureo ori æternos amores, & nunquam moritura gaudia ſpiranti, & cælum, terramque beanti, alapam impingit. Ad verè palmare nefas immaniſſimæ manus oppoſitis ſenſibus pietatis natura inhorruit, intremuit tellus, cælum ſtetit! En ſub ſuperbo Principe quantum poſſit plebea adulatio, & ſeruilis impietas! Id enim licet, quod libet. Et ſpectare potuiſtis Superi Regum Regem a plagiario mancipio depalmari? Sed aliam palmam ſuſtinuit diuinus vultus, aliam retulit patientia triumphali. Erubeſcente in diuino vultu ferro ipſo, manus impudens ferè indomita metalla duritie ſuperauit. Nec mirum cum magis humanum eſſet ferrum, quam manus, magis fera manus, quam ferrum, homine ſcum ferrum induit, in metalla tranſcripto. Hoc plauſu innocentia oratrix in ſua cauſa ab adulatore Sycophanta excipi non meruit, vt a publico graſſatore, qui Antiſtiti impudentia ſua antiſtabat, poſt laceratam famam, vultus etiam laceraretur. Non potuit

tamen ille tenebrio Soli Empyreo innocenti, maculam inurere, ſed tantum ab ore diuini Magiſtri oſculum detergere inhumani diſcipuli, & recens affrictum ori nefas diluere. Iterum in Cruce aceto, & vino os emaculabit ſordidatū adhuc fraudulento ſuauio, & peſte illita per odioſum illud amoris argumentum. Tunc vultui ſuo redditus agnoſcetur ab hominibus percutientibus pectora ſua, vt Deus, & a Patre cuius opem implorabit, vt Filius. At o quale fulgur oculis tuis luctuoſiſſima Mater, ſi ſpectaſti: quale cordi tuo fulmen ſi auribus tuis intonuit Pontificij ſatellitis probrum! Hæc tamen alapa maioris belli fecialis fuit, & concurrentibus impijſſimo certamine omnibus deinde pœnis, & contumelijs, claſſicum perſonuit.

Non fuit mirum in ea aula adulari crudeliter ſeruum, in qua impiè mentitur Apoſtolus, ita omnem ſcientiam dedoctus diſcipulus, vt Magiſtrum ipſum ſe ignorare teſtetur. Ingreſſus aulam rudis piſcator ſtatim mentiri didicit, quaſi in Schola falſitatis puderet eſſe philoſophum veritatis. Sed nouitius actor in teathro ſimulationum, nec ſcitè artem mentiendi exercuit, cùm hominem iure negaſſet, quem etiam Deum ſimul eſſe ſciebat. Inhumanus tamen fuit, & infidelis, cum negauit hominem, & Deum tacuit, viſus e ſchola potius Caiphæ prodijſſe, quam Chriſti. Quale Deus immortalis portentum! Petram Eccleſiæ fundamentum, quæ abyſſos premit, terrarum orbem regit, cælū ſuſtentat, mulierculæ voculis labefactari, vili fœminæ Dei Vicarium cedere, timeri ancillam a Principe Apo-

ſtolo-

ſtolorum, ab Oſtiaria Hebræi Pontificis, Romanum Hierarcham ſupplantari Ianitorem Paradiſi! Experietur Petrus ſolidiorem maris fidem, quam aulæ: ſiccus futurus in mari, nunc facit in aula naufragium. Cum Iudicem ſupra te non habeas, in tribunali tuo o mundi Iudex te reum agis. Primò negas, ſecundo mentiris, tertio peieras, inconſtans non ſolum in fide, ſed in perfidia, leuior fœmina, quæ te ſuperauit, & tui criminis iuratus teſtis. Ita obſtetricantibus ſceleribus alia ſæpius ſcelera ſoboleſcunt, & agnoſcit parentem ſuum, ac ſtirpem mali, ipſa poſteritas vitiorum. Iure tamen accedis ad ignem o Petre, qui proximè ſequens Luciferum in Aquilone, a longè Solem tuum in meridie amoris ſui, totus frigidus hyemem geminaras in corde. Sed quæ ad ignem ſceleſtum peccauit, expiauit deinde pænitentibus aquis, & periurij maculam fidelibus lachrymis deterſit. Erudijt oculo Magiſter diſcipulum, quem lingua non potuit: illo amanter reſpiciente, iſte fleuit amarè. Geminum tamen miraculum dicas, dum leuiſſimo ictu percuſſa Petra in ſcintillas amoris accenditur, & in fontem doloris euiſceratur. Oculi nimirum diuini benefico veneficio faſcinati Petri oculi cæperunt in fletu contabeſcere. Niſi velimus meteoron Empyrei fuiſſe, quod ad fulmen oculi fulgurantis & gallicinij tonitruum ſequeretur magnis imbribus pluuia voluntaria lachrymarum. Aquilæ pullus degenerans irretorto oculo Solem ſpectare non potuit: lippientem iam auertit. Nullos Democritos Chriſtiana philoſophia poſthac ſemper ridentes habebit: plures ta-

men numerabit ſemper flentes Eraclitos. Primus in Eccleſia huius lachrymantis philoſophiæ princeps Petrus, ſectam duxit. Exhauſtis aquis nauicula Petri, quæ minabatur naufragium, ſecura deinde mare calcabit. Sine mendacio oculorum, maximus hominum Dei Vicarius in his aquis etiam maior videri potuit. Extincta ſiquidem perfidia, quam ignis accenderat, Petri fides purior emerſit, & ſepti iugi Romæ impoſita, iugum ſuaue orbi terrarum impoſuit. Excitatus Galli cantu Petrus ſomnium eſſe vidit, quidquid male dixerat; neque enim ſcelus illud patraſſet, niſi infernis vaporibus tota læthes caput occupaſſet, & foras egrediens fleuit amarè, cum in Aula, quæ regia impudentiæ eſt, pænitentiæ locus non ſit. Ita Architalaſſus Eccleſiæ perfidiam igneos malleolos, & bolides iacientem inſtituta felici naumachia in mari merſit lachrymarum. Ita Inſpectorem acturus totius orbis Romanus Epiſcopus, ſalutari prius largi fletus collyrio oculos inunxit. Hæc ſola aqua liquato corde per oculos fluens, Tonantis Dei fulmen extinguit: hi ſoli benefici imbres ab æolia Paradiſi ſunt. Hunc Eccleſiæ Infanti in ſuo capite Petro renaſcenti pænitentiæ baptiſmum cælum deſtinarat, maiuſque prodigium in liqueſcente hac Petra, quam in ſciſſis Deo moriente petris tellus ſpectauit.

Apoſtolorum Principe periuro quid expectemus pietatis a ſatellitum turba? Lucifugæ tenebriones ſibi noctem geminant, dum velo obducto æternũ Solem, & in eo aſtra ſereniſſimæ frontis obnubilant, totumque cælum ſolem, & ſidera ſibi eripiunt. Excæcare fruſtra

conaris

conaris rea iniquitas Iudicem, qui totus Argus, imò totus oculus eſt. Anticipatis miſerijs miſeri viſionem Dei a vobis ablegatis, & Orcum ante mortem viui adhuc prælibatis, quaſi improbi oculum Dei pati non poſſint, ne quidem patientis. Amorem illum totum eſſe manifeſtatis, dum tegitis, cum vittato vtroque lumine e pharetrato corde ignea in vos tela conterquet. Hic nouus innocens Sanſon, etiam cæcus robur non amiſit, nec poteſt non eſſe Nazaræus. Ludicra nunc vobis ſpectacula præbet: templi veſtri ruinam quamprimum expectate. Hoc ipſum velum Regis dolorum regium diadema infelicitati veſtræ Hebræi Sacerdotes apertè proludit, nam Templi veſtri velum lacerabit.

Hinc ſacrilegio religioſo perditiſſimi milites adoriuntur ſimul Deum, & adorant. Militaris diſciplina ars nocendi publica, etiam ludendo lædit. Quid vltra fieri poteſt, vbi ignominia triumphat in venerationem conuerſa? Non eſt o ſtolidi milites quod in eum paratragrædiantes in veſtro teathro, illatis contumelijs Diuinitatem fingatis, non minus, quam olim potentia, nunc patientia Deum probante. Nullus homo, quæ vos infertis mala, pati poſſet. Inſani etiam eſtis, cum diuinationem a Diuinitate extorquetis, quaſi Deus poſſit non eſſe diuinus, & a Dei VERBO prophetiam exigitis, ſine quo nullum vnquam oraculum fuit. Non eſt ergo crudeliſſimæ ſphynges, quod cæcum diuinum Ædipum ad ænigmatum veſtrorum ſolutionem adigatis. In VERBI diuini iam editi cauſa ſilentium ipſum eloquitur, nec minus diuinæ patientiæ

apologia

apologia eſt, quam humanæ paræneſis impietatis. Ne vllus vnquam putaret IESVM patientem odiſſe carnifices ſuos, voluit ſibi oculos tegi, vt eos penitus ignoraret. Armant iterum alapis manus immaniſſimi irriſores, ſed eas pro plauſu excepit patientia triumphalis. Addunt alapis ſpurciſſima capita ſputorum ſentinam, & probris ipſis peſtem illinunt, vt ingrati maleficijs beneficia vindicent. Medico ſputo cæcos illuminarat, nunc ipſe cæcus factus in pœnam benefici miraculi fœdè conſpuitur. Ingentes tandem cruciatus conuicijs cumulant bis feri, manu crudeles, & lingua virulenti. Homines, ſi humanitas abſit, Principes feras nemo non dicat. Oratores amat patientiæ triumphus more triumphali pro eulogijs ſcommata iacientibus. Hanc hilaro tragædiam funeſtiſſimam Sui tota nocte Deus actor exhibuit. Eques magnæ crucis in peruigilio ſuæ dignitatis has cuſtodire vigilias debuit. Sed Filius ita ſe ipſum geminarat in Matre, vt iam IESVS etiam in MARIA pateretur. Acceſſit Mater, abeuntibus ſeruis, vt illorum fugam ingentibus lucris ſua præſentia compenſaret. Niſi ab arcanis Filij ſemper Mater fuiſſet ferè deletum, nedum abbreuiatum VERBVM non agnouiſſet. Amore monitore Mater didicit Filium eſſe, illum virorum nouiſſimum, quem ferè dolores ſuſtulerant. Inter iniqua tribunalia vbique tacuit, quia Virgo maluit videri, quam Mater, ne quidem liberatura iactura modeſtiæ Deum Filiū. Quid loqueretur tacente VERBO? ſtupuit, doluit, inhorruit!

Inde aurora illuceſcente, vt Deicidium iam publi-

publicum ſcelus eſſet non priuatum, coegerunt Principes Sacerdotum concilium; quod tamen maius Reipublicæ, quam reo malum conciliauit; nam reo mortem deſtinauit, Reipublicæ cladem intulit, ac vaſtitatem. Planè coegerunt mancipatis ſuffragijs, libertate proſcripta non principes, ſed tyranni. In vnius Dei-hominis cauſa omnis humani, diuinique iuris ſanctitas violatur. Enimverò, vt ream damnarent innocentiã in curiã falſitatis conſpirarunt Iuriſperitorum conſulta, edicta Prætorum, Regum placita, populi ſcita, decreta Pontificum, canones conciliorum. Non poterat iuſtitia magnificentius dehoneſtari. Orta iam die adhuc cæci talpæ Solem non videtis! Prima veſtrarum tabularum lex Hebræi Iuriſprudentes à Numinis cultu incipit; hanc legem tollendi Numen, non colendi e lapide veſtri cordis publicatis; Reus eſt læſæ diuinæ Maieſtatis Iudex, qui Deum iudicat. Ad tribunal Summi Principis vos ſiſterem Principes Sacerdotum; niſi Deus reus ageretur. Non aliter Senatus, populuſque Stygius, quam hoc Hebræorum Synedrion cenſuiſſet. Non ſuccenturiatis ſuffragijs, ſed tumultuaria voce in eandem Patres, populuſque iuere ſententiam. Ita peruerſa fuere omnia, vt cũ Principes popularentur innocentiam, populus regnaret, & clamans mortem indiceret.

Quid expectari ſanctum, ac pium a populi fece poſſit, vbi ipſi peſſimi ſunt Reipublicæ Optimates, Sacrorum Rex tyrannus, execrandi Sacerdotes, hominum non minus, quam pecudum poppæ, digni non flammeo, ſed flamma?

Ab Inſulato latrone ad purpuratnm graſſatorem a Caipha ad Pilatum diuina cauſa traducitur mutato Iudice, non tribunali, in quo eadem Sacerdotum inuidia, & populi fatuitas redorditur, quam tenuerat aduerſus probatiſſimam innocentiam iniuſtiſſimam accuſationem. Malo veſtro Hebræi myſtæ prophano Iudici ſacram deſtinatis cauſam: Iudæam vniuerſam in Romano foro condemnatis. Ab atrio gentium, ſacris ad ipſos deductis, ſuo iure Templi ſanctuarium inuadent, & in vno Templo, exciſo Iudaico regno, cæſo victimam cruciario Deo cedent. Iniuria deinde non iure innocentiam accuſatis, & ſola argumenta Diuinitatis profano ſiſtitis tribunali, quaſi ſcelus fuerit Dei Filium, Regem hominũ eſſe. Agnouit falſitatem calumniæ Romanus Iudex inter diuerbia veritatis, nec auſus eſt pro tribunali punire ſanctitatem.

In regia itaque cauſa Galilei hominis ad Herodem Antipam Galileę Regem ſiſti voluit reũ innocentẽ, qui tamen perperam devnius Regni ambitu accuſatur, cum Rex Regum immenſitate ſua omnia regna ambiat, Mundo maior. Habet iam præiudicium innocentiæ reus: Iudæis populis coronã, & ſceptrum deferentibus, ne Rex eſſet, fugit in montem ſolus, & verè ſolus, quia honorum apicem, quem omnes impensè quærunt, ſolus fugit. Ab alio Aſcalonita Herodes Antipas hæreditarium acceperat natum verum Iudæorum Regem ad necem inſectari. Adhuc viuebat Pater in Filio, a quo omnis humanitatis exorte, Deus etiam ſibi timere poſſet. Inſanus Rex vnum optat videre prodigium, cum plura præ oculis habeat.

An

An non maximum diuini amoris monſtrum vnitus in vna perſona homini Deus? Iterum inſanit, cum primùm audire deſiderat Dei VERBVM loquens, quod ſæpe in IOANNE clamans audierat, ſublataque VOCE reſponſum expectat. Non auditum in VOCE clamante VERBVM, iure tacet. Et hoc ipſum maximum prodigium eſt, VERBVM ſilens. Maius miraculum eſt tacere VERBVM, quam loqui. Addidit aliud ipſe Herodes illuſam ab homine Diuinitatem; ac ſi Deus etiam moriens morionis loco haberi poſſit. Sed illuſit Herodem Deus fabularem iſte rebatur Deum ludionem e cælo in ſcenam deſcendiſſe: ſerius tacuit. Et iurè VERBVM veritatis in Schola adulationis Harpocrates fuit. Abſoluit tamen eum Herodes etiam nolens, cum in candida veſte damnauit innocentiæ concolore. Imò eius vota impleuit, cum vt populi ſuffragia accederent, Crucis voluit eſſe candidatum. Vt video non gloria tantum tua mi IESV, ſed ignominia dedit transfigurationis grande myſterium in niuea veſte. Inſipiens mauis videri, quam adulator; cum tamen ſapientiſſimè futuris interrogationibus ſilentio reſponderes. Ad coronati Lupi homicidæ aſpectum loqui non debuit. In aula candicat: purpuraſcet in prætorio, in ijſdem ſuis cruciatibus, vti electus ex millibus, ita candidus, & rubicundus.

Vnum forum tanto reo non ſufficit. Ipſius Dei pauperis cauſa, quia minimè queſtuoſa non inuenit in vllo tribunali cognitorem. A Pontificio ad Prætorium, a Prætorio ad Regium traducitur, nihilque aliud obtinet, niſi

vt candidatus Crucis illud ſe demonſtret ambire in præmium, quod illi in ſupplicium minabantur. Iterum Pilatus calumniam palpat, & manus illicò abluit fædiſſimo ſcelere ſordidatas. Sed rurſus lotas innocentis ſanguine fædauit atrocius. Interrogatum Dei VERBVM quid eſſet veritas, nihil præter ſe ipſum ſpectandum pro reſponſo dedit, & iure cum in eo omnis veritas eſſet. Ille nec expectauit reſponſum, quia ſciebat in ea curia, in qua omnia falſitas definiebat, non eſſe locum definitioni veritatis. Mutatis perſonis crudeliori peripetia diuina tragædia ad cataſtaſim vergens Deum ex fatuo morione reddit ſtygmaticum mancipium. Igitur ſobrius Noe, non vnius Filij, ſed multorum irriſione veſtibus nudatur. Nec Agonotheta clamyditatus, nec loricatus Imperator in hac pugna patientiæ eſſe debuit. Secundùm Adamum cæleſtem nudum etiam, & innocentem extra Paradiſum habemus. Si tamen nudus fuit Dei filius, cum illum virgineus pudor ſua purpura magnificentius veſtiebat. Expediunt inde virgarum faſces duri lictores, columnæ alligant mundi columen. Iam ſæui Virgatores non membra tantum vulnerant, ſed vulnera, donec tota in vnum vulnus abeat corporata Diuinitas. Erubuere ad triplicem virgis ſibilantibus, ſtrepentibus funibus, catenis ſtridentibus verberum procellam, flagella ipſa: vos verò impij Verberones adhuc impudenter inſanitis, & per millena vulnera in vnius corporis lanienam conſpiratis. Niſi cruor hiantibus venis ſtagnaret, geminam dixiſſent columnam e marmore, Chriſtum, & lapidem.

Certè durius lapis flagellari non poterat, & labor videbatur eſſe in marmore cruciando. Gemino miraculo inſenſile ſuum robur humano corpori lapis contulit, & ſenſum doloris humanum contraxit. Iam nunc poſthac in ſtadio Olympico currentibus, hanc metam limitanei lapidis cælum ſtatuet. Columna hæc hiſtoriographa victoriarum anaglyphis diuinorũ cruciatuum enblemmatis tota deſcribitur. Iam vileſcant in omnium mortalium æſtimatione Epheſini templi columnæ: hæc vna meretur miraculi nomen. Ad ſtylitam noſtrum accedat ſpectator orbis: deſinat homines mirari, vbi Deum etiam viderit columnarium. Alios ſtatuas dicas: hic vnicus, eſt viuus patientiæ coloſſus. Melior Hercules, vbi ad Abilam, & Calpem peruenit columnarem metam erexit, in qua PLVS VLTRA diuini amoris inſcribere poterat per Oceanum ſui Sanguinis ad Inſulas fortunatas Caluarij excurrens. Vt indicem daret inundantis Nili ſuorum beneficiorum, prope tonantes verborum Catadupas, Niloſcopium ſuum extruxit. Nazaræi vindictas in amores, Nazarenus conuertit: amplexus columnam non Philiſteum templum euertet, ſed totam Dei ſuſtentabit Eccleſiã. Electo Dei populo poſthac ad cælum promiſſionis peregrinanti vna diu, noctuque columna ſanguinea hæc ducatum præbebit. Sed interim inaudita barbarie ſeruilia flagella in Regem laxant, vibrantque infames Maſtygiæ. Mitius Brontes, Steropeſque in æthnæis caminis finguntur ferrum erudire, quam Dei Filium verberabiliſſimi alioquin homines etiam ferro carnifice armati in vulcania amoris tundant.

Quid

Quid agis inique Iudex? Ita ne crudelibus lituris emendare, quod nunquā bene legeras diuinum VERBVM te putas? Peccas in huius diuini VERBI orthographia, cum vnicū VERBVM tot virgulis interpungis. Addis barbariſmū cum Deum hominem vocas. Ita tamen exeundū erat grandi animæ, quæ multas aperire debebat qua iret in cælum vias. Hoc virgarum ſeminarium virgini terræ altè defoſſum, irrigatum aquis de fontibus Saluatoris verum deliciarum Paradiſum prodigioſa fertilitate germinabit.

Sanguineæ ſcurrilis purpura ſuccedit, ludicrum manui ſceptrum inſeritur, ſpineum capiti imponitur ſertum, pro plauſibus alapæ, pro acclamationibus conuicia inferuntur. Vide quam habeat, cum regnat ignominia, Maieſtatem! Silete iam palliati Græculi magiſtelli, cum omni veſtrorum ſophorum ſchola: ſupra omnem græciam philoſophatur ſapientia ſub hoc humili palliaſtro. Intraturo Filio ad cæleſtia cum Patre conuiuia, nefas erat pretioſam hanc ſyntheſim non induere, quolibet Regio paludamento glorioſiorem. Purpuratus IESVS Regina manu ſtatim arundinem ſtringit, vt ſerpentem ſtygium ſine mora percutiat, & ſternat. Cæcus iam eras mi IESV velatis oculis: addunt arundinem vt totus amor cum ſis, illum etiam repræſentes non cæcum tantum, ſed ſagittarium. Hac rude arundinea donatus diuine magiſter incipis ſolidæ philoſophiæ, quod miremur principijs mundum erudire. Exauthorare dum te nituntur, inaugurant pontificio lituo in ſacrorum Regem. Expiſcaberis aliquando hoc

piſca-

piſcatorio calamo Petri manu totum orbem terrarum, & in aureum euangelij tui rete regna cum populis trahes. Hæc monſtrorum domitrix claua patientem armat cæleſtem Herculem, non pugnantem. Vbi arida arundo manum tetigit triumphalem, Tartari debellatricem, expugnatricem cæli, & rerum Dominam ſtatim in palmam viruit, vtriuſque mundi victorijs lemniſcata. En quo calamo VERBVM diuinum ſcribitur! en qua virga naturæ imperat, & rebus omnibus, non Pharaonis tantum, ſed Moyſis Deus.

Illuſtrius etiam lucis diadema IESVM, quam Moyſem, Filium coronat, quam amicum; neque enim ſpinæ ſunt, quæ caput cingunt, ſed radij latentis indices Diuinitatis. Alij in lauro: cruciarius Imperator triumphat in dumis. Luit in ſpinea Rex dolorum, quidquid populus delicatus peccauit in roſea voluptatum. Infæcundæ iſtæ ſpinæ caſti amoris ſanguine irrigatæ in roſarium felicitatis purpuraſcent. Electus a frondeo populo Ramnus in Regem nunc primùm in ſolio ſedet, nec ſolium potuit habere ſublimius, quam vbi vera Diuinitas regnat. Educto ad populum, quia Rex dolorum erat inſolenti populus acclamatione non vitam precatur, ſed imprecatur mortem. Indiguit deinde, VERBVM verberibus emendatum, interpunctum virgulis, aſteriſmo ſpinarum ſignatum, & ferè deletum probroſis notis. Pilati nomenclatura, vt agnoſceretur. ECCE inquit HOMO, quaſi cum ſpecies ei non eſſet, deberet in ſpecie hominis, vt aliquid eſſet, conſtitui. Tanta barbaries in informi vulnerum laniena cum omni huma-

nitate

nitate ferè hominem ſuſtulerat. CRVCIFIGE inſanus populus clamat, CRVCIFIGE. Hæc vox echo VERBI æterni erat. Per ſumma odia in eius amores incurrunt. Hoc ipſum ſemper æternum VERBVM clamauerat. Sed quale tibi ſpectaculum o MARIA iuxta auguſtiſſimi nominis etymon mare amariſſimum omnium lachrymarum? Vbique crudelitatis veſtigia inuenis, fortitudinis relinquis; & plures mortes viuens pateris, & vincis. Quale ſpectaculum Matri erant, vt damnaretur Filius, ſine legibus iudicia, ſine fide tribunalia, ſine religione Pontifices, ſine iuſtitia Prætores, ſine prudentia Reges, ſine patrono veritas? Quid cum ſpectauit captiuam libertatem, reàm innocentiam, vitam damnatam, Deum ſuſpendioſum? Etiam ſi plures diuinam tragædiam viderent, vna MARIA totā oculis hauſit, atque in cor tranſmiſit. Illud ſceptrum impotens, illa ſine maieſtate purpura, illa ſine dignitate corona, & quidquit pænarum, & ignominiarum corpus IESV fixit, MARIÆ COR pupugit; & dum Filium inaugurauit dolorem Regem, Matrem quoque Reginam dolorum inſtituit.

ELECTIORA
Ex Sacris Scripturis, SS Patribus, Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Doctoribus Scholaſticis de Matris dolore inter Filij cruciatus.

SYNOPSIS.

1 AN IESVM tempore promulgationis Euangelij MARIA fuerit comitata? 2. Quid egerit? 3. Vbi nam pro eo tempore frequentius habitarit? 4. An interfuerit manifeſtationi gloriæ in monte Thabor? 5. An inſtitutioni Auguſtiſſimi Sacramenti, & ſacram Synaxim ſumpſerit? 6. An Sacramentum EVCHARISTIAE magis inſtitutum fuerit pro B.V, quam pro omnibus alijs? 7. An reſpectu eiuſdem Sacramentum habeat aliquam excellentiam. 8. Quantùm ex beneficio Sacramenti Euchariſtici MARIAE Deiparæ debeamus? 9. Dei Mater doloribus Filij ſemper condoluit, non ſolum tempore paſſionis, ſed toto tempore vitæ. 10. Hic Matris dolor inter Filij cruciatus fuit ex SS. Patribus gladius Simeonis. 11 Huius doloris menſura ferè immenſa, ſaltem incomparabilis. 12. Hinc B V. apellatur Martyr, imò pluſquam Martyr a SS. Patribus. 13. An veri martyrij Aureola illi tribuenda ſit? 14. An in omnibus Filij doloribus Mater doluerit? 15. An Matris dolor, Filij dolores auxerit? 16. An fuerit ſuapte natura læthalis? 17. An extiterit non ſolum in appetitu rationali, verum etiam in ſenſitiuo? 18. Eius fomes. 19. An Angelus IESV conſolator in horto Gethſemani MARIAM quoque conſolatus fuerit? 20. An immixta fuerint doloribus aliqua gaudia? 21. An imminuti fuerint à gaudijs dolores, & an illorum exceſſus fuerit, an iſtorum?

An IESVM tempore promulgationis Euangelij MARIA comitata fuerit.

I.

INdiuiduam Chriſti Domini comitem fuiſſe Sanctiſſimam Matrem in triennali Euangelij promulgatione plura docent Sacræ Scrip-

turæ loca, quæ expendit magnus ille Cancell. Pariſ., Io. Gerſon tract. 11. ſuper Magnif. Hæc eadem eſt SS. Patrũ, & Scriptorum Eccleſiaſticorum ſententia, præſertim S. Auguſt. ſ. 18. & de Aſſ., S. Hildeph. ſ. 5., S. Epiph. hær. 78. Guarr. Abb. ſ. 4. de Aſſumpt., Arnoldi Abb. bonæ vallis in Encom. Deip. Metaph. de vita, & dorm. B. V. & aliorum. *Quæ hunc in vtero geſſit* inquit S. Auguſt. *& omnem infantiam eius Matris affectu, ita proſequuta eſt, vt vſque ad crucem, in qua Filium iam virum, perfectum vidit pendentem ab eius indubitanter miniſterio non receſſerit, conſequuta non ſolum greſſibus pedum, tanquam pro amore Filij, verum etiam imitatione morum, tanquam pro reuerentia Dei. Maria ergo miniſtra Chriſti ſpiritualibus operum qualitatibus ſicut deuotiſſima extitit, ita abſque dubio religionis; & veræ charitatis ſequutrix fuit.* Similia habet Guarric. Abb. S. Bern. diſcipulus loc. cit. *Sed & cum Euangelizans* ait *iret Ieſus per ciuitates, & caſtella, Maria comes indiuidua veſtigijs eius adhærebat, pendebatque ex ore docentis, adeò vt, nec procella perſequutionis, nec horrore ſupplicij a conſociatu Filij, & Magiſtri potuerit abſterreri*. Hinc iure a S. Epiph. loc. cit. contra Antidicomarianitas apellatur glorioſiſſimo titulo *Aſſectatrix Ieſu perpetua*. Similia habet Pet. Dam. ſ. 1. de Annunc. vbi concludit. *Sicut ſine illo* (ideſt Deo) *nihil factum; ita ſine ipſa* (ideſt MARIA) *nihil refectum eſt*. Legendi ſunt Interpretes ad c. 13. Matth. vbi habetur. *Nonne Mater eius dicitur Maria? &c.* ad 8. Lucæ vbi legitur *venerunt autem ad illum Mater & Fratres eius* ad Marci 3. vbi dicitur, *& veniunt Mater eius &c.* &

rurſus

rurſus ad celeberrimum locũ Matth. 12. *Adhuc eo loquente ad turbas ecce Mater eius &c.* & deinde, *quæ eſt Mater mea, & qui ſunt Fratres mei? Et extendens manum in diſcipulos ſuos inquit ecce Mater mea & Fratres mei. Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe meus Frater, & Soror, & Mater eſt.* Hæc verba præter alias Patrum interpretationes Tertull. l. de car. Ch., S. Hieron. hic, & S. Hilar. cedere in Matris Dei laudem veluti geminato Matris honore aſſerunt S. Ambroſ. luc. 8., S. Auguſt. tract. 10. in Io. & epiſt. 38. ad Lætum Abul. q. 173. & alij. Egregia Guarr. Abb. verba ſ. 4. de Aſſump. omitti non poſſunt. *Mariam* inquit *quæ ſecundum carnem Mater erat, alia quoque ratione Matrem ſibi Ieſus probat, quandoquidem & ipſa voluntatem Patris in tantum faciebat, vt de ipſa prædicaret Pater.* Iſ. 62. *Vocaberis voluntas mea. Igitur vbi viſus eſt eam ignoraſſe, ibi amplius honoraſſe inuenitur, dum ei ſcilicet Materni nominis honor duplicatur pro eo, quod eundem filium, quem aluo geſtauerat incarnatum, etiam nunc animo geſtabat inſpiratum.* Concludendum eſt ergo cum luculentiſſimo illo S. Auguſt. teſtimonio ſ. 18. de temp. *Illum* (inquit loquens de B. V.) *geſtauit in vtero, in vlnas ſuſcepit, ſinui applicuit, lacte pauit, cui in maiuſculo facta eſt comes, & ſocia indiuidua laborum, dolorum, infirmitatis, & mortis.*

Quid egerit?

II.

HInc magna in B. Virgine laudum ſeges! *Certè generoſitatem eius* vt habemus Sap. 8.

glorificat contubernium habens Dei; vnde iurè exclamat S. Hildeph. ſ. 1. de Aſſ. *O Sanctiſſima omnium fœminarum, quæ cum Deo tale, tantumq; contubernium habuit in terris?* Omnia, præcipua ſaltem Dei Matris obſequia, & materna officia erga Filium iam ex S. Auguſt. & Guarr. Abb. retulimus. Audiendus eſt etiam S. Bern. tom. 2. ſ. de B. V. cuius melliflua verba hæc ſunt. *Maria Virgo Sanctiſſima, quæ Saluatorem genuit, peperit, & aluit, quæ iugiter eius adhæſit lateri, quæ comes indiuidua nullo fere abfuit itinere, quæ intenta præ cæteris inuigilauit verbo & operi eius, ſola Saluatoris inſignia opera, melliflua prædicationis genera, inaudita contra mundum, & peccatum, & tartaream Zabulon diuinæ ſeueritatis acerrima eloquia, qui eis diu interfuit, ſpecialius vidit, ſecretius audiuit, citius agnouit, propenſius retinuit &c.* Omnia opera miſericordiæ a Matre Filio præſtita toto tempore diſſeminationis Euangelij, quo illi miniſtrauit, exequitur enucleatè pius B. V. panegyriſta Ricch. a S. Laur. l. 4. de Deip. *Optima Mater*, vt narrat autor ſerm. de Aſſump. omnia redigens in compendium *Filium de toto humano genere benemerentiſſima, qua potuit in eo redimendo, ratione iuuit.* Et certè cur Mater a Filij conuictu diuideretur, qui erat deſideratus cunctis gentibus, ſpecioſus forma præ filijs hominum, non Diuinitatis tantum pulchritudine, vt interpretantur S. Baſil. in Pſ. 44., & S. Cyrill. l. 5. in c. 53. Iſ. ſed vt explicant S. Io. Chryſoſt. hom. in Matth. S. Auguſt. & Caſſiodor. in illum Pſ. S. Ambroſ. l. 1. de Virg. S. Hieron. l. 1. in Matth. & S. Bern. ſ. 1. in feſto omnium Sanctorum, corpo-

corporis ſpecie, & morum ſuauitate, qui verba vitæ æternæ habebat, & cuius, vt legimus Sap. 8. *conuerſatio amaritudinem non habet, nec tædium conuictus*, ſed lætitiam & gaudium. In Chriſto Domino fuerunt omnes conditiones inquit S. Bernardin. t. 3. ſ. 2. de gloria nom. Mar. a. 1. c. 3. propter quas Mater amat Filium, & habuit eas in ſummo. Erat enim Dominus IESVS præ cæteris potentior, ſapientior, generoſior, formoſior, atque melior. Hinc non eſt mirum amorem IESV fuiſſe ſagittam electam Mariani cordis, vt piè, & eleganter exprimit S. Bern. ſ. 29. in cant. ad illa verba *Dicite dilecto quia amore langueo. Sagitta* ait *electa eſt amor Chriſti, quæ Mariæ animam non ſolum confixit, ſed etiam pertranſiuit, vt nullam in pectore virginali particulam amore vacuam relinqueret, ſed toto corde, tota anima, tota virtute diligeret, & eſſet gratia plena*. Similia habet Hugo de S. Vict. quem refert S. Th. opuſ. 8. & S. Anſelm. de excell. Virg. c. 4. vbi ait, *quod amorem, quem Mater, & Pater debeat filijs ſuis, hæc feliciſſima Matrum ſola filio ſuo debuit*. Nam vti in diuinis Deo Filius Matre, ita in humanis Patre caruit. *Dilectus meus mihi* vſurpare poterat cum Sponſa cæleſti cant. 1. & ego illi. Imo quia magnes eſt amoris amor, hanc pro ratione potiſſima reddit S.Bern. loc. iam alleg. amoris MARIÆ erga IESVM, nimirum ipſum IESV amorem erga MARIAM. *Quid mirum* inquit *ſi Maria præ omnibus diligit, quæ eſt præ omnibus dilecta?*

Vbi nam pro eo tempore frequentius habitarit?

III.

POST hæc legimus Io. 2. (ideſt poſt nuptias Canæ, & initium ſignorum) *deſcendit Capharnaum ipſe, & Mater eius, & Fratres eius, & diſcipuli eius, & ibi manſerunt non multis diebus; Parum illhic* inquit S. Io. Chryſ. *Matris gratia commoratur: iterum miracula aggreditur*. Hinc propterea Dei Matrem in Vrbe Capharnaum domum habuiſſe relicta Nazareth tempore promulgationis Euangelij putat Laurentius Maſellus in vita B. V. in proæm. l. 6. quia Chriſtus Dominus frequentiſſimè ibi commorabatur. Hoc non improbabile eſt, ſed illud certius, quod ait Metaphraſt. nimirum Sanctiſſimam Matrem perpetuò fuiſſe verſatam cum Filio, & ei ſemper adhæſiſſe. *Maria* ſuffragatur S. Bern. ſ. in ſig. mag. his verbis *Filium audiuit non modò turbis loquentem in parabolis, ſed & diſcipulis ſeorſum regni Dei Myſteria reuelantem. Vidit miracula facientem, vidit deinde in cruce pendentem, vidit expirantem, vidit reſurgentem, vidit & aſcendentem.*

An interfuerit manifeſtationi gloriæ in monte Thabor.

IV.

IN monte Thabor non interfuiſſe B. Virginem videtur certũ. At cur cũ diſcipulis illis priuilegio tam inſigni donatis, non fuit etiam vocata Mater? Finis transfigurationis fuit in Dei Filio ex D. Th. 3 p. q. 48. a. 1. excitare diſcipulos ſuos, adhuc rudes, & nouitios in ſtudio veræ perfectionis, & ex D. Leone ſ. de

transfig.

transfig. *vt de corde* (eius verba ſunt) *diſcipulorum, crucis ſcandalum tolleretur, nec conturbaret eorum fidem voluntaria humilitas paſſionis, quibus reuelata eſſet abſcondita excellentia Diuinitatis*. Similia habent Vener. Beda ab Angel. Doct. relatus, & S. Io. Damaſc. or. de transfig. Sed hæc in B. Virg. locum non habent, vt ſcitè philoſophatur Io. Bapt. Nouatus t. 1. c. 17. q. 8. vnde neque conueniens fuit vt ad videndam corporis Chriſti Domini, quod ipſa conceperat, & pepererat, gloriam adſciſceretur.

An interfuerit inſtitutioni Auguſtiſs Sacramenti, & Sacram Synaxim ſumpſerit.

V.

IN cænaculo cum Apoſtolis interfuiſſe Dei Matrem inſtitutioni Auguſtiſſimi Sacramenti ſingularis opinio eſt Ruperti Abb. l. 5. in cant. contra communem omnium aliorum. In eadem domo fuiſſe aſſerit Metaphr. or. de vita, & dorm. B. V. cui ſubſcribit Barradius t. 4. l. 1. c. 17. illique miſſam fuiſſe per Principem Apoſtolorum Sacram Euchariſtiam. Idem affirmat quoad primam partem S. Bonau. in vit. Ch. cum alijs Sanctis Matronis. *Aquieuit* inquit *Dominus, quod & ipſa in dicta domo facerent Paſcha*. Laurentius Maſellus in vit. Deip. neſcio vnde hauſerit putat, diuinum epulum opera Angeli alicuius illi miniſtratum fuiſſe, primamque omnium haſce cæleſtes lautitias delibaſſe. Decebat enim, vt ipſe ait, Dei Matrem, quæ Filij corpus de ſuo fecerat, idem in Euchariſtica menſa, in nectar, & ambroſiam conditum primam ante alios prægustare,

Piæ ſententiæ ſunt, ſed non audeo contro-uerſiam definire, in tam alto ſacrarum litterarum, & SS. Patrum ſilentio. Id quod ait Card. Viguerius chord. 7. c. 29. nullo modo placet, nimirum B. Virg. affuiſſe vltimæ cœnæ, nec ſolum ſumpſiſſe Sanctiſſimam Euchariſtiam, ſed ex ſacro calice bibiſſe. Certè Sacer Euangeliſta præſentes tantum deſcribit Chriſti Domini conuiuas in Euchariſtico conuiuio Sacerdotes initiatos, qui deinde iuſſi ſunt idem conuiuium vbique locorum celebrare, & eadem ſacra facere. Duo in hac materia videntur certa. Primum ex Niceph. l. 1. c. 18. & alijs, Hieroſolymis tunc B. V. fuiſſe: ſecundum ex Io. Gerſone tract. 9. in Magnif. ſaltem ſacram Synaxim ſpiritualiter ſumpſiſſe per viuam fidem, & ardentiſſimam charitatem.

An Sacramentum Euchariſtiæ magis inſtitutum fuerit pro B. V. quam pro omnibus alijs.

VI.

IVxta ea, quæ diximus de cumulo gratiæ, & gloriæ B. Virginis definienda hæc quæſtio eſt. Affirmatiuè reſpondet Io. Bapt. Nouatus tom. 1. de emin. Deip. c. 17. q. 10. probatque piè, & ingenioſè. Hoc eſt Sacramentum iuxta Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. c. 2. *in quo Deus diuitias ſui erga homines amoris veluti effudit*, per hoc enim Sacramentum vt docet S. Th. opuſ. 57. *mens omnium Spiritualium chariſmatum abundantia impinguatur.* Hac opulentia ſpirituali, quæ potiſſimum in gratia conſiſtit, ſupra omnes alios fuiſſe ditatam, & ſaginatam in Euchariſtico conuiuio Dei Matrem nemo dubitare debet.

An

An reſpectu eiuſdem habeat peculiarem excellentiam ipſum Sacramentum.

VII.

AD hanc quoque quæſtionem affirmatiuè reſpondet idem Io. Bapt. Nouatus t. 1. c. 17. q. 11. ex S.Bernardino Sen. tom. 1. ſ. 61. Ratio ipſius eſt, quia ſubſtantia illa B.Virginis, ex qua corpus Chriſti Domini compactum eſt, antequam aſſumeretur, & vniretur verbo habebat peculiarem excellentiam, hæc autem per vnionem hypoſtaticam non fuit ablata, ſed aucta: Ergo ineſt Euchariſtico Sacramento, quæ alioquin non ineſſet, ſi corpus Chriſti Domini fuiſſet creatum, vel ex alia præexiſtenti materia formatum. Suarez tom. 2. in 3. p. d. 2. ſ. 2. dicit facile credi poſſe illam carnis ſubſtantiam, quam Chriſtus Dominus ex B. Virgine aſſumpſit, nunquam aut dimiſſam fuiſſe, aut caloris actione continua reſolutam. Nec diſſenſit Vincentius Regius in dil. Euang. l. 1. c. 2. Idem apertè docent S. Auguſt. in Pſ. 98. & Pet. Bleſenſis tract. de Euchar. c. 1. Deinde ſententia S. Tho. eſt in 4. diſt 44, q. 1. a. 2. D. Bonau. in 2. diſt. 3. q. 1. aliorumque grauiſſimorum DD. eſt eam carnem, & materiam, quam in prima generatione aſſumunt homines ſiue reſoluatur continua actione caloris natiui, ſiue non reſoluatur, in reſurrectione eandem omnino reaſſumendam; vnde cum in Sacramento Euchariſtiæ ſit illa eadem caro, quam habuit Chriſtus Dominus rediuiuus, patet ineſſe eam ſubſtantiam, quam in ſua Conceptione a B. V. habuit. *Caro Chriſti* ait Theologorum Princeps Auguſt. ſ. de Aſſ.

c. 5. *quamuis gloria reſurrectionis fuerit magnificata, eadem tamen manſit, quæ ſuſcepta eſt.* Hinc maxima ſeges gloriæ eſt in B. V. ex hoc Sacramento, quod omnium Sacramentorum maximum adoratur, & ad quod, vt egregiè philoſophatur S. Bernar. Sen. t. 1. ſ. 61. alia omnia ordinantur; nam reuera, vt loquitur Auguſt. loc. cit. *Chriſtus de carne Mariæ carnem accepit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit.*

Quantum ex beneficio Sacramenti Euchariſtici MARIÆ Deiparæ debeamus.

VIII.

AVguſtiſſimum Sacramentum acceptum referre debemus B. V., ex qua corpus Chriſti formatum eſt, vt latè probat multis SS. Patrum teſtimonijs Spinellus in Th. Dei c. 8. *Hæc* ex D. Bern. ſ. 2. de nat. *eſt illa Euangelica mulier, quæ acceptum fermentum abſcondit in farina ſatis tribus, nimirum in triplici ſubſtantia, quam agnoſcunt* Theologorum Princeps S. Auguſt. l. 13. de Trin c. 12. & S. Tho. 3. p. q. 1. a. 1. *in Chriſto, nimirum Diuinitatis, animæ, & corporis*, cuius admirabilis vnio in vtero eius celebrata eſt, cum Deus homo factus id, *quod fuit permanſit, quod non erat aſſumpſit, non commixtionem paſſus, neque diuiſionem*. Illius virgineus vterus eſt ille ſacrorum cantic. c. 7. *aceruus tritici vallatus lilijs* ex D. Ambroſ. de inſtit. Virg. c. 14. Similia habet S. Hildeph. ſ. 1. de Aſſumpt. Hinc iure B. Virg. appellat S. Epiph. ſ. de laud. Deip. *verum ſimul Sacerdotem, & altare, quæ quidem menſam ferens dedit nobis cæleſtem panem Chriſtum*

ſtum in remiſſionem peccatorum, S. Bonau. in litan. *deliciarum Dei Dapiferam*, S. Io. Damaſc. or. 2. de dorm. *menſam animatam, ex qua*, vt explicat or. 1. *panis vitæ prodijt*, Methodius *omnis Sacrificij pinguedinem*. Et certè vt verbis vtar Mag. Leonis ſ. 8. de paſſ. *Omnes differentias legalium hoſtiarum vna Corporis, & Sanguinis Chriſti implet oblatio*. Immortales ergo debemus gratias B. V., & omnium euchariſticum gratiarum pro ſacroſanctis Euchariſtici Epuli lautitijs, illa enim fuit *nauis Inſtitoris*, Prouerb. 31. *de longe portans panem ſuum*, imò & noſtrum quotidianum ſuperſubſtantialem, panem Angelorum, panem cæli, qui de cælo deſcendit.

Dei Mater doloribus Filij ſemper condoluit, non ſolum tempore paſſionis, ſed toto vitæ tempore.

IX.

INterfuiſſe Dei Matrem Filio patienti cum ſummo, extremoque dolore dubitari non poteſt. An debuit cor tenerum Matris lapideſcere, dum ſciſſis petris ipſa ſaxorum corda, ac viſcera dura franguntur? Ineſſe Catholicis mentibus tam demens iudicium non ſinunt præter robuſtiſſima, & victorioſiſſima rerum momenta SS. Patres præſertim S. Greg. Nazianz. trag. de Ch. pati. S. Anſel. de compaſſ. Virg., S. Cyprian. de Nat. Ch., S. Io. Chryſ. hom. 18., S. Ephrem. in lam. Mar., S. Athan. in deſcr. Mar. & Io., S. Bern. de lament. Virg., S. Bonau. l. med. c. 79. & 80., S. Ambroſ. l. de inſ. Virg. c. 7., B. Laur. Iuſtin. de triumph. Ch. Ag., Ven. Beda in c. 2. Lucæ, S. Hildeph. ſ. 2. de Aſſ., S. Bernardinus Sen. opuſ. de lam.

Virg. alijque innumeri, omnes ſacrarum litterarum Interpretes ad illud Io. 19 *ſtabat iuxta crucem Ieſu Mater eius &c.* & ad 2. Luc. *ſuam ipſius animam &c.* omnes cum S. Th. DD. Scholaſtici, omnes Eccleſiaſtici Scriptores, S. Birgitta in ſuis reu. l. 1. & omnes pij Dominicæ Paſſionis Contemplatores.

At quandonam cæpit B. V. dolere? Ab ipſo initio conceptionis corporati Verbi, nam in eo alioquin beatiſſimo momento pium eſt credere prænunciatam illi fuiſſe paſſionem Filij, & mortem, clarius quam vlli Prophetæ. *Sapientiſſima* inquit Dyoniſ. Richelius lib. 3. de præcon. & dignit. Virg. c. 23. *& conſtantiſſima Virgo, quæ Filij ſui paſſionem, paſſioniſque modum clarè, & diſtinctè præcognouit magis, quam Dauid, Iſaias, Daniel, aut aliquis Prophetarum; in paſſione eius nullatenus dubitauit; & fideliſſima manſit.* Vnde antequam illi a S. Simeone intentaretur, ſenſit illius prophetici gladij animam tranſuerberantis inteſtina vulnera. Ita verò altè a beato ſene Mariano cordi ille gladius immerſus eſt, vt nunquam extrahi potuerit. Contemplabatur enim ſingulis momentis in omnibus factis, & verbis Filij Mater, extrema mala, quæ paſſurus erat, vt humanum genus redimeret. *Iſtum gladium* ait S. Ambroſ. *cor, & anima Virginis profundè immerſum habuit, quia Dei myſteria cæteris profundius penetrauit, & verba Dei de Ch. paſſ. ac cæteris operibus, ſemper in corde medullitus portauit, iuxta illud. Maria autem conſeruabat &c.* At nunquam ita cæleſtia vulnera Matri inflixit myſticus gladius, beatiſſimæ animæ pius carnifex, quam inſtante Filij morte in eius paſ-

ſione.

ſione. Habuiſſe Sanctiſs. Deip. reuelationem de primis Chriſti Dom. cruciatibus in horto Gethſemani putat Laur. Maſcellus in vi. B. V. c. 14. & cum eo iuxta diuinum placitum amarum calicem prægustaſſe. Obuiam captiuo, & catenato factum, dum per torrentem Cedron ab infami cohorte raptabatur ad domum Caiphæ, multi piè contemplantur. In domo Annæ interfuiſſe iniquo iudicio, & eius cor crudeliter percuſſum fuiſſe ab alapa, quam vnus Aſſiſtens miniſtrorum, (Malchus, vt multi autumant) ori diuino, in quod deſiderant Angeli conſpicere, impegit, S. Io. Chryſ. in 26. Matth. docet. Addit S. Bonau. in ſuis medit. & vi. Ch. fuiſſe in aula Pontificis ſimul cum Ioanne, & execrandas Petri execrationes, crudeles ſatellitum irriſiones, aliaque omnia inaudita, & inuiſa antea immanitatis argumenta audiuiſſe, & ſpectaſſe. Affuiſſe præſentem triplicis flagellationis lanienæ ſentiunt plures SS. Patres, & S. Birgitta teſtatur l. 1. reuel. c. 10. vti etiam baiulantem crucem ad Caluarium comitatam fuiſſe, vbi iuxta crucem ſtetit, in alia cruce, quæ eius cor cruciabat, configebatque, ſuſpenſa. Inter Filij cruciatus, largè lachrymantem Dei Matrem medullitus vulneratam, & amanter commorientem deſcribit fusè Metaph. apud Surium 15. Aug. A torrente Cedron vſque ad Caluarium fuiſſe amantiſſimam Matrem Filij patientis comitem, & illa loca Sanguinis diuini pretio nobilitata, ac ſtillis veluti ſtellata cæleſtibus, quantū inſignis modeſtia patiebatur peragraſſe, ac veluti circumcurſaſſe teſtis eſt Amed. Lauſan. hom. 5. de Deip. his verbis. *Currit*

poſt Ieſum non tantum in odore vnguentorum, ſed in multitudine dolorum. Illud maximè excruciabat ex Metaph. loc. cit. *quod impia turba, crudeleſque lictores eam id maximè exoptantem, ab acceſſu, & colloquio cum Filio patiente arcebant, ac propulſabant indignis modis. Illa tamen conſtantiſſima, nec procella perſequutionis,* vt ait Guarr. Abb. ſ. 4. de Aſſ. *nec horrore ſupplicij a conſectatu Filij potuit abſterreri.*

Hic Matris dolor inter Filij cruciatus fuit Simeonis gladius, ex SS. Patribus.

X.

HÆC eſt SS. Patrum ſententia; quibus ſacrorum Euangeliorum Interpretes conſentiunt ad c. 2. Luc. *Tuam ipſius animam* inquit Ven. Beda *pertranſibit gladius, ideſt dolor paſſionis dominicæ, quia non potuit videre eum crucifigi, ſine affectu materni doloris.* Eiuſdem alloquentis dolorum Reginam eſt tetraſtichon illud.

Cuius pium pertranſit
Enſis dolor ſpiritum,
Natum tuo de corpore,
Deum mori dum cerneres.

Conſonat huic Euthymius in idem c. 2. Luc. *Gladium ait nominauit dolorem acutiſſimum, maximeque diuidentem, qui penetrauit cor Matris Dei, dùm Filius eius cruci affixus eſt &c.* Similia habent S. Ambroſ. hic S. Anſelm. l. de excell. Virg. c. 5. Origen. quem refert Corderius in Cat. in c. 2. Luc. & alij. S. Bern. in ſ. de Ann. præcipuum huius gladij ictum lanceæ attribuit, qua exanime corpus Filij, & animatum Matris, vulnerato vtriuſque corde perfoſ-

ſum

ſum eſt. *Verè tuam* ſic B. V. alloquitur *o Beata Mater animam gladius pertranſiuit, quando crudelis lancea Filio iam mortuo latus aperuit*. Aliqui SS. Patres ad dentata ſcommata, quæ ore vipereo iaciebant irriſores Crucifixi Domini referunt iuxta illud Pſ. *Et gladius in labijs eorum*: alij ad alia. Ipſam loquentem vulneratam in corde Deiparam audiamus apud S. Ephrem in lam. Mar. his verbis. *O Simeon admirande en gladius, quo mihi prædixiſti cor meum traijciendum! Ecce gladius, ecce vulnus Filij, & Deus mi!*

Huius doloris menſura ferè immenſa, ſaltem incomparabilis.

XI.

IMmenſa ferè huius doloris menſura breui calamo explicari non poteſt. Ipſa confidenter clamat Thr. 1. *Attendite, & videte ſi eſt dolor, ſicut dolor meus*, vnde incomparabilem declarat. Ibidem a dolente Propheta immedicabile hoc vulnus cum amariſſimo Oceano doloris confertur, nec ſufficit. *Cui comparabo te, & conſolabor te Virgo Filia Sion? Magna eſt velut mare contritio tua? quis medebitur tibi?* Illa verba *magna eſt velut mare contritio tua* Chaldæus paraph. legit *magna eſt velut Gigas contritio tua*, quaſi omnes alij humani dolores pigmei ſint, qui ab hoc dolore gigante longe excedantur. Septuaginta Interpretes vertunt *magnificatum eſt poculum contritionis tuæ*. In vno nimirum paſſionis calice B. Virgo totum amariſſimum mare dolorum exhauſit. S. Io. Damaſc. dolores B. V. patientis iuxta Pſ. 17. fuiſſe *dolores parturien-*

tis

tis de f. Ort. c. 15. aſſerit. *Ipſa* inquit *ſuper naturam donorum dignè effecta dolores partus, quos effugit pariens, illos tempore paſſionis ſuſtinuit ex materna compaſſione viſcerum lacerum reparturiens*. Infantulum Deum in cumulo gaudiorum in præſepi peperit, ſed reparturijt in cruce in abyſſo dolorum. Inter hos dolores, vt parturientis, vt auctor eſt Rup. Abb. l. 13. in Euang. Dei Mater nos quoque peperit, & facta eſt noſtra Mater. *Mulier* inquit *cum parit triſtitiam habet, quia venit hora eius. Proinde, quia ibi dolores, vt parturientis in paſſione Vnigeniti, omnium Noſtrum ſalutem B. V. peperit, planè omnium Noſtrum Mater eſt*. Sed iſta quoque parturientis cum patiente comparatio deficit, & omnis alia. Vnde exclamandũ eſt cum D. Bern. hom. in Eu. *Stabat Mater &c. O dolores inexplicabiles! O ineffabilis reciprocatio ſancti amoris!*

Hinc B. V. apellatur Martyr a SS. Patribus, imò plusquam Martyr.

XII.

HVnc illi titulum attribuunt turmatim SS. Patres. Agmen ducat S. Bern. qui ſ. 4. in cæn. Dom. ad illa verba *Deus Deus meus vt quid dereliquiſti me?* hæc habet. *In iſto modico Domina mea, Mater tua Virgo incorrupta, Virgo intemerata, Virgo ante partum, Virgo poſt partum, Mater tua, imo martyr tua, martyr non ferro carnificis, ſed acerbo dolore cordis, quam amarè flebat; quam amarè dolebat!* Apellat commartyrem Chriſti ſingulari prærogatiua; quæ nulli alij martyrum conuenit Gullielmus in c. 3. cantic. *Martyres alij* ait *moriendo pro*

Chriſto;

Chriſto: hac commoriendo Chriſto martyr fuit; & commartyr Chriſti. Illorum corporale, Matris ſpirituale, & proinde præſtantius martyrium fuit. Plus eſt eſſe commartyrem Chriſti, quam martyrem Chriſti. Martyres ſuo, hoc eſt hominum ſanguine; ſed Maria Filij, hoc eſt Dei ſanguine intus rubebat. *Signum contradictionis* apellatur Deipara dolens in paſſione Filij à Timotheo Hieroſol. a S. Bern. *fortitudo martyrum, & decus martyrum* a S.Ephrem. Imò Richard. à S.Laur. l. 3. non minus vocari debere aſſerit *martyrem martyrum, quam Virginem Virginum.* Longum eſſet recenſere Patres, qui titulũ Martyris B.V. dolenti, & præſertim ſtanti iuxta crucem adſcribunt. Affirmarunt præter alios id expreſsè S. Anſelm. de excell. Virg. Guarric. Abb. ſ. 4. de Aſſ. & alij.

S. Bern. ſ. in ſig. Mag. etiam *pluſquam Martyrem* Deiparam dolentem vocat. Hoc titulo quoque celebratur a S. Hieron. ſiue Sophronio ſ. de Aſſ., & ratio redditur huius eminentioris martyrij his verbis. *Alij Sancti paſſi ſunt pro Chriſto in carne, ſed B. Virgo in ea parte paſſa eſt, qua immortalis habetur, & ideò vt verum fateor, quia ſpiritualiter, & atrocius paſſa eſt gladio paſſionis, pluſquam Martyr fuit.* Similia habet S. Hildephonſ. ſ. 2. de Aſſ. S. Birgit. l. 1. reuel. 57. hunc titulum excellentioris martyrij didicit a Chriſto Domino ſic Matrem alloquente. *Teſtimonium perhibeo tibi, quia in paſſione mea fuiſti pluſquam Martyr.*

An veri martyrij Aureola B. Virgini tribuenda ſit.

XIII.

Attribuit S. Th. in 4. diſt. 49. q. 5. a. 5. cui conſentiunt Ricch. de media Villa

in 3. diſt. 33. a. 4. Caniſ. l. 4. de Deip. c. 28. Nouarinus in vmbra virginea, Io. Carthag. t. 3. l. 12. hom. 6. Auctor Pomerij l. 3. a. 3. Buſtenſis in marial. p. 10. ſ. 1. de compaſſ., & alij multi. Ad hunc titulum in B. V. iuſtè decernendum, tuendumque duæ rationes adducuntur præter Patrum auctoritatem a Io. Carthag. loc. cit. Prima eſt, quia ad martyrium non requiritur actualis mors in odium fidei, ſed ſufficit, quod applicetur cauſa ſuapte natura inferens mortem, vt patet in S. Io. Euangeliſta, quem Eccleſia Catholica tanquam Martyrem veneratur, & tamen in feruenti dolio nihil paſſus eſt, imò vt refert ex Tertulliano l. de præſc. D. Hieron. magis purus, & vegetus emerſit. At B. Virgo iuxta crucem non ſolum confitendo ſe MATREM IESV crucifixi expoſuit crudeliſſimæ morti, ſed lethalibus doloribus cruciata eſt, vnde illis inſtantibus ipſa vita miraculum erat. Efficax vis ad inferendam mortem in dolore Mariano non melius exprimi poteſt, quam verbis S. Anſel. l. de excell. Virg. c. 5. cum etiam dicat omniũ Martyrum læthalia tormenta longè ſuperaſſe. *Quidquid enim crudelitatis* inquit dolentem Deiparam alloquens, *inflictum eſt corporibus Martyrum leue fuit, aut potius nihil comparatione tuæ paſſionis, quæ nimirum ſua immenſitate transfixit cuncta penetralia tua, tuique benignisſimi cordis intima. Et vtique pia Domina non crediderim te potuiſſe vllo pacto ſtimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, ſuſtinere, niſi ipſe Spiritus vitæ, Spiritus conſolationis, Spiritus ſcilicet dulciſſimi Filij tui, pro quo moriente conquerebaris, tantopere torquebaris, te*

con-

confortaret, te conſolaretur, te intus doceret non eſſe mortem eum abſumentem, ſed magis triumphum omnia ei ſubijcientem, quod in ipſo fieri coram moribundo videbas. Viuebat moriens inquit S. Bernardinus Sen. opuſc. de lament. Virg., *moriebatur viuens, nec mori poterat, quæ viuens mortua erat*. Imò ſubiungit quod *tantus fuit dolor* (eius verba ſunt) *vt ſi in omnes creaturas, quæ pati poſſunt diuideretur, omnes ſubitò interirent*. Sed hoc fuit fortaſſe cum aliqua pia emphaſi dictum. Secunda ratio ad tuendum MARIÆ Deiparæ martyrium eſt, quam affert S. Th. in 4. &c. Chriſtus Dominus verè, & propriè fuit Martyr, imò Martyrum Rex, vti Rex dolorum; nam propter fidei veritatem docens ſe verum Dei Filium eſſe, occiſus eſt; Sanctiſſima autem Mater eius tum propter ſummam cum Filio coniunctionem, tum quia cum ipſo ſtabat iuxta crucem conſtãter perſeuerans in teſtimonio publico fidei, & amoris ſui, cum ipſo patiebatur, læthalis doloris vulnere multiplici medullitùs confoſſa, & conſequenter Martyr cum ipſo effecta eſt. Hoc martyrium MARIÆ, MARTYRIVM CORDIS vocat ſapientiſſimus Idiota cap. 6. Neque obſtat, quod impij crucifixores non intenderent Matri læthalem dolorem inferre, propter Filium, efficacem de ſe cauſam mortis, nam Sancti Innocentes verè Martyres ſunt, & tamen barbari milites, & ipſe Herodes Tyrannus intendebant inter illos Chriſtum interficere, & non propter Chriſtum illos. Si hæc duplex via tuendi martyrij in B. Virgine non placet, poteſt dici cum Mendozza in virid. l. 2. probl. 7. gloriam illam acci-

accidentalem, quæ Aureola Martyrij dicitur fuiſſe datam B. Virgini non ex opere operantis, ſed ex opere operato. Inter Doctores Mariano martyrio fauentes, ibi referuntur S. Hieron. ſ. 1. de Aſſ., S. Bern. ſ. in ſig. mag., S. Ephrem or. ad Virg. B. Laur. Iuſtian. l. de trium. Ch. Ag. c. 21., S. Ambroſ. & Ven. Beda in illud Luc. 2. *Tuam ipſius animam &c.* Iſidorus de vita SS. c. 68., S. Io. Damaſc. l. 4. c. 15. S. Antonin. 4. p. t. 15. c. 41. Ludolphus de vi. Ch. c. 64. Viguerius c. 14. §. 3. Sabellicus l. 2. c. 4. & 9. Beaux in harmon. Euang. & alij, quos ſequitur, & citat Henriquez l. vlt. de fine hom. c. 10. Accedunt reuelationes S. Birgittæ l. 1. c. 10. ſupra etiam c. 6. Mater teſtatur ſe *paſſam in corde, quod Filius patiebatur in corpore,* cum Filium in corde haberet, tanquam dimidium cordis ſui. Hinc veriſſimum eſt dictum Amedei Lauſan. hom. 5. de Deip. quod *eoſdem cruciatus ille carne, illa corde paſſa eſt.* & aliud B. Laur. Iuſtin. l. de tri. Ch. Ag. vbi cor MARIÆ *clariſſimum paſſionis ſpeculum* vocat, quia illi cruciatus, qui ſpectabantur in corpore Filij, exhibebantur etiam in corde Matris. Imo quodamodò illam externam crucem paſſa eſt Mater in Caluario, in qua ſuſpenſus eſt Filius ex Arnol. Abb. cuius hæc verba ſunt. *In tabernaculo illo* (loquitur de cruce) *duo videres altaria, aliud in pectore Mariæ, aliud in corpore Chriſti. Chriſtus carnem: Maria immolabat animam.*

An in omnibus Filij doloribus Mater doluerit?

XIV.

AFfirmat hoc ipſa B. Virgo S. Birgittæ l. 1. reuelat. c. 6. & concludit. *Audacter*

dico

dico quod dolor eius, erat dolor meus, quia cor eius erat cor meum. Idem apertè teſtantur B. Laur. Iuſtin. l. de tri. Ch. Ag. c. 21. S. Bern. ſ. de paſſ. D. Hieron. ad illa verba. *Stabat autem* S. Bonau. in ſtim. am. c. 4. Arnold. Carnot. tract. de Virg. laud. Rup. Abb. in cant. c. 2. & alij. Et certè ſi Paulus Apoſtolus dicere potuit ad Gal. 2. *Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Chriſtus*. Quid de Matre, quæ ſummo amore diuinum Filium diligebat, dicendum eſt? Adiungamus Magiſtro diſcipulum. *Eſt autem* inquit Dyoniſius Areopagita theologorum Princeps, & magnus ab ipſo Paulo artis Deum amandi Magiſter, *mentis exceſſum, extaſimque faciens diuinus amor, amatores ſui iuris eſſe non ſinens, ſed in ea, quæ amant penitus transferens*. Huic conſonat D. Auguſt. t. 9. tract. 2. in epiſt. Io. *Talis eſt quiſque, qualis eius dilectio eſt. Terram diligis? terra es. Deum diligis? quid dicam? Deus eris*. Quomodo hoc fiat explicat Mag. Albert. l. de adhærendo Deo. c. 12.

An Matris dolor, Filij dolores auxerit?

XV.

DE hoc vix dubitari poteſt maximo incremento dolorum Filij ex doloribus Matris. Ipſa B. V. S. Birgittæ l. 1. reuel. c. 6. teſtatur his verbis. *Cum ipſe me cerneret dolore confectam in tantum amaricabatur de dolore meo, quod omnis dolor vulnerum ſuorum quaſi ſopitus erat præ dolore meo, quem in me videbat*. Idem apertiſſimis teſtimonijs affirmant SS. Patres, præſertim S. Bern. hom. ſtabat &c. B. Laur. Iuſtinian. l. de tr. Ch. Ag. c. 21. S. Cy-

prian. ſ. de paſſ. Dom. S. Gregor. Nyſſ. ad illa verba. Aſcendam in palmam &c. Arnold. Carnot. relatus in biblioth. PP. t. 1. tract. de laud. Virg. & alij.

An fuerit ſuapte natura lathalis.

XVI.

IAM ſupra probauimus hoc ex S. Anſelmo, & alijs, atque ex ipſo Martyrij titulo. Addo nunc haberi hoc reuelatum S. Birgittæ in ſerm. Angel. c. 17. & 18. vbi concluditur his verbis. *Quis in hoc aliud cogitare poterit, niſi quod de ſpeciali Dei omnipotentis dono contra omnes corporales vires ſuas ipſa vitam retinuit?* Eadem habent præter S. Anſelm. rel. S. Bernardinus Sen. t. 1. ſ. 61. a. 3. Amedeus Lauſan. hom. 5. & alij. Vnde & Mater poterat dicere cum Filio *triſtis eſt anima mea vſque ad mortem;* & ipſius vita tunc miraculosè à Deo conſeruabatur.

An extiterit non ſolum in appetitu rationali, verum etiam in ſenſitiuo.

XVII.

AFfirmant hoc doctiſſimi, & pijſſimi Patres Deiparæ Sanctiſſimæ cultores, nec audeo refragari, S. Anſel. l. de excell. Virg. c. 5. S. Bern. ſ. de paſſ. & S. Bonau. in ſtim. am. c. 4. qui de planctu B. V. ſic concludit. *O mira res! O ſtupendum prodigium! Tota quippe es in vulneribus Ieſu Chriſti, & totus Ieſus Chriſtus crucifixus eſt in intimis viſceribus cordis tui.* Et certè appetitum ſenſitiuum non conſentire appetitui rationali in hoc extremo dolore, operando præſertim dependenter ab opera-

tionibus

tionibus ſenſuum externorum, & imaginatio-nis, fuiſſet miraculum, quod ſine fundamento adſtruendum non eſt. Vnde dolores Mariani iuxta doctrinam Ariſtotelis 3. de An. t. 29. & S. Th. 1. 2. q. 92. a. 3. ad 3. contra Scotum in 3. d. 15. q. vn. fuere actus ab vtroque appetitu efficienter eliciti. Non nego tamen ſalua integritate naturæ humanæ, & ſtatus Viatoris non potuiſſe Deip. Sanctiſſimæ voluntatem ita ſenſitiuo appetitui imperare, vt ad eius motum moueretur. Patet ex ſtatu innocentiæ, in quo, vt docet Suarez l. 3. de opere ſex dierum c. 12. inter alios effectus iuſtitiæ originalis enumeratur perfecta ſubiectio appetitus ſenſitiui appetitiui rationali. An autem hoc imperium voluntatis exercuerit B. Virgo, definire non audeo; præſertim cum operata eſt non per ſcientiam infuſam, ſed omnino dependenter à phantaſmatibus, & ſenſibus externis. Hoc priuilegium probabiliter fuiſſe in Dei Matre defendit Io. Bapt. Nouatus t. 1. c. 18. 9 8. & probat teſtimonijs And. Cret. hom. 2. de Aſſ. Io. Gerſonis in magnif. & aliorum, firmatque aliquibus rationibus, quæ omnia legi poſſunt apud ipſum.

Eius fontes.

XVIII.

ARgumenta doloris MARIÆ Deiparæ in paſſione Dominica fuere innumera. Ad ſex fontes reuocat Io. Carthag. t. 3. l. 11. hom. 3. Sed potiſſima cos doloris fuit amor. De hoc tenerrimè, ac pijſſimè SS. Patres, ac ſacri Doct. loquuntur. Amed. Lauſan. hom. 5. ſic amorem totum fere fomentum doloris expli-

cat.

cat. *Quæ enim Mater dilexit Filium ſuum, vt iſta? Non enim fortuito concepit vt cætera mulieres, ſed vnicus Patris pro electione, & gratuita bonitate Matris viſceribus influxit. Hoc eſt, vnde magis diligebat. Neque vero, vt cæteri offenſam in vita ſua Matri retulit, ſed gratiæ grauitatem infudit, dicente de eo ſcriptura. Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius.* Item addit alia. *Speciosus forma præ Filijs hominum: diffuſa eſt gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Hoc eſt quoque, vnde magis diligebat. Eundem quoque habuit Deum, quem, & Filium, quia homo natus eſt in ea; & ipſe fundauit eam Altiſſimus, & hoc eſt vnde magis incomparabiliter diligebat. Sola enim a ſeculo meruit habere eundem Filium, & Deum. Ergo abyſſo abyſſum inuocante duæ dilectiones in vnam conuenerant, & ex duobus amoribus factus eſt amor vnus, cum Virgo Mater Filio Diuinitatis amorem impenderet, & in Deo amorem nato exhiberet. Quo igitur magis diligebat plus doluit, & amoris magnitudo attulit fomenta paſſionis.* Hæc ex Amedeo Lanſan. Nec minus luculentè loquuntur Mellifluus Doctor de lam. B. V. & Seraphicus de planctu eiuſdem. *In tantum* inquit Bonau. in 1. diſt. 46. q. vlt. *Virgo compaſſa eſt, vt ſi fieri potuiſſet, omnia tormenta, quæ Filius pertulit, ipſa multò libentius ſuſtinuiſſet.* Et in off. de compaſſ. *Nullus dolor amarior, quia nulla proles charior.* Tantus fuit amor, & ad menſuram amoris dolor in Dei Matre, vt ipſa ſola totum mundum in morte ſui Auctoris ingratum, gratiſſima compenſarit. Vnde Vtinus l. 4. c. 15. hæc habuit. *Cum ipſa eſſet Aduocata Mundi tantum dolorem, ſpi-*

ritus

ritus Sanctus ſuis infudit viſceribus, quantùs ſufficiebat omnium electorum Genitrici, ad excuſandam ingratitudinem Mundi, quia ſic dura morte de ſui fabrica ſuum expellebat Auctorem; qui ad ipſos eruendos de faucibus mortis, de ſinu Patris aduenerat, ſeruilem aſſumendo naturam. Ipſa impotentia ad leuandos Filij dolores, Matris dolorem amplificabat, vt notat S. Anſelm. de compaſſ. Virg., deſcribitque his verbis: *Quis exiſtimare poteſt quanta triſtitia, mærore, & dolore vulnerabatur cor Mariæ ſuper vnici, & naturalis Filij paſſione, quem tam caſtè concepit, tam glorioſè peperit, tam dulciter aluit? Vidit eum ligatum, & ſoluere non potuit: vidit corpus vulneratum, & vulnus ligare non valuit: vidit ſanguinem in faciem fluere, & abſtergere nequiuit &c.*

An Angelus IESV conſolator in horto Gethſemani MARIAM quoque conſolatus fuerit.

XIX.

Aſſerit hoc Io. Gerſon de paſſione Dom. in expoſitione tex. 2. Imò addit in fine hunc fuiſſe Gabrielem Incarnat. Diuini Verbi legatum. Demum motiua conſolationis affert, quæ Angelus probabiliter adduxit in hunc modum. *Apparet mihi* ait *abſque præiudicio credi poſſe te ipſum Gabrielem viſitaſſe dicendo: Ne timeas Maria! & incepiſſe recenſere fructum ex hac paſſione proceſſurum, gloriam, & gaudium, quod poſt Ieſu Chriſti reſurrectionem eſſet viſura. Nec id dixerim Chariſſimi tanquam Maria totius myſterij fuerit ignara, quod melius callebat ipſo Angelo, ob eam, quam habuerat experientiam; ſed quoniam ita accidit, quod Amicorum*

colloquium in qualibet aduerſitate eſt ſolatium; tametſi nil noui narretur, aut prius ſcitum ſit. Imò ſola præſentia delectabilis eſt. Hinc patet quomodo defendatur Angelica confortatio reſpectu Chriſti Domini, in quo erant theſauri ſapientiæ paternæ. Alijs tamen modis Angeli confortationem defendunt S. Tho. 3. p. q. 12. a. 4. S. Cyrill. Alex. epiſt. 9. S. Io. Damaſc. l. 3. de fid. c. 20. S. Bern. ſ. 1. de S. Andrea, S. Hieron. dial. 2. contra Pelag. S. Io. Chryſoſ. t. 5. hom. de Trinit. & copioſiſſimè S. Epiphan. hær. 70. cui adhæret Theophilac. in c. 22. Lucæ. Aliqui theologi in poſteriori naturæ ad Angelicæ confortationis notitiam conſtituunt in Chriſto Domino ſcientiam beatam, & infuſam, & ſic ſcitè, & ſine vlla implicantia explicant, quomodo IESVS alioquin omnia ſciens, & nihil ignorans edoceri potuerit ab Angelo de ijs, quæ ad eius conſolationem faciebant.

An immixta fuerint doloribus aliqua gaudia? XX.

HAbemus teſtimonium de his ab ipſa B. Virgine in reuel. S. Birgittæ l. 1. c. 10. Suffragantur Io. Gerſon in cantic. t. 2. Abulens. in c. 9. Deuter. q. 4. & alij. Martinus Delrius MARIAM dolentem lilio inter ſpinas comparat, ad illa verba cantic. *lilium inter ſpinas &c.* Poterat ergo iure dicere B. Virgo propter dolores ſuos. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur*, & propter gaudia *Botrus Cypri dilectus meus mihi.* Neque hæc miſcella gaudij, & doloris in eadem voluntate important implicantiam,

vt

vt docent Theologi Doctores communiter, cum de Chriſto Domino loquuntur, qui *propoſito ſibi gaudeo ſuſtinuit crucem*, ſi præſertim gaudij, & doloris diuerſa obiecta ſint. De multiplici gaudiorum motiuo piè, eruditèque philoſophatur Io. Bapt. Nouatus t. 1. c. 18. q. 21. Et certè inter alia motiua an non futura exaltatio nominis IESV magna gaudiorum ſeges erat iuxta illud Apoſt. ad Philipp. 2. *Factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis, propterquod & Deus exaltauit illum: & dedit illi nomen ſuper omne nomen &c.* Hæc exaltatio, vt docet Angel. Doctor 3. p. q. 49. a. 6. præter nominis celebritatem, reſurrectionem glorioſam, admirabilem in cælum aſcenſionem, conſeſſum paternæ dexteræ, & iudiciariam poteſtatem complectitur. *Erat* itaque, vt commentatur Rup. Abb. in 1. cantic. *dilectus Mariæ Ieſus & faſciculus myrrha quia moriturus, & Botrus Cypri, quia reſurrecturus*. Egregiè quoque de gaudijs dolentis Matris inter dolores Filij diſſerit Io. Gerſon in cantic. t. 3.

An imminuti fuerint a gaudijs dolores, & an illorum exceſſus fuerit, an iſtorum.

XXI.

CIrca primam quæſtionem affirmat imminutos fuiſſe a gaudijs dolores S. Anſelm. de excell. B. V. c. 5. Subſcribit Suarez t. 2. in 3. p. diſp. 41. ſ. 2. Negare videntur S. Bonau. & S. Bern. ex modo, quo de Deiparæ doloribus loquuntur. Primus de compaſſ. B. M. Virg. lect. 2. hæc habet. *Dum videret ſupplicia prolis exquiſita, torquetur, & anguſtia Mater infi-*

nita. Secundus de lament. Virg. Mar. ſic ait: *In mente eius creuerunt immenſi dolores.* Cenſeo vtranque ſententiam poſſe conciliari, ſi dicamus ſemper quidem continuatam fuiſſe paſſionem B. Virg., neque vnquam de expenſione motiuorum, quæ dolorem excitabant, & de ſenſu doloris remiſſum fuiſſe, minorem tamen dolorem fuiſſe cum illa gaudiorum miſcella, quam ſi ſolitarius omnino fuiſſet; nam gaudium ſimul cum dolore videtur eſſe quoddam temperamentum doloris.

Circa ſecundam quæſtionem, ſi expendamus argumenta dolorem in B. Virgine, & gaudium excitantia, videtur fuiſſe maius lætitiæ, quam triſtitiæ excitamentum. Ratio eſt, quia plus amabat B. Virgo reparationem humani generis ſimul, & diuini honoris, quam vitam corporalẽ Chriſti Domini, præſertim poſt tres dies triumphata morte, tartaroque debellato ad vitam immortalem in corpore glorioſo reſurrecturi, vt cælum reſeraret, intraretque Triumphator cum exercitu laureato SS. Patrum in cæleſte capitolium, vbi ad dexteram Patris in excelſo ſolio vtrique mundo imperaturus erat Rex Regum, & Dominus Dominantium. Cum his tamen reijcienda eſt Bullingheri, quem refert Io. Carthag. t. 3. l. 12. hom., & aliorum Nouatorum inſania oblatrantium in dolorem Marianum, quaſi commentitium figmentum ſit, vt ipſi aiunt, Monachorum, & argumentum vociferationis concionatoriæ, & e contra fingentium in Dei Matre ſtoicam indolentiã, & ſtupidam apathiam ad Filij cruciatus. Audierunt quid turmatim dixerint SS. Patres, ſtupidi ipſi, ſtuppei, ac

prorſus ſaxei; ſed alia maiora etiam audient, dum de ſtatione Mariæ iuxta crucem loquuntur. Interim Auguſtiſſimam Dei Matrem vulneribus Filij vulneratam pijs verbis Seraph. Bonauent. in ſtim. de planctu Virg c. 4. & multò magis pijſſimo affectu alloquamur.

Tu vulnerata es Chriſti Mater: vulnera & ſeruum ſine vulneribus miſerum, & nil aliud præter vulnera poſtulantem.
Non peto cælum, non terram, non lunam, non ſidera, ſed vulnera &c.



EODEM GLADIO doloris perfoſſa Iuxta Crucem IESV MARIA ſtat in Caluario.

EPIGRAPHE.

ELOG. XXV.

Egredimini Filiæ Sion, & videte Regem veſtrum in diademate, quo coronauit eum Mater ſua. Cant. 3.

Stabat autem iuxta Crucem Ieſu Mater eius &c. Io. 19.

Intuere cælũ, terræ Argus, oculis, quibus potes
MARIAM ſtantem.
Fallor, niſi tu quoque ſteteris
admiratione ſuſpenſum.
Spirantem ſtatuam fortitudinis videbis,
architectura amoris, ſcalpro doloris exculptã.
At ſignum magnum
coloſſi potius meretur nomen, quam ſtatuæ.
Inſtrumenta ſupplicij malleus, & claui
inſtruxere famulantem amori ſtatuariam,
pro Phidia fidem.
Non eſt nouum mulierem in ſtatuam verti;
miraculum tamen eſt hæc metamorphoſis,
non piaculum;
nec in liquabilem ſalem inſtabilis fæmina,
ſed inſolidum adamantem
conſtans vertitur Heroina.
Grande prodigium eſt
ſtare Matrem pendente Filio;

cum ſolum pondus amoris anima ſẽtiat;
& ſphæra illius pro centro ſit.
Vera metamorphoſis eſt
amantem in adamantem conuerti.
In cruciatibus adamas Deum mollites;
niſi adamas fias.
Alijs fugientibus ignaua defectione,
ſola Empyrei Amazon tenuit ſtationẽ crucis:
Et tamen in Caluario omnes habere deberent
confixum Cruci Statorem Deum.
Ijdem claui trabales Filium cruci,
cum Matre figebant.
Crux non fert niſi ſtantes,
etiam cum fertur.
Amabilis hæc torpedo ſiſtit, quem tangit,
refectum beneficio, non veneficio infectum:
Iure MARIA ſtabat,
quæ ſolam mortalium nunquam cecidit.
Eodem tempore ſolſtitium æſtiuum
amoris Filius in cruce:
Hybernum doloris iuxta crucem
Mater exhibebat.
Aſſyrium Giganteum coloſſum
pigmeus lapillus fregit:
noſtrũ tota tellus tremens inclinare nõ potuit:
Non argillaceos nimirum pedes, ſed æneos,
ſuis coloſſis patientia ſubſtituit.
Amor Gymnoſophiſta cæleſtis irretorto oculo
non orientem tantum Solem contemplatur
ſed occidentem.
Superantur hiſtorijs fabulæ grandiores.
Diuina Mater,
non auerſo vultu, ſed aduerſo
Cruciarij Filij Sacrificium ſpectat.
Maius aliquid in MARIA Iudea miratur,
quam

quam quod in Agamemnone Græcia finxit?
Facilius fuit orbem terrarum mouere,
quam MARIAM,
vt inde etiam ſcias eſſe orbe maiorem.
Sapiens peregrina tenebras videns, ſtetit;
vbi eam nox occupauit,
Inter ſupplicem latronẽ,& blaſphemũ media,
quis ſcit an Mariana Charitas dubia ſteterit,
priusne ſupplicem iuuaret,
an blaſphemum corrigeret?
Sed verius dicam cuſtodem Crucis,
vt vigil cuſtodiã illam diurnæ noctis ſeruaret
militari more
ab hora ſexta vſque ad horam nonam ſtetiſſe.
Dum Paradiſus a latrone,
latro a IESV,
etiam MARIA innocenti furto
in extaſim doloris rapitur ab amore.
Innumerabilium cruciatuum pondere preſſa
triumphalis palma erectior ſtetit.
Inſulam dolorum MARIAM dixiſſes,
quæ in amaro lachrymarum Oceano
alluitur, nec mouetur.
Cũ Authore patiente mutatur conditio naturę:
infracta fæmina
eodem lapides dolore franguntur,
& erepto e cælo Sole
nouum ſtatuitur in terris
in vno ſidere firmamentum,
In NON PLVS VLTRA
diuini amoris incidens,
Cũ vltra MARIA tendere nõ poſſet, STABAT.
Stabat, quia non pendere a Filio non poterat
etiam moriente,
qui ſuſtentantem ſe olim Matrem

repignerato officio ſuſtentat amanter.
Ita ante Crucem
amor MARIAM ſuſpēdit in anathema doloris.
Ita fluctuanti vndatim terrarum orbi
Mariana conſtantia
anchoraria Echineis eſſe potuit.
Niſi mireris hanc viuentem Statuam,
Quiſquis es, tu ipſe Statua es.
Si placet huic pietatis monumento
EPIGRAPHEN hanc inſcribe.
Statuam hanc doloris,
Amor ſuis iaculis excidebat.

O veneranda, & plena deuotionis, & lachrymarum memoria! Recordari qualiter ſancta illa anima glorioſè paſſa ſit, quaſque pertulerit de Chriſti morte anguſtias! Pallidus vultus Ieſu, exanguem reddidit vultum Genitricis. Ille carne, illa corde paſſa eſt. B. Amedeus Lauſan. hom. 5. de Deip.

Stabat iuxta Crucem Ieſu Maria Mater eius. Planè Mater, quæ nec terrore mortis Filium deſerebat. Quomodo enim morte terreri poterat, cuius Charitas fortis, vt mors, imò fortior, quam mors erat? Planè iuxta Crucem Ieſu ſtabat, cuius mentem ſimul dolor Crucis crucifigebat, ſuamque ipſius animam tam multiplex pertranſibat gladius, quando confoſſum corpus Filij cernebat vulneribus. Guarric. Abb. ſ. 4. de Aſſumpt.

De ſtatione iuxta crucem.

CAP. XXV.

INdigitatus IESVS a Romano Prę-ſide hominis nomine ECCE HOMO vix fidem inuenit, cum viuũ cadauer videri poſſet, quod iam ſuum præceſſerat funus, maiori corporis parte ſublata. In tam tragici doloris Perſona agnitionem ferè non admittebat. Mater nomenclatore amore Filium potius agnoſcit, quam hominem. Inde inter Principum, plebiſque tumultus amiſſum, clamores populares ſequens, & ſparſi cruoris indices notas, iterum recuperat, ſed amabili metamorphoſi e Rege gloriæ, baiulum crucis. Imperator diuinus vtriuſque fortitudinis idea agentis, & patientis, militarem ſarcinam ferendo pugnat. Imò nouum ritum triumphi inuehit, dum non vehitur inter trophæa, ſed vehit, ſe ipſum ſpolians in victoria, non hoſtem. Verum læthalis machina, antequam perimat, premit. Immanis illa ponderis, & Filij humeros, & Matris cor grauat, Filio apertis iterum venis in ſanguinem, Matre liquatis oculis in lachrymas diffluente. Impar itaque defectis viribus ferendo oneri trabalis crucis Cruciarius Deus, cordi leuem, tergo grauiſſimam ſarcinã amanter amplectens, ne ſuccumbat identidem procumbit. Miraculum fuit illum ſub breui ligno toto corpore fatiſcere, qui tribus appendens digitis, ne quidem tota manu dignatur ferre ponderoſiſſimam terræ molem, & *omnia*

portat Verbo virtutis ſua. Sed maius miraculum erit, cum illa Crux te feret mi IESV, quam tu ferre non potes, & beneficium crudele referet latori ſuo. Idem tibi eſt grande onus, & oneris merces. Inuitatus ad Crucem ferendam Simon Cyreneus ſuccedit inuitus. De Villa veniens ſe omnis vrbanitatis probauit expertem, cum ſarcinam ruſticus detrectauit, quam omnes Cæli Ciues ambiebant. Sed condonandum eſt Iudæo, quando in Chriſtianis etiam vrbibus regnat hæc pagana ruſticitas. Omnes ferè latronum more meremur crucem, & fugimus. Non eſt humanum, ſed diuinum propoſito ſibi gaudio. Crucem ferre. Imperio coactus, ne quidem ſuum nomen, quod obedientiam ſuadebat, impleuit. Infelix neſciebat cui Hercules ſufficiebatur Atlanti. Et certè Crux Chriſti Chriſtianos Hercules poſcit purgato monſtris terrarum orbe per magnorum laborum ſtellantem Zodiacum Cælum iure ſuo petentes. Nec verò fuit oneri, ſed honori potuiſſe dici in ferenda Cruce Dei Vicarium. Nemo niſi probata nobilitate huius magnæ Crucis, ad aulam cæleſtem admittitur.

Occurrens interim Filio Mater iterum in amplexus ruit. Expapillatis bracchijs geminauit crucem, vnde hæſit ante Caluarium fixus cruci in amplexibus Matris. Sed quia ſibi deſponſauerat non Matrem crucem, ſed carnificem in die deſponſationis ſuæ, eius amore, Matris etiam abrupit amplexus. Alloqui Filium Genitrix voluit, ſed reflantia ſuſpiria ingentem in pectore fluctuanti procellam excitarunt, & voces naufragium fecerunt in

lachrymis.

lachrymis. Et certè ſilere debuit VERBI tacentis Mater. Auulſus a Matre Filius dolores ſuos; quando augere non poteſt, multiplicat, & in Veronicæ Sudario ſui vultus gemellam picturam parit, ac ne vnquam, ſilentio pereat tacitè loquentem ſuorum dolorum hiſtoriam exprimit. Agnoſcit vrbaniſſima Berenice in ſudore Dei Crucem baiulantis pretium, quod ruſticus Simon non ſentit in ſarcina. Hinc capillata ſtellanti Berenice illuſtrior fuit, cum ſtillas pro ſtellis in Sudario explicuit, cui baccatum aſtris firmamentum poſſet inuidere. Palladium hoc non vrbis vnius, ſed totius orbis tutelę, ſumma ſapientia vera Pallas e diuino capite; nimirum e paterna ſcientia nata, reliquit. VERBI diuini antequam in Cruce expungeretur victurũ in terris exemplar tranſcribitur, vt illius vultus beatitate ſpectatores homines fruerentur, quem Angeli deſiderant conſpicere. Speculum habetis mortales in vultu, ad quod veſtros oculos, totamque vitam componatis. Hoc viatorium ſudarium rudimentum Syndonis ſepulchralis fuit. Neque enim difficile fuit apellæo amori poſt delineatam diuini vultus imaginẽ, totius corporis tabulam dare. Enim verò, vt præ oculis omniũ extaret immortale diuinę mortis ſimulacrum, illud moriens Cruciarius Deus in ſudario, mortuus in Syndone deſcripſit coloribus ſuis, ſudore nimirum madens, & ſanguine. At ſapiens Heroina vultum ſimul depinxit in tela, & totum Chriſtum delineauit in corde. Has tabulas ſummus artifex vnicè amat. Ita has pretioſas ſudoris diuini margaritas, & nobiles ſanguinis pyropos in linteo colligens pruden-

tiſſima Matrona cæteras, quæ congregaue-runt diuitias, ſupergreſſa eſt vniuerſas. Alias mulieres,quę ante mortem pręficę anticipatis inferijs lugebant, iuſſit in tanta materia lætitiæ ſuæ, lachrymis abſtinere. Inferens mala, nō ferens lugendus eſt. Noluit hanc iniuriam irrogari doloribus ſuis, qui tot erant gaudia parituri. Ipſe luctuoſæ pompæ apparatus videbatur potius triumphi ſpeciem referre, quam ſupplicij. Inſcriptæ erant tabulis regiæ notæ, & Regis Regum titulus glorioſiſſimus. Ipſe cruciarius triumphator totus ſanguine ſtagnans,non prouinciarum modo, ſed mundi totius pretium explicabat. Non deerant captiui innumeri in libertatem vindicandi redemptione liberali: non libera ſolemnia militum probra, ac triumphalia, inconditum veluti in omnium rerū perturbatione, pęana, tota natura decantante. Obſtupeſcite mortales, dum ſpectatrices de cælo Angelorum Myriades amarè flent, in tanti prodigij admiratione ſuſpenſi. An veſtra ferent pectora, quod ſaxorum corda perfregit? An admittent oculi, quod lucem fugauit, Solemque ipſum occidentem ante occaſum, meridianam merſit in noctem? An excipient aures, cum audient tanto facinori imparē tellurem contremuiſſe, & atratam vlulaſſe rerum vniuerſitatem? Tantumne licuit humanis odijs? Tantumne libuit diuinis amoribus? Vt Deus ipſe cruciarius moreretur, & ſpectaculum ſui prorſus tragicum ſæculis omnibus exhiberet ſummi Regis patibulata Maieſtas? Dicam tamen, & imminuam, ſi potero ſub triumphi nomine tam immane portentum. Infame capitolium

cruenti

cruenti montis conſcenditur, ferale lignum in tropæum erigitur, ac ferculum triumphale. Mirmillones in cauea: Imperatores in campo pugnant. Exeundum erat in montem, cum anguſtum amphiteathrum tantæ patientiæ Hieroſolyma eſſet. Vno verbo Deus de omnibus, de Deo amor triumphauit. Prima diuinæ tragædiæ in vltima cataſtaſi ſcena fuit nudari illum veſtibus ſuis, qui amictus lumine ſicuti veſtimento, poſuit tamen hic ſi vnquam aliàs, Sole, mundi oculo tantum nefas exhorreſcente, tenebras latibulum ſuum. Iniuriam fere dixerim nullam paſſus eſt in probroſa nuditate virgineus pudor, nam nihil videri voluit præter vulnera, quæ glorioſa oſtentatione ne quidem rediuiuus latere voluit. Ne quid auxiliaribus copijs, armisq; tribueretur ſolus, & nudus Athleta Deus exercituum luctatur cum hoſtibus ſuis. Pugnandum erat vi non armis: vt vinceret Deus non debuit eſſe cataphractus. Etiamſi in die deſponſationis ſuæ, quo eum Mater coronauit, materna veſtimenta non reiecerit in pugna, propior triumpho ſui cruoris nobilem purpuram prætulit, non veſtium, ſed manuum, ac pedum latum clauum ambiens. In ſcurrili purpura Rex per iocum: in ſua ſeriò appoſito titulo, *Ieſus Nazarenus Rex Iudeorum*, declaratur. Auidus baptizari Catechumenus Crucis candida Virginis manus veſte depoſita, nudus ſui ſanguinis baptiſma intrare debuit. Inter latrones collocandus prudenti conſilio prius veſtibus nudari voluit. Aſtræa e cælo virtutum omnium choro ſtipata reuola! Redijt cum aureo ſæculo nunquam morituro primigeneæ innocentiæ

candor, vbi ſecundus Adamus primo felicior etiam extra Paradiſum nudus incedit. Quis iam ferro carnifice per magnæ Matris viſcera montes occidentis euiſceret, vt aurum, argentumq; adorata idola humani generis extrahat? Quis orientis Maria flagellet expiſcaturus per naufragos queſtores inter pretioſa naufragia pumilos vniones, aliaque eiectamenta deſpumantis elementi? Quis ſub alio Sole, ſtellisque inuiſis Indi, Gangisque amabili ſplendentium lapillorum procella grandinantium pretioſas tempeſtates, per innumera pericula conquirat non gemmeas magis, quam gemendas? Quis veſtes, a quibus ambitur, ambiat, ignotis velleribus ſupra ipſius Phrixæi Arietis fabulam diuites, textilibus metallis graues, Babyloniæ manus, & Phrigiæ acus vulneribus lancinatas & inſertis gemmis, quæ aliquando integra patrimonia decoxerunt, aſperas, alijsque deductis peregrinarum mercium colonijs vitiatas? Vtriuſque mundi Dominus, mortis victor, Tartari debellator, terræ, Cælique Triumphator pauper olim, & pannoſus in ſpelunca Bethlemide natus, pauperior, & nudus in caluaria rupe moritur, pro regio ſolio humili præſepi in aſperam crucem decuſſato. Non aliam palmatam, quam vulnerum ſuorum nobilem purpuram induere debuit cruciarius Triumphator in palma Crucis, nec in alio paludamento Rex Regum infami a ligno regnare. Sed hæc, ſi dici poteſt damna Diuinitatis, humana lucra ſunt, Omne malum viridis attulerat malus: vbi aruit, omne bonum in Cruce regerminat. Hæc in infelici ſolo, feliciori ſub cælo ab horto deliciarum ad collem cru-

ciatuum tranſlata, melior immortali vere, & nunquam morituro in occiduis frondibus autumno, in æternæ vitæ flores gemmaſcit, fructusque ſoboleſcit. Etiam Caluarius mons è mortis amphiteathro factus eſt vitæ capitolium, vbi in illo ſata eſt diuina arbor Crucis, & Olympus pacis, Libanus gloriæ, Ethna amoris, Atlas conſtantiæ euaſit, abyſſum premens, cælum ſuſtentans, aſtris vndique coronatus. Artis diuinę fuit mortē vincere eo ipſo ligneo telo, quo illa orbē terrarū proſtrarat. Alliciant ad amabile naufragium cantatriculæ Syrenes: nemo nō Vlyſſes huic crucis antennæ ſalutari, & immerſabili alligatus, eludet omnem archipyraticam voluptatis. Nemo cælum expugnabit ſine labaro crucis triumphali, quod ſequatur. Præter cruciferam militiam Deus exercituum nullam aliam admittit. Supra Adami caput crux fixa primum fatalis pomi latrocinium expiauit. Habuit ille ex radicibus ligni ſanguinem ſtillantibus antidotum, qui venenum ex fructibus. At mutauit fructus in melius infelix arbor, cum aruit; neque enim fructus Crucis facit tantum Deos, ſed Deus eſt. Cælites glorioſum celeuſma parate; prima hæc trabs crucis ſulcabit Cælum, ac Deum etiam cùm Mundo vectorem per marē erythræum ſui ſanguinis vehet. Iam matura ſacrificio hoſtia tot doloribus ſaginata altari imponitur. Deus cruci ferreis clauis affigitur: nemo ſperet ſe poſſe ſine cruce Deum inuenire. Empyreæ Ciuitatis Adamantinæ portæ non aurea claui, ſed ferreis hiſce clauis reſerantur. Hercules Diuinus clauam in clauum conuertens, in vno labore mōnſtrorum omniū

colluuiem

colluuiem domat. Expectate fortunam mortales immortali felicitate arridentem. Hiſce trabalibus clauis Chriſti, ſiſtitur chriſtianæ volucris rota fortunæ. Non amittunt vires confixæ clauis magni Pugilis manus: ferro armantur, quod ſtringunt. Quò ſublimior hoſti eminet, eò fortior, & ſublimior imminebit. Omnia Filio dederat Pater in manus tornatiles aureas plenas Hyacinthis; non dediſſent tamen magnum pretium copioſæ redemptionis, niſi illud ferrum, quo cruci figebantur, eas luculento vulnere reſeraſſet. Ita æternarum victoriarum nouus Moyſes in monte, manus ne vnquam cadant in ſublimi clauis figit, & fiunt omnium victoriarum manubiæ vnius Victoris immotæ manus. En vbi Sponſus cæleſtis in terris cubat in meridie ſui amoris! Fruſtra iacentem inter lilia inquires Sponſum ſanguinis: inter ſpinas potius reperies in duriſſimo ſtrato non cubantem, ſed occumbentem.

Innocentem tamen tuam ambitionē agnoſco mi IESV. Omnia cum paſſus fueris, te ignorari in cruce, pati non potes, vnde cum nec te impij Deum, nec pij fere hominem agnoſcant, ſupra montem in ſublimi titulo crucis, tuum nomen inſcribis. Nec exponerent Iudæi carnifices ignominiarum architecti, nec amaret titulum Regis cruciarius honorum contemptor niſi CRVCIFIXVM. Fruſtra de hoc titulo litem Hebræi intendunt: fundatum in iure diuino, ius Cæſareum per Romanum Præſidem confirmauit. IESVM orbis redempti Regem, ne quis putaret inani titulo, aut a timore, aut ab adulatione inſcriptum, ſola &

Domina Regum, & exoſa Reges authoritas Romanæ potentiæ ſanxit. Sine titulis Crux ignobilis, poſtquam titulum habuit, cæpit ab amicis coli, ab hoſtibus timeri, auro incidi, gemmis inſculpi, Pontificum manibus inſeri, in Regum frontibus eminere, in Cæſarum coronis, toti terrarum orbi præeſſe. Iam omnium linguis diploma explicat, vnde eam mundi Reginam nemo audeat inficiari. Nobilem diuini amoris impreſiam, ne arcanum eius conſilium lateat, Hebraicum, Græcum, Romanum lemma toti orbi terrarum explicat. Spargetur glorioſus titulus crucis diditus in linguas, quas vicit, maximum Hebreæ religionis, Grçcæ eloquentiæ, Romanæ fidei argumentum. Ne vnquam transfuga a cruce deſciſcat terrarum orbis hoc maximo Sacramento obligatus cruci, in principibus linguis nomen dedit. Illud mirum cum VERBVM fere expungitur, nomen adiungi. Orationem iam perfectam in Caluario habere licet, cum nomen VERBO additur. Sollecismus Chriſtianus eſt alterum ab altero ſeparare.

Sed VERBVM diuinum mutum inter tribunalia, in Caluario eloquens fuit pro roſtris Crucis. Certè iactabundam ſemptemplici ſuorum ſapientum ore Græciam, ſeptem verbis ſuperauit Empyrei Orator, factus ſilentibus vbique idolis commune totius orbis oraculum. Inuitatus in argumentum Diuinitatis, vt e cruce deſcenderet, inſaniam ſubſannantium Iudæorum ſtans in cruce, ſilenſque reiecit, nam nunquam ſe magis Deum probauit, quam vbi ſtetit in cruce ſupra hominem, humana omnia patiens. Syrenum cantilenis ſuadentibus

dentibus deſcenſum reſpondebant Cynicorũ latratus aſcenſum exprobrantes. Neſcis vtris Crucis inimicis minus fidas: illi dulcem pyraticam exercent, iſti crudelem lanienam. Parum refert homicida cantu pereas, an latratu, venenato oſculo, an morſu. Inter latrones medius IESVS prudenter ſtetit in cruce, ne deſcendens in latrones offenderet. Quanquam quid a latronibus nudus timeret, qui ipſum iam totum Diuinitatis patrimonium redimendis hominibus impenderat. Imò nec timere debuit a latronibus, qui poterat fures ipſos furari, & homines rapere, humana rapientes maioribus furtis, ſed ſanctiſſimis latronum Princeps. Argumenta innocentium furtorum non deerant in ipſa Cruce extenſis in ſublimi bracchijs, quadrifido orbe terrarũ ad ſe attracto, aperto cælo, tartaro expoliato. Quid non rapient liberæ manus rediuiui triumphantis, ſi cruciarij morientis captiuæ mundũ vtrunque depopulantur. Sed amabo ſuauiſſimas rapinas tuas o omnium amor, ſi poſtquam Inferos erebo, Superos cęlo, ſepulchris cadauera, mundum tenebrarum Principi rapueris, etiam meo pectori cor, mihique me ipſum fureris. Ita tamen cruciarius amor cordium magnes ſupplicem latronem ad ſe attraxit, vt blaſphemum reiecerit. Et congruum erat, vt bonus latro ſub vmbra MARIÆ in meridie amoris Paradiſum inueniret: malus ad Aquilonem prope Luciferi ſolium, matuıato in abyſſum præcipiti caſu, Tartarum teneret. Inter tot ſui corporis cruciatus ab hominibus illatos, noluit tamen ſuos imminui per Satanæ iniuriam. Vnde ſi ille in cænaculo fecerat

ex Apoſtolo latronem, ipſe in caluario vtili compenſatione, ex latrone Apoſtolum facit, nobiliſſimis titulis primogenitum Crucis, Paradiſi expugnatorem, laureati beatorum exercitus Anteſignanum; diuini ſupplicij comitem, triumphique conſortem. Ita potuit bonus latro a ſola morte vitã commendare, & malæ fabulæ actor in vltimo actu plauſum mereri. Ita potuit mutata furti materia eadem arte, qua humana, etiam diuina furari, & poſt terrena latrocinia, cælum momentò expilare. Aſpicite mortales, qui omnes dum debitum peccando honorem numini detrahitis mali latrones eſtis, bonum latronem non viuentem, ſed morientem. Ille vita ſua vos occidet, ſed morte vitam reſtituet. Parum tamen illi fuit hominem beaſſe, qui omnium hominum felicitatem ſitiebat. Sitit itaque circa horam ſextam in meridie charitatis, iterum fatigatus ex triginta trium annorum itinere Deus Viator, non ad puteum Samariæ, ſed ad fontem Paradiſi, altum illum puteum aquæ ſalientis in vitam æternaw. Sitit ſitiri, & ſitim ſui noſtram ſitit. Quid non ſitiat ille, quem Iudæi canes rabidi conuicijs ſuis momorderant, & cui venenata Dipſas Iudas cum oſculo carnifice ſpirabile virus infuderat animæ peſtilentis? Sed prodigium eſt poſt exhauſtum magnum Patris calicem adhuc Filium ſitire. Illud autem geminatur cum ſitit, & aqua viuam omnibus propinat haurientibus cum gaudio de fontibus Saluatoris. Sitis mi Amor, Dilecte mi, ſed vineæ tuæ Engaddi in tam vberem vindemiam gemmantes floruerunt, vt nobis poſthac amplius ſitiendum non ſit. Certè

expreſſo

expreſſo botro Cypri de genimine illius vitis, cuius Pater agricola, nos palmites ſumus, calicem tuum habemus, quo hic, & in regno tuo omnium noſtrorum votorum ſitis extingui poſſit. Satis de torrente in via biberat: non erat medicabilis ſitis, niſi hauſtis aquis, quæ ſuper cælos ſunt in patria de torrente voluptatis. Ad illam anhelans Sibi, Nobisque in diuinis conuiuijs ambroſiam æternarum menſarum, nectarque ſitiebat.

At o quam ingrato maleficio huic beneficæ Filij Dei ſiti Nouerca Synagoga reſpondit. Paſta melle, fel miniſtrat: potata vino optimo, quod etiam toto ſuo ſanguine condierat, acetum propinat. Sed mundus amarus, & acidus non alia, quam hæc Neroniana prorſus decocta habet. Et tamen maleſani homines plerunque abſthemij in diuinis menſis, huic mulſo infeliciſſimo, quod ex aureo calice Babylonis hauriunt, ſitibunda labra vſque ad ignominioſam ebrietatem immergunt, ſicci ad congiariũ gratiarum ſanguinis Chriſti, faciunt in hoc vno meretricio mundi cratere naufragium. Morbus eſt hic, non ſitis. Hunc calicem cruciarius IESVS iure guſtauit, vt os ſuauiſſimum MARIÆ prius lacte delibutum, & Iudæ deinde oſculo infectum, mordaci fellis, & aceti liquore quoquomodo detergeretur. Ita poſt tot carnifices blaſphemas linguas, lingua Dei morientis carnificem ſuum habuit, ne vlla corporis pars Cruce careret.

Fel & acetum in Sponſi cæleſtis gutture ſuauiſſimo ita ſenſui amoris, ſi minus guſtui ſapuerunt, vt mellea verba excitarint, quibus totus amor Dei exercituum, & vltionum

Filius

Filius inimicis ſuis veniam a Patre deprecaretur, & pacem exoraret. Sapuiſti ſuprá Hebræos ſophos Romanè Centurio vnico argumento omnem dialecticam veritatis edoctus; vnde bene a te concluſum eſt, illum verè Deum eſſe, qui hoſtium hoſtia in ipſa laniena pro illis orare poſſet. Sed magis ſapis diuine orator, & quia non ad Iudicem accuſator accedis, ſed Patronus ad Patrem, planè viciſti cauſam in ipſo exordio, & peroraſti. Certè Senatus, Populusque Iudæorum neſciunt quid faciunt; nam Rempublicam perdunt, cui conſulunt, Hieroſolymam euertunt, quam ſuſtentant, Templū amoliuntur, quod propugnant, ad vindictam prouocant Romanos Imperatores, dum illis adulantur. Inſerunt fulmina manibus, quas figunt, illius cordis amoribus indulgent quod feriunt, Regis titulum amant, & ius oderunt, in vno VERBO expuncto totam legem violant, & vt hominem inhumanè tollant, Deum demonſtrant. Imò neſciunt quid dicant; nàm exceſſum patientiæ tanquam potentiæ defectum cauillantur, & ſupra ſtupida pectora capita ſua mouentes, cordis duritiem manifeſtè accuſant, & mentis leuitatem.

Inimicis veniam diuinū VERBVM: amicis quidquid ſupererat, impendit. Cum omnia ei dediſſet pater in manus inter prodigia amoris, & patientię Filius innocenter prodigus ſanctè decoxerat: omnem in vna clamyde terrenā ſupellectilem militibus ſortitò dederat: regnum ſuū cæleſte latroni conſultò dederat: totū corpus ſuum Cruci deſponſarat: ſpiritum ſuum, qui ſolus abſumptis membris ferè reliquus erat,

erat, munus omnium pretioſiſſimum paternis manibus reſeruabat; illius ſinui redditurus; vnde prodierat. Nihil videbatur ſupereſſe, quo ex diuino teſtamento terra ditari poſſet præter tenerum Matris in homines, pium hominum in Matrem amorem. MARIAM itaque, & IOANNEM ex ſemiſſe hæredes inſtituit æquo iure, nam MARIAM IOANNI, IOANNEM MARIÆ commendauit. O optatiſſimam adoptionem! Felix par animarum, quas Deus medius extenſis in cruce bracchijs coniunxit. Incorruptæ Virginitatis cuſtos factus IOANNES Aquila magnarũ alarũ non e Libano, ſed e caluario volitans, tulit medullam cedri. Felix piſcator relictis phaſelo, & retibus, naufragus in erythræo mari diuini cruoris, inæſtimabilis pretij margaritam inuenit, quæ tota erat Dei morientis hæreditas. Nimirum Deo ſemper fæneramur pretioſiſſimis iacturis. In littore Tyberiadis IOANNES ſuum Patrem ad Magiſtrĩ nutum deſeruerat: reddit Deus in Caluario Matrem ſuam, lucro longè damnum ſuperante. Certè maiorum bonorum inſtitui Heres IOANNES non potuiſſet; quid enim Pater poſt Filium pretioſius Matre habet in bonis ſuis? Qui IOANNIS granditatẽ neſcit, videat quanti Hercules Atlantis ſit, Vicarijs Dei ipſius humeris Marianum cælum ſuſtentans. In corde conceptum dilectum a IESV, cum ſupra pectus in cæna recubuit, aperto pectore iam maturum cælo IOANNEM Filius Matri parit; qui cum e puerperio Crucis renatus fuerit, nouo prodigio primus omnium ſine Patre Matrem habet, primus a Fratre Frater adoptatur. At in IOAMNE MARIÆ naſcitur.
omnium

omnium Virginum nobilis poſteritas; vnde quæ ſola Virgo Mater fuerat, nunc omnium Virginum Mater efficitur. Prodigium fuerat MARIAM in Bethlemide ſpecu ſine dolore peperiſſe: nunc additur aliud in Caluario Monte, ſine partu Matrem eſſe. Inter hanc Matrem, & Filium alia conſanguinitatis iura nequæras, præter ſanguinē ipſius Dei pro omnibus morientis. Sed o Matrem, cum feliciſſimum hunc Filium habuit, infelicem! Mater ſimul, & Martyr IOANNEM pariens, IESVM amiſit. Iure ergo Filius, quaſi Matrem eſſe neſciret tunc mulierem dixit, reddens mundo Euam innocentem. Auct.m eſt infirmitatis titulo in MARIA fortitudinis portentum, cum cadente in Cruce Deo, ſtetit iuxta crucem, quaſi Mundum, qui ruinam minabatur, ſuſtentans. Non iam inpoſterum adamantinæ innixa columnæ fortitudo ſpectabilem ſe præbeat, ſed diuinæ Cruci, idemque ſit MARIÆ exemplum, & idea virtutis. Stabat MARIA iuxta crucem ſuis eminentior ſupplicijs. omnia deſpiciens. Si fractus raptus fuiſſet orbis, adhuc ſtetiſſet impauida. At nulla timeri debuit ruina, MARIA ſtante, quæ mundo regendo par erat. Quid ni ſtaret MARIA initium viarum Domini, ac terminus? Stabat amans Mater eidem cruci, quo Filius funiculo triplici clauorum, fixa, & in his vinculis charitatis prorſus immota. Stabat ad Aquilonem; & iure ſtygium ſerpentem in ſolio ſuo, virgineo pede conculcans. Proh quanta æſtas amoris nobis exarſit, cum Sol æternus fuit prope hoc ſignum boreale! Circa polum immobilem Crucis ſtare debuit ſtella maris hominum Cy-

notura. Reginæ dolorum, vt Regi cum ſceptrō clauorum, ſpinarum diademate, ſanguinis purpura, thronus ſtabilis crucis debebatur. O MARIAM adamantem, nouum maioris firmitatis adamantem, cum illam nec Agni diuini ſanguis frangit! Vt ſtaret MARIA doloris ſtatua tota marmorea, non crinitum anguibus viſæ Meduſæ fabulare caput, ſed veri Numinis ſentibus coronatum effecerat. Ille qui polum crucis reſpicit amator magnes, aliò ſine violentia moueri non poteſt. Geminæ etiam ſunt columnæ Caluarij ſemper Herculeę, Filius in cruce ſuſpenſus, Mater ſtans iuxta crucem; ille Abilam exhibet, iſta Calpem Charitatis. Inter totius naturæ procellas ſola MARIA mare gratiarum pacificum ſtetit. Ad mortem paſſis velis velificantem en vt in ipſo curſu MARIAM ſalutis onerariam, remora Crucis romoratur; niſi velis in lachrymarum mari ſuſpiriorum ventis in breuia Caluarij impactam ſcopulam potius videri, quam nauim! Trepidationis motus licet cælum, terramque concutiat, IESVS, & MARIA sereniſſimi ſemper cæli cardines, immobiles ſunt. Quid gloriaris Armenia, quod mundo fluctuanti portum dederis: melior Arca, naufragi mundi Soſpitatrix, non ſupra Armenios montes, ſed ſupra Caluarium, poſt eluuionem lachrymarũ, aquis ſuis innutans, ſtat? Stare debuit non cadere, quæ ad imam abyſſum dolorum peruenerat, & in ſumma ignominia humilior eſſe non poterat. Quid ni ſtaret amatrix crucis iuxta crucem, non in ſphæra tantum ſuorum amorum, ſed in centro? Inter cruciatus Filij collabentē dolore teneram Matrem ſaxeus in ipſo caſu firmauit

mauit

mauit ſtupor;niſi dicas innocenti ſummi doloris Magia potuiſſe mulieré momentò lapideſcere. Ipſa conſtantia magis in lubrico ſtare nõ potuit, cũ cruore omnia madeient, & lachrymis. Supra Adami caput MARIA Stans in Caluario, magnum humanæ totius Reipublicæ caput infra ſe habet, & infernum ſimul Draconem, qui illius fauces eliſerat. Standum erat vni, vt omnia ſtarent: magna in eam mundi moles inclinata recumbit. Signum Crucis planetas nõ admittit, niſi ſtationarios. Tota cælo peregrinante Maris Stella, vt ſit vtriuſque poli cynoſura, ſupra ſerpentem Aquilonarem, & iuxta Crucem Auſtralem immobilis radiat. In Caluarij paleſtra cum Athleta dolore luctata Empyrea Amazon, loco dimoueri non potuit. Filio moriente cum mori impatientia amoris, viuere iuberet amor patientiæ, inter mortem, vitamque ſuſpenſa MARIA ſtabat. Et certè iuxta Crucem cum Filio inter latrones medio, moueri non poterat, niſi Incidens in latrones. Hoſpita Caluarij continuò ſtetit: nullibi poterat habitare felicius: Montem hunc ſummum ſcias apicem eſſe ſanctitatis: vbi illum conſcenderis, ſtandum eſt. Ibi Sanctorum eſt vltima Thule, Crux Chriſti. Vide quam auida Crucis fuerit! Mater ſibi Crucem, & Filius diuiſerunt. Tantumdem Crucis Mater ſtans occupat iuxta Crucem, quantum Filius in Cruce ſuſpenſus. Adorate artem gratiæ humana ingenia: geminò MARIA miraculo oppoſito, motum perpetuum charitatis operoſæ Stans exercet. Supra Simeones mortales MARIAM Stylitam non ſupra columnas, ſed ſupra omnia

 ſtantem

ſtantem celebrate. Sit itaque conſtantiſſimum toto æuo Marianæ conſtantiæ elogium Matrem pendenre Filio, in Apoſtolorum fuga, in Euripo dolorum, in Solis defectu, in Lunæ receſſu, in ſciſſione lapidum, in Templi ruina, in orbis terræ caſu, & quod omnium rerum ſtatum euertere debuit, in Dei caſu ſtetiſſe iam ferè naufragæ Eccleſię anchoram, fidei columen, terrarum baſim, cæli fundamentum. Ita tamen ſtetit, vt neſcias, an eſſet corpus, an cadauer. Mori debuit ſi læthale aſpicias carnificis doloris vulnus; ſed mors vt ſtantem vidit doloris Heroinam territa retroceſſit, amanter reuerita Matrem, cū ſacrilegè ſæuiret in Filium. Ipſam ſolam Matrem cum Filio mirum fuit totam diuinam tragædiam implere. Prothaſim dolor occupat. epitaſim amor, caſtaſthaſim ſtupor. Ne vna tantum cruce Mater, & Filius premerentur, inuicem ſibi cruces erant. Certè extenſis manibus ſtans Mater a fronte, Filio crucem geminabat, quæ tergum premebat, eratque expanſis bracchijs, fixis pedibus capite erecto, trunco immobilis æque ſtatua doloris, & imago Crucis, ac Filij ſpeculum. Si ſtatua doleret poſſet, ſic doleret. Ipſa vita MARIÆ mortem geminabat; nam auctarium mortis eſt læthali dolori ſuperſtitem eſſe. Nulla mors infelicior eſt, quam viuere morientem, acerbitatem mortis vita protrahente, cum omnia in morte atrocia ſint præter mortem. Ita ad monſtroſum ſpectaculum Dei patibulati MARIA ſtetit exhibens ſe in Filij funere viuum cadauer, vt vita moriente, ipſa mortua viueret. Ita non mundi tantum Imperatorem

decuit

decuit ſtantem mori, ſed & Auguſtam Matrem ſemi animem quidem, fortem tamen & conſtantem doloris gladio confoſſam adhuc viuentem illi commori ſtantem, vnde nec illam concutere poſſet orbis contremiſcentis grandis timor.

Interim bonus IESVS ſtante, & immota Matre implorans Patrem, queritur ſe deſertum, & iure, nam Matrem iam ceſſerat Ioanni, & cum ea omne vitæ ſolatium. Accurrit Pater, nimirum aperuit ſe ſe cum adeſſet, & amanti ſinu excepturus eum in cælum, quem terris dederat, coronatum iam Filium, purpuratum, triumphalemque inuitauit ad regnum. Innocenter prodigus Dei Filius conſumato etiam in latrones patrimonio CONSVMATVM EST, inquit, & non audens oculos in cælum attollere inclinato capite, voce magna clamans expirauit. Annuit inuitanti inclinato capite, & reuerentiam exhibuit ad paternos amplexus, & oſcula anhelans. Nec dubitare vllus poteſt Matrem quoque a Filio fuiſſe ſalutatam, & extremum *vale* pie, amanterque a tacito VERBO illi dictum nutu loquente. Magnum obſequium Filij morientis ſtanti Matri ſe ſe in morte inclinare. Inſpirauit quoque Adamo ſub Cruce ſepulto melioris ſpiraculum vitæ, iterum mortuum puluerem guttis ſanguineis, quas terra in communi motu ebiberat, refingens. Sic ſepultus in vna caluaria mundus, ſpiritu recreatore animatur ad vitam. Ipſos ignominiarum apices, & probroſos honores fugiens, a titulo Regis etiam crucifixo, recedens, mortuus eſt; omnium pauperrimus Filius hominis, non habens, vbi

caput ſuum reclinaret, niſi ſupra pectus ſuum. Non auſa fuiſſet mors aggredi mortis, vitæque Dominum, ac totius noſtræ mortalitatis, & immortalitatis Authorem, niſi ipſi placida ſignificatione capitis annuiſſet ne dicam accedenti, an fugientem inuitaſſet. Adhuc ſuperſtitem amorem ſuum eſſe, moriens indicauit capite inclinato deſignans vulneri locum in pectore, quod iam vndique laceratum omnia amoris iacula exhauſerat. Quis vnquam Deum a terris auerſum fore putet, qui moriens ad terras conuertitur? Expectate quam primum Iridem ſequeſtram pacis. Poſt diluuium lachrymarum, & ſanguinis non ſine gemitu prodit Columba ex Arca ſeruatrice terrarum orbis. Non aliter grandis ſpiritus exire debuit, quam cum clamore valido, vt conſtaret non hominem, ſed VERBVM expiraſſe. Hoc tamen, etiamſi non clamaſſet, prodigijs vbique ſonantibus natura vniuerſa teſtabatur.

ELECTIORA
Ex Sacris Scripturis, SS. Patribus, Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Scholaſticis Doctoribus de Maria ſtatione iuxta Crucem.

SYNOPSIS.

1 Adeſt Mater Filio crucem baiulanti, & eum ad Caluarium comitatur. 2. Statio eiuſdem iuxta Crucem admirabilibus affectibus, & heroicis virtutibus illuſtris, luculentis SS.PP. teſtimonijs expenditur, & celebratur. 3. Summæ fortitudinis cum ſummo dolore commercium in MARIA ſtante iuxta Crucem. 4. An ingemuerit, & an lachrymis ſanguineis? 5. An ſpaſmum paſſa fuerit? 6. An ſaltem extaſim? 7. Statio MARIAE iuxta Crucem omnium fuit virtutum, præſertim theologicarum ſchola. 8. Augmentum doloris acceſſit ad illa verba. MVLIER ECCE FILIVS TVVS. 9. Ineptè tamen relationes Matris, & Filij inter MARIAM, & IOANNEM finguntur. 10. Lancea pectus Filij mortui, & Matris viuentis animam tranſuerberauit. 11. An moriente Filio Deip. amiſerit relationem Matris? 12. An boni latronis conuerſionem impetrarit? 13. Quomodo omnium hominum ſalutem iuuerit, & quomodo titulus Redemptricis, & huiuſmodi alius temperandus ſit.

Adeſt Mater Filio Crucem baiulanti, & eum ad Caluarium comitatur.

I.

IAM Rex dolorum in pannoſa purpura paludatus ſpineo coronatus diademate, arundineum ſceptrum dextra ſtringens, ſua habebat inſignia; non tamen adhuc regnabat a ligno, nec principatus erat ſuper humerum eius. *Tunc Chriſtus* inquit S. Auguſt. in c. 1. Io. ſ. 17. *principatum ſuper humeros habuit, quando Crucem admirabili humilitate portauit;*

Hoc fuit noui regni Chriſtiani initium. *Solus nouus Rex Chriſtus* (verba Tertulliani ſunt aduerſus Marc. l.3., *noua gloria poteſtatem humero extulit, Crucem ſcilicet*. Similia habent S. Ambroſ. de fide c.4. S. Iuſtinus Martyr apolog. 2. S. Cyrillus Alex. in Iſ. c. 9. S. Cyprianus l. 2. teſtim. adu. Iud. c. 2. & alij paſſim. Iuſſus eſt ergo IESVS Nazarenus trabalem Crucem, ad quam Prætoria ſententia damnatus erat ad Caluarium, vbi crucifigendus erat, portare. *Ad irriſionem* inquit S. Leo ſ. 8. de paſſ. *Regiæ dignitatis iuſſus eſt ſupplicij ſui eſſe geſtator*, ſiue vt ait S. Cyprian. de paſſ. Dom. *ſupplicij ſui baiulus eſſe*. Et tamen ille eſt, qui, vt habemus Iſ. 40. *appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in ſtatera*. Ita a Patre Dei Filius, vt legimus pſ. 2. initiatus eſt *Rex ſuper Sion montem ſanctum eius*. Angeli pacis amarè flentes clamabant. *Egredimini Filiæ Sion, & videte Regem veſtrum in diademate, quo coronauit eum Mater ſua. Grande ſpectaculum!* exclamat Auguſt. tr. 109. in Io. *Sed ſi ſpectat impietas grande ludibrium, ſi pietas grande myſterium! Si ſpectat impietas grande ignominiæ documentum: ſi pietas grande fidei munimentum! Si ſpectat impietas videt Regem pro virga regni lignum ſui portare ſupplicij: ſi pietas videt Regem baiulantem lignum ad ſemetipſum figendum, quod fixurus fuerat etiam in frontibus Regum, in eo ſpernendus oculis impiorum, in quo erant gloriaturæ corda Sanctorum. Dicturo enim Paulo mihi autem abſit gloriari niſi in Cruce Domini Noſtri Ieſu Chriſti, ipſam Crucem ſuo geſtans humero commendabat, & lucernæ arſuræ, quæ ſub*

modio ponenda non erat, candelabrum ferebat.

Interim cum ad Caluarium Crucem ſanctam baiularet Cruciarius Dei Filius, aliqui pij Doctores cum D. Bonau. l. med. Chr. c. 77. a Ioanne Virg. Matrem accerſitam fuiſſe aſſerunt, eique a S. Euangeliſta dictum, illud pſ. 21. vel ſimile. *Tribulatio proxima eſt, & non eſt qui adiuuet*, atque ipſam reſpondiſſe illud cant. 3. vel ſimile. *Surgam, & circuibo ciuitatem, quæram quem diligit anima mea.* Inde dum per viam incederet, meditantur inter SS. mulieres, quæ Cruciferum Chriſtum comitari volebant, & Deiparam dolentem hunc dialogum. *Adiuro vos*, hæc proclamauit, *Filiæ Hieruſalem, ſi inueneritis Dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo.* Illæ interrogatunt. *Qualis eſt Dilectus tuus o Pulcherrima mulierum, quia ſic adiuraſti nos? Dilectus meus* inquit ipſa *candidus & rubicundus.* Illæ tandem reſponderunt. *Si hæc ſunt ſigna Filij tui. Ille qui baiulat Crucem non videtur Filius tuus. Vidimus enim eum, & non erat aſpectus. Non eſt ei ſpecies, neque decor, & quaſi abſconditus vultus eius, vnde nec reputauimus eum.* Hæc appoſitè, & pie ex ſacris litteris dicta ſunt, ſed veritati hiſtoricæ magis congruit, amorique Matris ardentiſſimo, fuiſſe B. V. præſentem ferè omnibus Filij cruciatibus, vt docet Metaph. apud Surium in Aſſ. Virg. cum alijs communiter. S. Bern de planctu Virg. putat illam interfuiſſe cum SS. mulieribus, quando Chriſtus Dominus Crucem baiulans dixit. *Nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas &c.* Dei Filium Cruci ſuccumbentem Matrem intuitum fuiſſe in ipſo caſu, & inuicem ab ea fuiſſe

ſpectatum, cum immenſo vtriuſque dolore, itaut propheticus iuſti Simeonis gladius tunc animam B. Virginis tranſuerberarit, pia quædam multorum meditatio eſt, & fauet fidelium ſenſus, ſed non inuenio Vllum Sanctum Patrem, qui hoc expreſsè dixerit. Certum tamen eſt ad hoc ſpectaculum Filij exanguis, & exanimis inter tot anguſtias Crucem baiulantis, & ferè humi reptantis præ feralis ligni mole, & pondere, non potuiſſe amantiſſimam Matrem vehementer non dolere, in eoſq; prorupiſſe affectus, quos deinde Comes itineris, & ſtans iuxta Crucem proſequuta eſt. *Cernebat* inquit Amed. Lauſan. hom. 5. *verum Salomonem Mater eius, in diademate, quo coronauerat eum Nouerca Synagoga, & ipſa coronata corona tribulationis poſt eum incedebat.*

Statio eiuſdem iuxta Crucem, admirabilibus affectibus, atq; Heroicis virtutibus illuſtris luculentis SS. Patrum teſtimonijs expenditur, & celebratur.

II.

Admirabiles affectus Dei Matris ſtantis iuxta Crucem iuxta illud Io. 19. *Stabat iuxta Crucem Ieſu Maria Mater eius* exprimunt tenerrimis, ac pijſſimis verbis SS. Patres, alijque Doctores ſacri. Ibi ſe veram tanti Filij Matrem probauit, vt notat Guarr. Abb. ſ. 4. de Aſſumpt. *Stabat* inquit *iuxta Crucem Ieſu Maria Mater eius. Planè Mater, quæ nec in terrore mortis Filium deſerebat. Quomodo enim morte teneri poterat, cuius charitas fortis, vt mors, imò fortior, quam mors erat? Planè iuxta Crucem Ieſu ſtabat, cuius mentem dolor crucis,*

ſimul

ſimul crucifigebat, ſuamque ipſius animam, tam multiplex pertranſibat gladius, quantis confoſſum corpus Filij cernebat vulneribus. In grandium affectuum æſtu, & anguſtiarum abyſſo procul dubio erat MARIA iuxta Crucem, vt deſcribit Amed. Lauſan. hom. 5. de Deip. *Inter hac* ait *Dei Genitrix conſternabatur animo, & dolores, vt parturientis apprehenderunt eam. Ibi gemitus, ibi ſingultus, ibi ſuſpiria, ibi mæror, ibi dolor, ibi agonia, ibi æſtus animi, ibi incendia, ibi mors morte durior, vbi vita non tollitur, & mortis anguſtia toleratur. O veneranda, & plena deuotionis, & lachrymarum memoria! Recordari qualiter ſancta illa anima glorioſè paſſa ſit, quaſue pertulerit de Chriſti morte anguſtias! Pallidus vultus Ieſu exanguem reddidit vultum Genitricis. Ille carne, illa corde paſſa eſt.* Similia habent S. Bern. mellifluus ille B. V. alumnus ad Euang. verba ſtabat &c. S. Ambroſ. l. de inſtit. Virg. S. Auguſt. ſ. 8. de paſſ. Dom. Ludolphus in vita Ch. Pet. Caniſ. l. 4. & alij multi. Vnus inſtar omnium ſit Seraphicus Doctor S. Bonau. in ſtim. c. 4. ad illa verba ſtabat &c. *O Domina mea, exclamat, vbi ſtas! Nunquid iuxta Crucem? imò & in Cruce cum Filio cruciaris. Ibi enim crucifixa es ſecum ſequuta. Hoc ſolum reſtat, quod ille in corpore, tu verò in corde es paſſa. Nec non ſingula vulnera per corpus eius diſperſa in tuo corde generaliter ſunt vnita, quia nempe tuam ipſius animam gladius pertranſiuit. Tu Domina in tuo corde es lanceata, tu amoris clauis inclauata, tu de ſpinis coronata, tu illuſa, & maledictis affecta: tu etiam felle, & aceto potata. O dulciſſima Domina tu iuiſti immolari pro nobis!*

Nunquid non ſufficiebat nobis Chriſti paſſio, niſi crucifigeretur & Mater? O ſuauiſſimum amoris cor, conuerſum es in cor doloris! Aſpicio Chariſſima Domina cor tuum, & iam non eſt cor; ſed fel amarum, myrrham, & abſyntium video. Quaro Matrem Dei, & inuenio ſpinas, clauos, lanceam, ſpongiam, atque acetum. In cruce quoque quaro Mariam, & inuenio ſputa, ludibria, flagella, & vulnera, quia tota conuerſa es in iſta. O verè Maria, quia amaritudine plena! &c. & concludit. *Non eras quippe in te, ſed in afflictione Filij, & in vulneribus vnigeniti tui, in morte dulciſſimi Ieſu Chriſti.* Incredibile eſt quantum vtriuſque, Matris nimirum, & Filij dolores augeret mutuus aſpectus, vt Beatæ Birgittæ reuelauit l. 1. reu. c. 6. ipſa Sanctiſſima Virgo his verbis. *Cumque reſpexiſſet ad me de Cruce, & ego ad eum; tum de oculis meis quaſi de venis lachrymæ exibant, & cum ipſe me cerneret dolore confectam, in tantum amaricabatur de dolore meo, quod omnis dolor vulnerum ſuorum quaſi ſopitus erat præ dolore meo, quem in me videbat. Propterea audacter dico, quod dolor eius erat dolor meus, quia cor eius erat cor meum. Ideò Filia mea cogita, qualis eram in morte Filij mei, & non erit tibi graue relinquere mundum.*

Summa fortitudinis cum ſummo dolore commercium in MARIA ſtante iuxta crucem.

III.

DE ſummo dolore Deiparæ Sanctiſſimæ in Filij morte dubitari non poteſt. Fuit hic, vt ſupra demonſtrauimus ex SS. Patribus, Simeonis gladius. Hinc tanquam ſtupidiſſimi homi-

hominum explodendi ſunt aliqui huius æui Nouatores, qui ex illa voce STABAT, ex qua Marianam conſtantiam SS. Patres collegerunt, quamdam ſtupiditatem in B. V. admittunt. Aduerſus hos pugnat acriter Clictouæus l. de dolor. Deip. Eoſdem premit validiſſimis argumentis Delrius l. 4. de paſſ. c. 4. Raynaud. in Dipt. Mar. p. 1. puncto 9. Io. Carthag. t. 3. l. 12. per vndecim homil. Nouarinus in vmbra Virg. cum alijs. Non dedecere dolorem Sanctiſſimam Dei Matrem iam alibi in ſacro Euang. habetur. *Ego & Pater tuus dolentes quærebamus te*. In illis circumſtantijs, vt probat duodecim rationibus ex ſacris litteris, & SS. Patrum teſtimonijs Clictouæus. Mater, & dolens diuidi non poterant, vnde concludit c. 8. his verbis. *Ecce in quod impietatis baratrum incidunt aduerſarij, qui dum glorioſam Virginem Mariã volunt extollere egregio titulo per abnegationem doloris, & compaſſionis in morte Filij ſui, veram ab ea tollunt maternitatem, atque ad ſuam poſitionem conſequenter coguntur admittere hanc abſurditatem, quod Beata Virgo Maria non fuit vera Mater Chriſti, quo nihil magis impium, & execrabile de digniſſima Dei parente dici poteſt*. Illa vox STABAT coniunctam cum ſummo dolore ſummam fortitudinem exprimit ex SS. Patribus. Stabat enim veluti ſcopulus, quem vndequaque decumani fluctus amariſſimi abluunt, non lædunt. Si vnquam ſapientis elogio digna fuit *Mulier fortis* certè hic prope Crucem dici potuit *procul, & de vltimis finibus pretium eius*, ſiue vt vertunt ſeptuaginta *pretioſior eſt lapidibus, magni pretij*. Vnum par SS. Doctorum, illudque

illudque amiciſſimum, imo in fidei generatione Patrem, & Filium, Ambroſium nimirum, & Auguſtinum adducam. Primus de inſtitut. Virg. ſic ait. *Stabat ante Crucem Mater, & fugientibus Viris ſtabat intrepida. Videte vtrum pudorem mutare potuerit Mater Ieſu, quæ animum non mutauit. Spectabat pijs oculis vulnera, per quæ ſciebat futuram Redemptionem. Pendebat e Cruce Filius: Mater ſe perſequutoribus offerebat.* Quid hac fortitudine ſupra maſcula pectora, mulieris fortis, conſtantius excogitari poteſt? Alter ſ. 8. de paſſ. Dom. hæc habet. *Iuxta Crucem ſtabat Maria conſiderans vultu benigno Chriſtum pendentem in Crucis patibulo. Pedibus innitens manus leuabat amplexans Crucem, ruens in oſcula, quæ parte ſanguinis Chriſti vnda rigabat, vt Chriſtum valeret amplecti. Cum non poterat, ſurſum volebat aſcendere. Sperat amor nonunquam, quæ rarò fieri poſſunt &c.* Nimirum ſummus dolor illam coloſſum fortitudinis adamantinum fecerat; ſed amor ſummus in Heroicos affectus animabat, vt ſpirans coloſſus fortitudinis videri poſſet, & fortis eſſet, pluſquam mors dilectio.

An ingemuerit, & an lachrymis ſanguineis?

IV.

ILlachrymatam fuiſſe inter Filij cruciatus Dei Matrem, licet neget S. Ambroſ. de ob. Valentin. vbi ait *ſtantem illam lego, flentem non lego* affirmant tamen plures SS. Patres S. Auguſt. ſ. de paſſ. Dom. S. Anſelmus de compaſſ. Virg. S. Bern. ſ. 4. in cæn. Dom. S. Bonauent. in ſtim. amor. & alij quibus Eccleſia conſonat

canens,

canens. *Stabat Mater doloroſa, iuxta Crucem lachrymoſa.* Io. Bapt. Lignius in l. de reliquijs, & Vener. Sanctorum aſſerit in aliquibus Eccleſijs lachrymas B. Virginis reperiri, & religiosè a fidelibus coli. Suffragantur S. Birgittæ reuelat. l. 1. c. 6. vbi ſic ipſa Deip. Virgo loquitur. *Ex oculis meis erumpebant lachrymæ, ſicut ſanguis ex venis.* Hinc inferri debet abundantia, & perennitas iuſtiſſimarum lachrymarum, quæ non indignæ muliere forti, tantum dolorem conſequutæ ſunt. Non tamen admitto in B.V. ſtante iuxta Crucem lachrymas ſanguineas, quas inuexit Daniel Malonius ad Paleoti lib. de Sac. Synd. c. 13. ex S. Germano loco non deſignato, & ex Theophili cuiuſdam fragmentis in hiſt. Dominicæ paſſ. & Collius l. 3. de Sang. Ch. d. 5. c. 3. Scio Suarez Epiſcopũ Conimbricenſem tract. 225. in Luc. referre mulieris Luſitanę Marito orbatæ lachrymas ſanguineas. Sed quidquid ſit de veritate philoſophica, & hiſtorica lachrymarum ſanguinearum, an poſſint ex oculis emanare, & an fluxerint aliquando: a B. Virgine ablegandę ſunt, quia non eſt vllum fundamentum. Non fuit in ipſa audaciæ cum metu conflictus, vt in Chriſto Domino, *cuius Sudor factus eſt, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.*

An ſpaſmum paſſa fuerit?

V.

Spaſmus propriè ſumptus dicit neruorum contractionem, & languorem totius corporis conſequentem: impropriè ſumptus ſyncopam cordis, cùm quodam virium defectu. De ſpaſmo proprio non eſt dubium, quin relegandus

gandus ſit a B. Virgine, cum ſit inſignis ægritudo, quæ in ipſam omni morbo carentem, toto tempore vitæ, cadere non potuit. Spaſmo improprio minus alioquin indecenti fauere videntur præter S. Birgittæ reuel. l. 1. c. 10. S. Bernard. opuſc. de lament. B. V. S. Bonau. l. med. c. 77. & 79. S. Anſelmus dial. de paſſ. B. Laurent. Iuſtin. de trium. ag. Carthuſianus in c. 19. Io. Ludolphus 2. p. vit. Ch. c. 64. Lanſpergius lib. elucid. in paſſ. Ch. & alij. Cuiuſdam Eccleſiæ S. Mar. de ſpaſmo, quam S. MARIÆ de Pamaſon vocat Sannutus l. 3. p. 14. c. 10. meminit Franc. Quareſmus t. 2. elucid. terræ Sanctæ l. 4. c. 11. pereg. 6. & multos pro vtraque ſententia tuente, & reijciente Marianum ſpaſmum, adducit. Adhuc tamen ſecundus hic ſpaſmus a B. Virgine relegandus eſt. Hoc tuentur præter SS. Patres, qui toti ſunt in commendanda Matris Dei cōſtantia, & ſtatione illa in Caluario prope Crucem, quæ cum caſu coniungi in ſua proprietate non poteſt, Clictouæus hom. de ſtat. Virg. iuxta Crucem, Card. Toletus in c. 19. Io. Suarez 3. p. t. 2. diſp. 41. ſ. 2. Ianſenius in conc. Euang. Bartholom. Medina 3. p. q. 27. a. 4. Io. Carthag. t. 3. l. 12. hom. 7. Theophil. Raynaud. in Dipt. Mar. p. 1. puncto 9. & alij. Et certè ille defectus virium corporeus cadentis B. Virginis non decebat plenitudinem gratiæ, quam in ea inuenit Legatus Angelus Lucæ 1. cum qua erat coniuncta non ſolum ordinata charitas, ſed perfectum dominium rationis in appetitum, ita vt eiuſdem imperio omnes potentiæ, & actiones ſubderentur. Status, quē in ſua proprietate ſonant verba STABAT &c,

&c. vt notat S. Bern. in ſ. ad illa verba ſtatum animi, & corporis, atque vtriuſque inuictam, infractamq; conſtantiam denotat, flecti neſciam, ac minimè caducam. SS. Patres de extaſi quadam MARIÆ Deiparæ loquuti ſunt conflata ex prudenti admiratione, & ingenti dolore, quod videret Dei Filium ſimul, & Filium ſuum tot miraculis clarum, tam inſigni doctrina, ac ſanctitate in Iudaico regno illuſtrem, patibulatum, & cruciarium ante oculos ſuos in ferali ligno ſuſpenſum. Non alius eſt verborum S. Birgittæ ſenſus, vnde B. Virgo fic ipſam alloquens l. 6. c. 57. habet hæc verba. *Sed virtute Dei dolor meus modum, & honeſtatem habuit*. Ita S. Birgittæ reuelationem exponit Mallonius ad c. 6. Paleotti de Sac. Synd. Nec aliter loquuti ſunt B. Laurent. Iuſtin. & S. Bonauentura. Bernardus qui fauet ſpaſmo ſuppoſititius eſt, & patet ex vero adducto loco veri Bern., atque ex verborum STABAT &c. explicatione. Etiam Anſelmus, qui citatur pſeudoanſelmus eſt, vt notat Theophil. Raynaud. loc. cit. & palam fit ex vero Anſelmo, qui refertur a S. Antonino 4. p. ſummæ tit. 1. c. 41 §. 1. in hæc verba. *Beata Virgo ſtabat ante Crucem verecunda, modeſta, lachrymis plena, doloribus immerſa, ita tamen diuinæ voluntati conformis, quod ſi oportuiſſet ad implendam voluntatem Dei, ipſa Filium in Cruce poſuiſſet, atque obtuliſſet. Nec enim minoris obedientiæ fuit, quam Abraham*. Audacia pictorum, quibus ſimul cum poetis.

Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas, hanc veritatem labefactare non poteſt. Prohibitos fuiſſe Romæ aliquos pictores ex man-

dato

dato Magiſtri ſacri palatij Apoſtolici, ne B. Virginem exanimem, & collapſam exprimerent refert Io. Carthagena loc. cit. cum ipſe in ea vrbe eſſet. Hinc patet multò magis non explodendos tantum, ſed exſibilandos eſſe, tanquã reos temerariæ prorſus ſententiæ illos, quos refert Toletus in c. 2. Lucæ annot. 57. & Benzonius in pſ. 86. c. 40. aſſerentes Dei Matrem patiente Filio verè mortuam fuiſſe.

An ſaltem extaſim.

VI.

HAnc queſtionem vniuerſaliter agitat Io. Bapt. Nouatus t. 2. de emin. Deip. c. 8. q. 1. & reſpondet B. Virginem habuiſſe quidem contemplationem eminentiorẽ quacunque contemplatione Sanctorum, etiam illorum, qui extaſim paſſi ſunt; ſed illam fuiſſe ſine deliquio partis ſenſitiuæ, ac proinde propriam extaſim nunquam paſſam fuiſſe. Primum probat præſertim authoritate S. Bernardini Senenſis tom. 4. ſ. 36. pag. 3. qui contemplationem MARIÆ ſupra ipſum raptum Pauli ad tertium cælum extollit. In fine reddit S. Bernardinus hanc rationem, *quia Paulus fuit vas electionis; Virgo Maria fuit vas Diuinitatis*. Secundum probat ratione, quia deliquium partis ſenſitiuæ, quod in propria extaſi requiritur ex Io. Gerſone p. 7. de myſtica theolog. & alijs, importat infirmitatem, quæ in B. Virgine admitti non debet. Fauet huic doctrinæ Rutilius Benzonius in magnif. l. 2. c. 10. dub. 13. Hæc quæ vniuerſaliter de extaſi Deiparæ Sanctiſſimæ dicuntur, huic ſtationi etiam iuxta Crucem applicanda ſunt.

Statio MARIÆ iuxta Crucem omnium fuit virtutum præſertim theologicarum Schola.

VIII.

INnuunt hoc SS. Patres, & Eccleſiaſtici Scriptores luculentiſſimis teſtimonijs. Admirabilem Deip. Virginis fidem deficientibus cæteris colligit S. Thomas ad illa verba Iſ. 63. *Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum* ſcilicet ipſe ſubiungit *in auxilium*, quia tempote paſſionis, *eo relicto omnes fugerunt*. Et dicit ſignanter *vir* propter B. Virginem, in qua nunquam fides defecit. Hinc Abulenſis paradox. 1. c. 31. ait debere propterea B. Virginem apellari *caput credentium*. *Stabat* inquit Pet. Caniſ. l. 4. Marialis *fida cuſtos, & Mater anxia ſe tota fide ſuſtentans.* Hæc de fide. Circa ſpem ait S. Ambroſius l. de inſ. Virg. c. 7. quod in illa ſtatione B. Virgo non ignara fuit myſterij, quod genuiſſet reſurrecturum. Immenſum ſtantis MARIÆ Matris amorem erga IESVM Filium exprimunt illa D. Auguſt. verba ſ. 8. de paſſ. Dom. *Iacebat immenſitate doloris depreſſa, ſed eam erigere magna vis immenſi amoris compellebat.* Subſcribit Guillelmus doctiſſimus in c. 1. cantic. ſic. *Tanta virtute* (de Maria loquitur) *Chriſtum dilexit, vt ad titulum ſuæ laudis ſufficiat, quod mentem eius tanta vis amoris occupauerat, vt fugientibus diſcipulis oblita ſexus fragilis, ipſa cum lachrymis aſtans Cruci, & condolens morienti animam ſuam pro Filio ſuo etſi minimè poſuit patiendo, tamen expoſuit compatiendo.*

Augmentum doloris, ad illa verba Mulier ecce Filius tuus, *acceſſit*.

VIII.

AD illa verba Mulier ecce Filius tuus, quibus mirabilis illa adoptio inſtituta eſt ex teſtamento Dei morientis, & dilectus IOANNES Virgo, Virgini Virginũ dilectiſſimæ MARIÆ pro Filio IESV ſubſtitutus eſt, luculento vulnere gladius doloris cor traiecit. *An non* inquit S. Bern. ſ. de annunc. *pluſquam gladius fuit ſermo ille diuinus, Mulier ecce Filius tuus?* Inde paulò poſt in hæc verba exclamat. *O qualis commutatio! Ioannes pro Ieſu traditur, ſeruus pro Domino, diſcipulus pro Magiſtro, Filius Zebedei pro Filio Dei, purus homo pro vero Deo!* Hæc melliflui Doctoris verba ab Auguſtino mutuata ſunt epiſt. 50. ad Paul. Quanquam in illa voce MVLIER mulierem apellatam fuiſſe non Matrem, vt ſummo dolori lenimentum aliquod daretur putat S. Io. Chryſoſt. tom. 3. hom. 84. in Io. his verbis. *O bone Ieſu quid Matrem tuam erubuiſti, quæ te tam diligenter nutriuit, reuerenter tractauit, dulciter lactauit? tam durè loqueris mulierem inquiens?* Inde ſtatim corrigens ſe veluti, ſubdit: *Ideò factum eſſe arbitror, ne materno nomine amplius dolorem excitaret. Non enim tempus tunc erat Matrem dulciter alloquendi, nec nomen Matris exprimendi. Si enim* inquit Io. Gerſon. de Paſſione Dom. *dixiſſet,* Mater *cor defeciſſet Mariæ, nec potuiſſet, quin diuiſum fuiſſet, aut raptum pietate.*

Ineptè tamen relationes Matris, & Filij inter MARIAM, & IOANNEM finguntur, licet mutuus affectus non minor naturali inditus ſit.

IX.

INeptè fingi has nouas relationes reales inter IOANNEM, & MARIAM notat Maior Matth. 27., & ex ipſo Theophil. Ravnaudus in Dipt. Mar. p. 1. puncto 9. Impoſſibile eſt enim conſurgere has relationes reales ſine ratione fundandi, quę eſt realis generatio, nimirũ iuxta philoſophũ origo viuentis a viuente, tanquam ex principio coniuncto in ſimilitudinẽ naturę. Hæc per ſolã denominationem extrinſecã voluntatis eſſe non poteſt. Quomodo MARIÆ maternus affectus in IOANNEM, & IOANNI filialis in MARIAM inditus ſit explicat S. Cyrillus in 19. Io. his verbis. *Commendauit Chriſtus Matrem diſcipulo, vt officium Filij in eam ſeruaret. Matrem quoque admonuit, vt Parentis in diſcipulum authoritatem haberet. Amore videlicet, atque charitate non minus illos coniungi voluit, quam ſi natura maxima propinquitate coniuncti eſſent.* Similia habent S. Cyprian. tract. de paſſ. S. Bernardinus Sen. t. 1. ſ. 55. de paſſ. Ch. & Rupertus Abb. ad verba notata *Mulier ecce Filius tuus*. Adoptio hæc mirabilis fuit in fauorem Filij, nimirum dilecti diſcipuli, ſed ex amore Matris, nimirum MARIÆ. Vnde eloquentiſſimus Martyr S. Cyprian. alloquens Chriſtum Dom. ſic ait. *Nunc materno moueris affectu, & thalamum humanitatis tuæ Cubiculario dilecto commendas, & prouides ſedulo Apoſtolicam clientelam,*

& obſequium Virginis, Virgini diſcipulo tradis &c. Poſitus eſt inquit Arnold. Abb. tr. de verbis Dom. *fidelis æditũus ad tanti theſauri cuſtodiam: Diſcipulus, qui in cœna dominica ceruical ſibi in pectore, Magiſtri aptauerat, ecce iterum alio priuilegio honoratur, & poſt illud reclinatorium, in quo viderat, in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, officina illa in qua Verbum caro factum eſt diligenter a Filio illi commendatur. Probato, dilectoque diſcipulo pudor virgineus, Matris thalamus, & ſanctimonia integritas aſſignatur, vt teſtis eſſet idoneus. Virgo Virgini, fidelis cubicularius Matris Domini ſui, miniſter deuotus. Pro reuerentia Magiſtri vires Filij naturalis, Filius accepit adoptiuus, & transfunditur in miniſtrum filialis affectus, formaturque in ambobus pietatis vnica gratus, conſorſque complexus, non ex traduce naturæ, ſed ex munere gratiæ. Vnum igitur contubernium Ioannis, & Mariæ Virginitas accepit, & vnius moris in domo vnum integritatis propoſitum, vnã habitationẽ meretur, communemque conuictum. Ecce Ioannes piæ hæreditatis ſuſcipis teſtamentum, eligeris; & in hoc præponeris omnibus.* Hæc Arnoldus. Certè nullum dilecto homini maius munus fieri poterat a Deo amanti, quam depoſitum Matris, & in ea cæli, terræque theſaurus inæſtimabilis.

Lancea pectus Filij mortui, & Matris viuentis animam tranſuerberauit.

X.

VLtimus ictus, quo Simeonis gladius in Beatiſſimã MARIÆ ſtantis, dolentiſque animã vſque ad capulum immerſus eſt, fuit ille

ictus, quo lancea Filij iam exanimis latus intrauit. *Verè o Beata Mater* ait S. Bern. ſ. de Annunc. *animã gladius pertranſiuit, quando crudelis lancea Filio iam mortuo latus aperuit. Ipſius nimirum anima iam ibi non erat, ſed ita planè ibi aderat, vt pluſquam Martyrem te non immerito prædicemus, in qua ſenſum corporeæ paſſionis exceſſit affectus compaſſionis.* Reuera fuit pertranſiens animã, & quaſi pertingens vſque ad diuiſionem animæ, & ſpiritus. *Diuiſit* inquit Lanſpergius in vit. Ch. *Chriſtus cum Matre ſua huius vulneris iniuriam, vt ipſe quidem perſequutionem, & vulnus exciperet; ſed tamen dolorem non ſentiret, Mater verò huius vulneris in ſe pœnam reciperet.*

An moriente Filio Deipara Virgo amiſerit relationem Matris.

XI.

PHyſicè concedendum eſt; non tamen moraliter, quia Filius terminus relationis maternitatis, per mortem anima a corpore ſeparata deſtructus eſt, ſed perſeuerauit ſemper in ea excellentiſſima dignitas Matris Dei. Hæc fuſius explicata inueniuntur apud Suarez t. 2. in 3. p. diſp. 12. ſ. 3. Fauet aureis verbis Pet. Chryſol. ſ. 146. *Quomodo* ait *non ante conceptum Mater, quæ poſt partum Virgo Mater? Aut genitrix quando non, quæ ſæculorum generauit Authorem?* Et certè in B. Virgine eſt peculiaris ratio, cur Mater eſſe non deſierit moriente Filio, nam licet non permanſerit hic homo, permanſit eadem Perſona verbi, quæ Chriſtum Dominum viuum conſtituebat, per vnionem hypoſtaticam, animæ, corporique

inter

inter ſe diuiſis vnita. Illa tamen relatio phyſicè, quæ erat inter Matrem, & Filium viuentem, vt docet Suarez loc. cit. redijt in reſurrectione, quia IESVS Chriſtus rediuiuus erat ille idem numero homo, quem ipſa Deipara Virgo genuerat.

An boni latronis conuerſionem Deipara impetrarit.

XII.

A Multis dubitatur; aſſeritur tamen ab aliquibus, quos refert Theophil. Raynaud. in tract. de S. Latrone c. 6. n. 17. quibus addere poſſumus Auendagnũ ſerm. de Aſſumpt. Virg. diſc. 3. & eruditiſs. Nouarinum in vmb. Virg. n. 713. Non audeo refragari piæ ſententiæ, licet non videam magis efficax fundamentum huius conuerſionis Matre Dei Filium interpellante, quam conuerſionis Centurionis Longini, & aliorum, *qui reuertebantur percutientes pectora ſua*, & dicentes *verè Filius Dei erat iſte*. Imo veriſimile eſt. B. Virginem; cum ipſa ſit mediatrix omnium peccatorum in ſua Caluarij ſtatione prope Crucem enixè oraſſe pro omnibus peccatoribus, peculiariter autem pro illo latrone Filij ſui collegha, quem ſui corporis vmbra, & præſentiæ ſuæ ſplendore cominus feriebat. Ad quod innuendum inquit Ricch. a S. Laur. l. 2. de Deip p. 1. c. 16. Chriſtus moriens ipſum habuit ab Aquilone, quo ſignificantur peccatores; *quaſi hoc ipſe diceret, quod ipſa mediante dexteram ſuæ protectionis extenderet peccatoribus congelatis, quod & ipſe facit adhuc nobis peccatoribus, prout ſignificat imago Crucifixi.* Imò idem Ricchardus

a S. Laur. l. 2. loco proximè alleg. ex quo deſumpſit deinde Nouarinus in ſua vmbra Virginea nu.470. aſſerit Chriſtum Dominum in ſuo obitu inclinaſſe caput (cum caput Chriſti ſit Deus) vt innueret flexum iam Deum eſſe, & annuiſſe MARIÆ pro peccatoribus deprecanti.

Quomodo omnium hominum ſalutem iuuerit; & quomodo titulus Redemptricis, atque huiuſmodi alius temperandus ſit.

XIII.

IVuiſſe Dei Matrem redemptionem humani generis clamant paſſim SS. Patres, ſed quomodo iuuerit non vna ſententia eſt. Certum eſt Redemptionem propriè fuiſſe opus theandricum Filij Dei. Et quidem vt docet S. Ambroſ. l. 10. epiſt. & l. de inſtit. Virg. IESVS non indigebat adiutore ad Redemptionem omnium, qui omnes ſine adiutorio ſeruauit, de quo Dauid pſ. 87. ante prædixerat. *Factus ſum ſicut homo ſine adiutorio*. Et Iſ. c. 63. *Circumſpexi, & non erat auxiliator*. Suſcepit quidem affectum Parentis, ſed non quæſiuit alterius auxilium. Eadem habet S. Bonauent. lib. 3. ſent. diſt. 3. quæſt. 2. iuxta illud *Torcular calcaui ſolus*. Imò monet ne Filij gloria minuatur, dum Matris excellentia ampliatur, & ſic magis prouocetur, quæ magis velit extolli Filium ſuum, quam ſe ipſam. Simpliciter dicere B. Virginem fuiſſe Redemptricem Mundi, niſi dictum aliquo modo temperetur conuenit hæreticis teſte D. Epiphan. hær. 78. & patet ex Luca Oſiandro hæretico contra aſſertiones Doctoris forenſis, & ex alijs. Ex altera parte paſſim SS. Patres inculcant para-

lellum inter Euam, & MARIAM, quaſi altera mundum perdiderit, altera repararit S. Ireneus contra Valent. c.33. S.Fulgent. ſ.de laud. Mar. S. Epiphan. contra Antidicomarianitas, S. Auguſt. ſ. de Aſſumpt., S. Bernard. ſ. de eadem, S. Io. Chryſoſt. ſ. de interdict. arboris ad Adam, Sergius Hieroſolym. de nat. Virg. B. Amedeus Lauſan. hom. 7. Innocentius III. Summus Pontifex ſ. 2. de Aſſ., & inter recentiores doctiſſimus Salmeron tom. 10. tract. 60. Torres de clamat. 3., & alij. S. Ireneus B. Virginem *cauſam ſalutis* appellat, S. Anſelmus *reparationem perditi orbis*, S. Ephrem *captiuorum redemptionem, & omnium ſalutem*, Serguis Hieroſolym. *expultricem tenebrarum, reparatricem Adæ, renouatricem Euæ, immortalitatis fontem*, S. Epiphan. *reuiuiſcentium matrem*, B. Laur. Iuſtinian. *reparationem ſæculi, lucem mundi*. *Planè* inquit S. Io. Chryſoſt *reſtauratur per Mariam, quod per Euam perierat*. Et D. Bern. ſ. 89. de natiu. Mariæ ait. *De plenitudine eius accipiunt vniuerſi, captiui redemptionem &c.* Deindè ſubdit *meritò Domina reſpiciunt in Te oculi vniuerſæ creaturæ, in qua, & ex qua benigniſſima manus Dei, quidquid creauerat, recreauit*. Egregiè quoque dixit loco, iam alleg. S. Auguſtinus. *Mater enim generis humani pœnam intulit mundo, Genitrix Domini noſtri ſalutem dedit mundo. Auctrix peccati Eua, auctrix meriti Maria. Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit, illa percuſſit, iſta ſanauit*. In hoc ſenſu ab Hugone Cardin. vocatur B. Virgo *Adiutorium Altiſſimi*, & ab Alberto ſuper miſſus eſt *Adiutrix redemptionis*. Quo modo hi tituli Mariani circa Redemptionem acci-

piendi

piendi ſint, & quomodo Deipara Virgo ſalutem hominum iuuerit, docet ſcitè Suarez t. 2. in 3. p. diſp. 23. ſ. 1. his verbis. Primò merendo de congruo Incarnationem (nimirum ſaltem quoad circumſtantias, & præſertim maternitatem ſuam): Secundò orando, & petendo, & quandiu fuit in vita de congruo merendo nobis ſalutem! Tertiò concipiendo Chriſtum noſtræ ſalutis Authorem. In quadruplici genere cauſæ aliquo modo concurriſſe ad opus redemptionis humanæ B. Virginem probat doctiſſimus, ac pijſſimus S. Antoninus 4. p. t. 15. c. 20. §. 10. his verbis. *Et in genere quidem cauſa efficientis poſt Deum, ſub Deo, & cum Deo, quia ipſa nobis illum genuit, qui nos omnes recreauit, ſeu regenerauit per paſſionem ſuam, virtutem gratiæ conferentem in Sacramentis, & vt ſuum Filium gigneret ſuis virtutibus de congruo promeruit. Cauſa materialis fuit Virgo huius recreationis noſtræ, quia Spiritus Sanctus de puriſſimis eius Sanguinibus conſenſu mediante accepit, quod in corpus formauit Chriſti, per quod Redemptio noſtra, & recreatio facta fuit. Cauſa verò formalis, quia ſua conuerſatione cæleſti, ſpeculum eſt omnibus conuertendi ſe ad Deum. Cauſa denique finalis, quia totum opus Redemptionis poſt Deum in Chriſti Filij eius, vt homo eſt, honorem, & gloriam eſt ordinatum, & propterea ſeniores coronas ante pedes Agni deponunt.* Hac temperatione etiam explicat Caniſius quo pacto iuuerit Redemptionem l. 5. c. 12. & concludit cum Arnold. Cornot. in tr. de L. Mar. *Vna eſt Maria, & Chriſti caro, vnus ſpiritus, vna charitas, & ex quo dictum eſt ei, Dominus tecum, inſeparabiliter perſeuerauit*

 promiſſum,

lellum inter Euam, & MARIAM, quaſi áltera mundum perdiderit, altera repararit S. Ireneus contra Valent. c.33. S.Fulgent. ſ.de laud. Mar. S. Epiphan. contra Antidicomarianitas, S. Auguſt. ſ. de Aſſumpt., S. Bernard. ſ. de eadem, S. Io. Chryſoſt. ſ. de interdict. arboris ad Adam, Sergius Hieroſolym. de nat. Virg. B. Amedeus Lauſan. hom. 7. Innocentius III. Summus Pontifex ſ. 2. de Aſſ., & inter recentiores doctiſſimus Salmeron tom. 10. tract. 60. Torres de clamat. 3., & alij. S. Ireneus B. Virginem *cauſam ſalutis* apellat, S. Anſelmus *reparationem perditi orbis*, S. Ephrem *captiuorum redemptionem*, *& omnium ſalutem*, Serguis Hieroſolym. *expultricem tenebrarum*, *reparatricem Adæ*, *renouatricem Euæ*, *immortalitatis fontem*, S. Epiphan. *reuiuiſcentium matrem*, B. Laur. Iuſtinian. *reparationem ſæculi*, *lucem mundi*. *Planè* inquit S. Io. Chryſoſt *reſtauratur per Mariam, quod per Euam perierat*. Et D. Bern. ſ. 89. de natiu. Mariæ ait. *De plenitudine eius accipiunt vniuerſi, captiui redemptionem &c.* Deindè ſubdit *meritò Domina reſpiciunt in Te oculi vniuerſæ creaturæ; in qua, & ex qua benigniſſima manus Dei, quidquid creauerat, recreauit*. Egregiè quoque dixit loco, iam alleg. S. Auguſtinus. *Mater enim generis humani pœnam intulit mundo, Genitrix Domini noſtri ſalutem dedit mundo. Auctrix peccati Eua, auctrix meriti Maria. Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit, illa percuſſit, iſta ſanauit*. In hoc ſenſu ab Hugone Cardin. vocatur B. Virgo *Adiutorium Altiſſimi*, & ab Alberto ſuper miſſus eſt *Adiutrix redemptionis*. Quo modo hi tituli Mariani circa Redemptionem accipiendi

piendi ſint, & quomodo Deipara Virgo ſalutem hominum iuuerit, docet ſcitè Suarez t. 2. in 3. p. diſp. 23. ſ. 1. his verbis. Primò merendo de congruo Incarnationem (nimirum ſaltem quoad circumſtantias, & præſertim maternitatem ſuam): Secundò orando, & petendo, & quandiu fuit in vita de congruo merendo nobis ſalutem! Tertiò concipiendo Chriſtum noſtræ ſalutis Authorem. In quadruplici genere cauſæ aliquo modo concurriſſe ad opus redemptionis humanæ B. Virginem probat doctiſſimus, ac pijſſimus S. Antoninus 4. p. t. 15. c. 20. §. 10. his verbis. *Et in genere quidem cauſa efficientis poſt Deum, ſub Deo, & cum Deo, quia ipſa nobis illum genuit, qui nos omnes recreauit, ſeu regenerauit per paſſionem ſuam, virtutem gratiæ conferentem in Sacramentis, & vt ſuum Filium gigneret ſuis virtutibus de congruo promeruit. Cauſa materialis fuit Virgo huius recreationis noſtræ, quia Spiritus Sanctus de puriſſimis eius Sanguinibus conſenſu mediante accepit, quod in corpus formauit Chriſti, per quod Redemptio noſtra, & recreatio facta fuit. Cauſa verò formalis, quia ſua conuerſatione cæleſti, ſpeculum eſt omnibus conuertendi ſe ad Deum. Cauſa denique finalis, quia totum opus Redemptionis poſt Deum in Chriſti Filij eius, vt homo eſt, honorem, & gloriam eſt ordinatum, & propterea ſeniores coronas ante pedes Agni deponunt.* Hac temperatione etiam explicat Caniſius quo pacto iuuerit Redemptionem l. 5. c. 12. & concludit cum Arnold. Cornot. in tr. de L. Mar. *Vna eſt Maria, & Chriſti caro, vnus ſpiritus, vna charitas, & ex quo dictum eſt ei, Dominus tecum, inſeparabiliter perſeuerauit*

promiſſum, & donum, & Filij gloriam cum Matre non tam communem iudico, quam eandem. Quid, ergo mirum ſubdit eadem vocabula, quæ Chriſto alioquin debentur, Matri nonunquam adſcribi? His conſonat reuelatio facta S. Birgittæ ab ipſa B. V. ſic loquente. *Sicut enim Adam, & Eua vendiderunt mundum pro vno pomo: ſic Filius meus, & ego redimimus mundum quaſi vno corde.* In hoc ſenſu temperanda ſunt dicta PP. quibus B. V. dicitur *Mater gratiæ, radix gloriæ &c.* vt notat Raynaudus in nomencl. Mar. vnde inſulsè blaterat Caluinus Chriſtum Dominum de ſolio deijci, & redigi ad ſubſellium, Lutherus eſſe Monaſticū gnatoniſmum; Melancton in locum Filij Dei ſucceſſiſſe Matrem. Hos, & ſimiles grunnitus impij gregis eruditè conprimunt Pet. Caniſ. l. 5. c. 11., & Iodoccus Coccius t. 1. theſ. l. 3. a. 5., & alij. Liberatur loc. cit. a Theoph. Raynaudo B. Pet. Dam. a calumnia, quam affingunt de collato, ſ. 2. de natiu. DEÆ titulo B. Virgini, cum nuſquam hoc dixerit, & inſidi allegatoris facinus ſit. Imò explicat quomodo ab Heſichio or. 3. nunquam B. V. appellata ſit. *Complementum Trinitatis*, qui tamen titulus tanquam glorioſiſſimus vulgò circumfertur. Heſichius comparans MARIAM cum Arca Noe ait. *Illa ipſum Noe: hæc vero ipſius Noe factorem portauit. Illa duas, & tres contignationes, & manſiones habebat, hæc autem vniuerſam Trinitatis plenitudinem* (ita ſonat vox græca *Plyroma) quandoquidem & Spiritus Sanctus aduenìebat, atque hoſpitabatur, & Pater obumbrabat, & Filius vtero geſtatus inhabitabat.* En quam longè a ſenſu vulgato dicitur B. Vir-

go *complementum*, vt aliqui vertunt, ſiue plenitudo Trinitatis ab Hetichio, qui illi tantum plenitudinem gratiarum ab omnibus diuinis perſonis attribuit! Addit his omnibus Salazar in c. 8. prouerb., quod ſi per impoſſibile nulla interueniſſet Patris voluntas, & ſola Virgo cupijſſet, voluiſſetque Filium mori pro hominibus, id ſuffeciſſet, vt Chriſtus Matri ſuæ morem gerens mortem libenter aggrederetur. Ex his omnibus patet quantum humanum genus ex maximo Redemptionis beneficio Deiparæ Virgini debeat.

PRIMA MATER
Filium Rediuiuum ſpectat.
EPINICION.

ELOG. XXVI.

Surgam, & circuibo Ciuitatem &c. Paululum cum pertranſiſſem eos, inueni, quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam. Cantic. 3.

Reſpondens autem Angelus dixit mulieribus. Nolite timere vos; ſcio enim quod Ieſum, qui crucifixus eſt, quæritis. Non eſt hic, ſurrexit enim ſicut dixit. Matth. 28.

En quantò glorioſius fuit
renaſci Dei Filium in terris, quam naſci!
Naſcenti Genethliacon muſici Angeli
primi cecinerunt:
renaſcenti MARIA oratrix,
prima epinicion dixit.
Moriturus ſeruorũ cantus in leuamẽtũ doloris,
immortalis in gratulationem gloriæ,
Matris voces poſcit.
Sed vnicum VERBVM viſum, Filius
omnia ferè loquentis Matris verba
gaudiorum mole ſuppreſſit,
vnde diuini triumphi epinicion,
amori Mariano tribuendum eſt, non ori.
Magni Sabbati reſurrectionis aurora,
ſine MARIA eſſe non debuit,
quæ Aurora Solis æterni,
prima diem immortalitatis inuexit.
E Cruce depoſitus Filius venit,
vt cruciatam adhuc Matrem

e viua cruce deponeret.
Illachrymantem inueniens,
lachrymas non ſuſtulit, ſed mutauit;
in dulciſſima gaudia corde eliquato.
Ita potuit Sol Empyrei
in nube roſcida lachrimanti,
repercuſſis corporis beati radijs,
illicò animare Iridem pacis,
& cæli riſum in terris dare.
Ad oſcula manuum
iure tantum materno MARIAM admiſit;
alteram Mariam etiam amantem
reiecturus ab oſculo pedum.
Quid enim manus
a maternis oſculis amoueret,
quas iam Cruci arctius deſponſarat?
Illam amplectens Filius vulneribus glorioſis
vulnerauit ſimul, & beauit.
Neque enim ſine ſummo gaudio,
in corde ſua ſtygmata inurit Deus amor.
Inſpexit in vulneribus Filij Mater
lucrum ſuum;
Infanti nimirum ſe lac inſtillaſſe Filio,
qui vir totum ſanguinem pro Matre fuderit.
Nazarenus deinde refloreſcens
præſentia ſua hyemem mortis
abijſſe demonſtrauit,
& in vno flore campi,
omnium Paradiſum deliciarum exhibuit,
ſterili lacerati capitis ſenticeto,
toti corpori æterna roſaria germinante.
Ipſius Filij triumphatoris ſalutationem
laureati Patrum exercitus, plauſus excepit,
vt iam conſtaret Matrem eſſe,
& victoriarũ comitem, & ſociã triumphorũ.

Poſt victam mortem, debellatum erebum,
cælum expugnatum,
hoc vnum ad triumphi cumulum deerat,
vt Matris domus
Filij triumphatoris capitolium eſſet.
Quis enim IESV triumphus eſſe poterat
MARIA abſente?
Sine Matre feſtiuum reſurrectionis Paſcha
Filius mundo dare non poterat.
Felix Mater, quæ adorabat Filium
rediuiuum in thalamo,
quem aliæ Mulieres mortuum,
quærebant in tumulo.
Alijs accurrentibus ſtetit:
in horto prudenter non quæſiuit,
quod domi habebat.
An non hanc domum amare debuit
aſcendens ex erebo,
qui eam petierat deſcendens e cælo?
Tanti MARIÆ domum olim æſtimauit,
vt cælo Deus illam prætulerit.
Certè vti non deſeruit ſinũ Patris Dei Filius,
niſi vt in Matris ſinum veniret;
ita nunc a maternis non auolaret amplexibus,
niſi vt ad paternos rediret.

Perpendere geſtit chriſtiana deuotio quantus torrens gaudij repente inundans, locumque vulneris replens animam eius ferro doloris confoſſam inebriauit; cum Rediuiuus Filius illi ante omnes fortaſſe mortales materno Virginem non defraudans honore, victoriam ſuam annunciauit, & dulcia carnis ſuæ vulnera, quam illam veram de carne ſua carnem conceptam peperit, deoſculanda præbuit. Rupertus l.7.de off.c.25.

Tu glorioſa Natum ab Inferis aſcendentem vidiſti. Nati gloriam beatiſſimis oculis aſpexiſti. vidiſti, & defeciſti: Defecit caro tua, & cor tuum. Liquefacta eſt, vt vocem dilecti Filij tecum loquentis audiſti. Factum eſt Verbum eius quaſi ignis flammigerans in oſſibus ſuis. Ergo diuinis ignita colloquijs tota effecta es velut ignis, teque holocauſtum Deo ſuauiſſimum obtuliſti. Amedeus Lauſanenſis hom. 6. de Deip.

Prima Mater Filium rediuiuum ſpectat.

CAP. XXVI.

MOrienti Filio antequam Mater in terris, Pater funeralibus prodigijs parentat in cælo, Solis defectu, cæli ſquallore, terræ tremoribus, Templi ruina, lapidum eiulatu, Inferorum, vt inferias celebrarent, e ſepulchris manumiſſione. Vniuerſa natura Conditoris ſui mortem teſtatur, & iuſtiſſimè Parenti optimo iuſta perſoluit. Prima poteſtas tenebrarum fuit, vt Patre luminum oculos in terris claudente, diem ipſum in cælo extingueret, & maiore oppreſſo, minorem etiam Solem ſuffocaret. Ita immerſa in noctem dies eſt, vt potuerit exhiberi etiam meridie ſacrificium veſpertinum. Nox tamen iſta adſcribi potius debet Deo, quam Soli occidenti. Ille maiorem in Cruce, quam hic in cælo ecclypſim paſſus, noctem aduocauit inter Antipodas otiantem. Ipſa mi IESV iuſtitia cum ſis, eas,

quas

quas nocti eripueras naſcens, horas, intempe-ſtiuum Solem accendens, ablatas nunc a die, moriens nocti reſtituis, & ita etiam diei, noctisque lites componis Princeps pacis. Non debuit mundus tam infandi ſceleris oculatus teſtis eſſe, vt quando cæci homines Filij tenebrarum neſciebant quid facerent, etiam ipſe Sole extincto prorſus exoculatus, neſciret quid fieret. O ſummam morientis Dei paupertatem! Moritur ſublimis in Cruce, non aqua tantum, & igni, ſed terra, qua nullus terræ filius caret moriens, interdictus. Inde nullam patitur in funeris pompa facem accendi, imò ipſam iubet cæli lampadem, quæ omnibus gratis lucet, extingui. Sed dum lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehendunt, eidem, quem mundus non cognouit, ignoto Deo, vbique litauit. Parum erat tantam calamitatem Dei morientis ad lachrymas cælum excitare, niſi etiam excæcaſſet, & iure, ne vllus hominum diuinæ tragediæ, quã cælum, & elementa omnia horrebant, poſſet eſſe ſpectator. Ita pullatus mundus Domini ſui funeri affuit, & atrata luxit rerum omnium vniuerſitas Authorem ſuum. Idem ſpectaculum, quod cælo, oppreſſa die, fere cæli cardines mouit, libratum ponderibus ſuis orbem terrarum concuſſit, ne vlla pars mundi luctu vacaret. Impoſito ſiquidem ſcelerum grauiſſimo, nimirum Deicidio, terra tantum flagitij pondus iam ferre non potuit; vnde facta extra centrum grauitatis ponderoſior tota contremuit. Experta fortaſſe terra eſt an poſſet a centro dimoueri, & IESVM abeuntem ſequi, amores ſuos. Erratis inter ſiderum veſtrorum

errores Aſtrologi, cum in cælo tantum trepidationis motum adſtruitis: nunc tellus ſuſpenſo fere præ ſtupore cælo, & immoto, tota trepidauit. Niſi dicamus omni trepidatione excuſſa, orbem redemptum nouum exultationis motum inchoaſſe. Verius tamen dixeris illum motum erebi timorē fuiſſe, Triumphatoris aduentum formidantis. Artis prodigium fuit ferrum, quod malleo domitore ſupra incudem in clauos prodierat, vbi in officina caluarij, vulcania nimirum amoris illud mundi faber tractauit, in ignitum fulmen momentò fuiſſe conuerſum, quod Superis fulgurans, Inferis tonans, tremefacto Erebo, terram vndequaque concuteret. Nemo verò miretur Proreta laborante, altum per inane fluctuare mundi nauigium. Nemo miretur attractis omnibus a cruciario amore, mundū a ſuis cardinibus auelli, & ad Dei morientis aſpectum, moribundum ruinam machinari. Potius lætetur, vbi Mundus, vt largius bibat cruoris diuini deciduas guttas, ſapienter, ac feliciter ſe excutit. Ipſi lapides terram parentem imitati moti ſunt, & ſciſſi, vulneribus ſuis mortem Conditoris teſtantes, ingenti eiulatu planxerunt. Ne adorarentur inter templorum altaria in Idolis ſignati, iam ſe ſe adhuc rudes frangunt. Oppoſito miraculo humani ſunt lapides, cum homines lapidei ſunt, & ſaxea corda eodem dolore durantur, qui ſaxorum corda perfregit. Itane Iudæi ad illud nefas immoti ſtatis, quod ipſa ſaxa diſſilientia exhorreſcunt; & quando nihil legis veſtræ habetis præter lapideas in corde tabulas, neque nunc in tanta lapidum contritione contriti, corda diſrumpi-

tis? Ad inſolentem lapidum lacerationem lapidea ſepulchra patuerunt. Hæc prima mulcta morti imponitur, quæ vitam occiderat, vt cadauera, quæ iam dudum, tanquam catenata mancipia ſub arctiſſima cuſtodia habebat, manumittat, cæloque reſtituat; niſi velis primogenito mortuorum naſcente ad vitæ immortalitatem, inter feſta hilaria a morte ipſa carceres ſuos frangi, captiuoſque liberari, vt ei famulentur, qui ſolus ex ſe ſe erat inter mortuos liber. Incipit nunc primùm Erebus debellari, cum proxima propugnacula mortis expugnantur. Ambire viſa eſt tellus diuinum corpus, vnde omnibus ſepulchris patentibus, vbique exceptura tantum Hoſpitem, ſinum aperuit. A Sole tenebricoſo, Luna ſanguinea, terræ tremore, conflictu lapidum, totiuſque conſternatione naturæ, apertis ſepulchris, fortaſſe ſuſpicati ſunt mortui aduentaſſe diem extremum, & non expectato Tubicine Angelo claſſicum funeſtę illius pugnę, in qua omnia excindentur, perſonante, iniuſſi reſurrexerunt. Mortui homines nunquam credidiſſent Deum mori potuiſſe, niſi rediuiui vidiſſent. Opportunè tamen mortui reſurgitis, nā nunc etiamſi ſublatus videatur Iudex, iudicium eſt mundi, qui reus pullato ſyrmate iam veſtem mutauit, & excuſſa tellure quamprimùm Princeps huius mundi eijcietur foras.

Orbis terrarum motus Templi quoque Hieroſolymitani ita fundamenta concuſſit, vt ſciſſo velo, magno illo hiatu veluti ore cæperit ſibi ominari ruinas ſuas, & minari. Auguria ruinæ proximiora habebitis Hebræi Myſtæ, cum Aquilæ Romanæ malis auibus ſacra ve-

ſtra inceſtabunt. Interim ex hoc ſacri parietis vulnere luculento, Templi veſtri caſum, Sacerdotij finem, vrbis cladem, Reipublicæ excidium, ac totius Regni vaſtitatem expectate. Illius ferri, quod in Deum armaſtis pars Iudeæ iugulum petet, pars iugum imponet, vt repudia mortis, quæ Romanus gladius excindere dedignabitur, venalia ſemper, & palabunda mancipia populis omnibus infeliciter ſeruiant. Quanquam quid egetis templo, qui ſacrilegè Deum abieciſtis; quaſi ſine Deo Templum eſſe poſſit? Herodianum Templum eſt, non Diuinum, & Romanum Pantheon. Herodes in eo dudum ſacrilegus ſibi, & Romanis idolis litauit. Fruſtra etiam, & otiosè Sancta Sanctorum cuſtoditis, nam iam tabulas Moſaicas vbique fregiſtis, & nullam legem habetis. Iam ſacra celebratis ſine Sacerdotibus, neque enim hoc nomen merentur infulati latrones, ſacrificia depeculantes, & ſolas rapinas in diuinis holocauſtis impiè exercentes. Vnus innocens Agnus dominator terræ, qui occiſus eſt, totum orbem terrarum, & omnium hominum ſcelera expiauit, imò veſtro abrogato commune Regnis omnibus æternum Paſcha conſecrauit. Altaria Hieroſolymitani templi, vbi Hebræus imbuerit cruor, Romanus adolebit ignis. Ignis hic incenſo ipſo in ſacrificium Templo, totius Reipublicæ buſtum accendet, & funus celebrabit. Iterum Sole reddito, mundus oculos aperuit, & nouus ſine aurora dies illuxit. Terra etiam ſtetit poſt primos tremores ſtupore defixa, & poſt longum eiulatum immoti lapides horrore perculſi ſiluerunt. In diuerſa ſtudia abierunt. A lij

poſt

poſt mota leuiſſima per iocum capita, lapideum pectus ſciſſum dolore percutientes, iurati Dei morientis teſtes, agnoſcunt VERBVM eſſe, quod clamando expirauit, & Dei Filium illum, cui vniuerſa natura parentabat. Intellexiſſe ſe diuinam tragædiam demonſtrant, cum cælo obducente ſiparium, & lumina extinguente, cordatum hunc plauſum, quem illa merebatur, ſapientes ſpectatores dederunt. Inter ſaxea corda inuenti ſunt adamantes, quos Agni diuini frangeret cruor. Aliorum militum ſtudium fuit iactis aleis textilem pauperis, & nudi IESV clamydem, omnem eius ſupellectilem indiuiſam ſibi ſortiri, ignorantes quantus in ea theſaurus lateret, quam diuini ſanguinis pyropi ad ſtellantis Cæli inuidiam illuſtrabant. Si illius regij paludamenti pretium nouiſſent, nunquam aleis tantam felicitatem crediſiſſent. Etiam nunc execrabiles aleæ veſtem inconſutilem, vnicum IESV morientis patrimonium abliguriunt, cum ſacris Sacerdotum manibus ſacrilegè exercentur. An tolerabit in Eccleſia Chriſtus diuiſionem, & ſectas illam ſecantes, qui ne quidem ſectam tunicam, & ſcyſma clamydis patitur? An non exiget integritatem in moribus, qui illam amat in veſtibus? Vna eſt cæleſtis Sponſa Diuinitati ſimillima, quam, ſi multiplicas, perdis. Petri Nauicula non poteſt niſi integra feliciter velificari: quæcunque rimula niſi religioſa occludatur manu, naufragium parit.

Vltra omnem deinde barbariem progreſſa Iudęa crudelitas, quę innocentē impiè occiderat inhumanè ſęuit in mortuum impacta Lon-

gini Centurionis manu in cor amantis IESV, quod pharetram ſui amoris exhauſerat, lancea militari. Innocentis Abſolonis Nazarea Cæſaries de arbore infelici ſuſpenſa, Longini non Ioabi lanceam prouocauit, ſed ſero vulnere, nam ab amore apertum pridem, tranſuerberatur pectus. Hoc etiam deerat vulnus mortuo, vt mortem geminaret? Sed cæcus Centurio in vulnerato tuo corde mi IESV fontem lucis inuenit, nec diem tantum, quam amiſerat recepit, ſed aliam meliorem aquiſiuit, cum diluculo fidei oculos aperuit. Vbi enim Empyreus Sol roſeam pectore ſuo patefecit auroram, ſalutis ſine occaſu orientem diem vidit, ex Deo occidente. Cælum ipſum, quod vt tanti ſpectaculum amoris ſpecularetur, iterum Solem mundi oculum accenderat, mortalium neminem voluit cæcum eſſe. Prima hęc experientia fuit vulneris totum orbem terrarum ſanaturi. Vnus Deus ſuo ſanguine potuit cæco militi cælum reſtituere. En quam minime paralella diuinis humana ſunt! Miles inter beneficia maleficus ſitienti Deo mortem in felle propinat: Deus inter maleficia beneficus cæco militi vitalem aquam ſcaturit, in qua lucem hauriat. Videte mortales quam originem habeat Nilus gratiæ per ſeptem Oſtia Sacramentorum fluens in mediterraneũ terrenorum hominum mare! Aurea recuduntur innocentiæ ſæcula: in medio Paradiſi prope lignum vitæ fons iterum ſcatet irriguus, vniuerſam irrigans terram. Rex dolorum ex papillatis in Cruce bracchijs mamilla Regum, nimirum amanti ſuo corde lac ſtillat, vnde naſcentis fidei, ac totius orbis renaſcen-

tis

tis lactet infantiam. A terris ad cælum eunti vnica hæc patet ex carbunculo ianua. Sciſſo diuiniori Templi ſacri corporis velo iam patent Sancta-Sanctorum; & iure, nam ſeruis arcana tegi debuere,non amicis. Deerat hoc etiam tot victorijs trophæũ, lancea cor Victoris ferens. Augurium ſummæ felicitatis in extiſpicio non victimæ, ſed Sacerdotis habemus. Illius etiam cæſi, & mortui cor ardens ingentem vim auſpicatur amoris. Scrutante ferro diuini cadaueris aureum cor e vulnere ſanguis exiuit,& aqua. Ipſum ferrum madens erubeſcere dixiſſes, & lachrymari ad ſcelus, quod pluſquam ferrea manus intentarat. Os lancea vulnificum in corde aperuit, vt orator cordium, cor orare poſſit; in Dei enim VERBO non tantũ leguntur amores, ſed cor ipſum apertum omnibus euulgatur. Quid amantius dici poteſt, quam vbi uon tantum cor verbis, ſed VERBVM loquitur corde? Noua mundi natalia concipit Spiritus Domini etiam in Cruce inter ſuas flammas aquis cordis ſui incubans? Aſpicite mortales hanc lyparim nouam amoris in Oceano aquarum flammas euiſcerantem,& ſcitote,ſi non ardetis, ſcopulos vos eſſe,non homines. Fallor æthna eſt mari circumdatus, vbi faber amor innocentia procudit fulmina, & vitalia. Ex hoc paruulo fonte aquæ multæ decurrent, in quibus tota vbique terrarum Infans baptizetur Eccleſia; hæ certè non potuerunt extinguere charitatem, quam in Dei amantis corde nutriebant. At vno vulnere carnifex lancea IESV mortem geminauit; & MARIÆ ferè vitam abſtulit, oculis Matris fulgurans, & cordi fulminans, ante-

quam Filij pectus intraret. Imò fere ſola Mater, quæ adhuc ſtabat iuxta Crucem inter mortem, vitamque ſuſpenſa, in Filij mortui vulnere ictum excepit.

Nemo deinde parēte ipſa iuſtius parentauit, & iuſta perſoluit. E Cruce non niſi violentè deſcendit, quia amans Deus cruciarius aſcenderat. Idem igneus amor, qui in ſublime rapuerat, in ſua ſphæra retinebat. Certè non reddidiſſet Crux latronum ſedes diuinum depoſitum, niſi Nicodemus ferro, tormentiſque coegiſſet. Nec auelli voluiſſet Dei Filius a ſponſæ bracchijs, & amplexibus, niſi vt ad Matris ſinum, & oſcula veniret. Accedente MARIA, quæ Dei magnes eſt, illicò diuinum corpus cum ferreis clauis refixum eſt. Maius tamen prodigium fuit, cum è cælo MARIA, quam cum illud extraxit e Cruce. Ex eodem ſinu iuſtè tantum reſtitui poterat Patri, cui Pater e cælo dederat. Nec refugit Matris ſinum, nouumque conceptum Filius, qui renaſci iterum debebat e tumulo. Relicto regio titulo ad Crucis dignitatem mutauit Filius Crucem inter bracchia Matris, non amiſit. Matrem ſiquidem ſtantem in extaſi doloris extenſis bracchijs non ſtipitem tantum fecerat dolor, ſed Crucem. Iure etiam inter MARIÆ bracchia IESVS ſepelitur, quaſi Sol occidens tumulatus in mari lachrymarum. Certè pretioſius Mater ſuis lachrymis Filij corpus lauit, quam arborum lachrymis Ioſeph vnxerit. ijſdem lachrymis e vitæ delicijs in mortis condimentum migrantibus, Ioſepho tamen multum debemus, quod pluris emerit vnguentum cadaueris, quam Iudas Magiſtrum viuum

vendi-

vendiderit. Sudauit totus Oriens ambitioſè per vulnera fragrantia ſuarum arborum Deo occidenti. Sed adhuc nobilius opobalſamum fluxit ex arido ligno Crucis, ſtillis madidæ, quibus ſtellæ inuiderent. Primus inter mortuos liber vitã cum morte componens aloes, & myrrhæ mixturam admiſit in ſyndone munda, quaſi Sponſus ſanguinis primogenitus mortuorum, nuptias initurus eſſet in thalamo, non inferias habiturus in tumulo. Amictus prius lumine ſicut veſtimento, nec ipſis Zonis Cæli ſtellantibus includebatur, ſed immenſitatem contraxit, & quem mundus totus veſtire non poteſt, Syndon munda inuoluit. Si non fuiſſet munda, illam abraſis ſordibus virgineæ manus, & diuinum corpus feciſſent. Acceſſit nitori pretium ingens, nam Syndonem mortui in clamydem triumphantis illiquò Matris lachrymæ, & Filij ſanguis margaritis, & pyropis exornarunt. Se non inuolui tantum, ſed ligari paſſus eſt, vt inter illos funiculos Adam, & vincula charitatis, inter quæ vixerat, ſepultus iaceret. Has nouas faſcias poſcebat non vitæ, ſed immortalitatis infantia. Inde tumulo nouo infertur, vt renaſcatur in ſepulchro virgine, qui fuerat ex Virginis vtero natus. An non amet in homine, ſi IESVS etiam mortuus amat innocentiam in ſyndone munda, & virginitatem in tumulo nouo & ipſa placent in rebus rudimenta virtutum? Inſolentia miraculorum, ſi non inueniſſet dediſſet ſepulchro nouitatem. An non nouus tumulus dici debet e tumulo mortis in vitæ thalamum inaudita metamorphoſi conuerſus? Illi lapides meruerunt di-

uinum ſepulchrum conſtruere, qui deinde fortaſſe ſupra alios eius ſenſerunt mortem. Aliud Mauſolæum ſepeliendus IESVS non amat, quam quod dolor excidit, ſiue lapidum corda, ſiue cordium lapides frangat. At in horto eſſe debuit nouus hic tumulus, vt conſtaret ſecundum Adamum adhuc mortuum extra Paradiſum deliciarum non eſſe, & patriam immortalitatis. Inſaniunt interim Hebræi Sophi, dum cuſtodes admouent vigiles dormientes, in teſtimonium falſitatis. Iam ille Rex Regum eſt veſtro ſuffragio, & mundi Imperator, nec mortuus, ſed dormiens, cui vos excubitores prætorianos milites eſſe iubetis. Hoc potius epitaphium ſepulchrali lapidi inſcribite. *Hic iacet, qui ſolus iacere non poteſt. Iacens faciet, vt nemo in poſterum iaceat.* Erratis ſi putatis hunc tumulum eſſe carcerem mortis, cum ſit vitæ aditus, limen immortalitatis. Vno hoc lapide terra a cælo diſtat. Architectus mundi amor primum hunc lapidem extra noſtratẽ in cæleſtis Hieroſolymæ fundamentum iecit. Quies hæc, magni Sabbati reſurrectionis aurora eſt. Aſcenſurus ad cælum, per demiſſionis viam prius deſcendit, & quidem ad inferos, vt homines Deus transferret ad Superos. Eadem vulnerata dextera, ſed triumphali æneas orci portas, & cæli adamantinas fregit, vt cum primo mundi colono Adamo beatam Patriarcharum coloniam cælo donaret. Ereptum cælo Solem, ſua præſentia Erebo geminauit, vt iam fere infra Erebum cælũ eſſet, & aſtra tenebris inuiderent. In corde terræ omnes ſuos amores explicuit, theſauros collegit, & fractis valuis pijs exitum, impijs

aditum æternum patefecit. Conatus eſt infernus tremefacta terra iugum excutere, & dilatauit os ſuum, ſed malo ſuo fugientibus e fracto carcere nobilibus vmbris, & per ſanctam Ciuitatem errantibus, vt in Matre Filium adorarent adhuc aby ſſi regna debellantem.

Interim honoribus tuis o Erebi Triumphator terra non caret, dum te ipſum ne quidem Sabbato otiatus in munda Syndone pingis, & in vnica tabula exprimis omnes amores tuos. Primum Adamum Protoplaſtes Deus in luto finxeras, nunc factus e fictore pictor te ipſum ſecundum Adamum felicius cruore pingis. Hanc ſolam hiſtoriam mortis, vitæ magiſtram mortales veneramini; in qua hiſtoriographus diuinus amor ſe ipſum vnicum VERBVM tranſcripſit ſtylo clauorum, ſanguinis atramento, in membrana membrorum. Artis diuinæ miraculum fuit hiſtoriam redemptionis humanæ, Iliade prius cruciatuum deſcriptam, momentò explicare, ac tantum luminis picturæ ſuæ inter vmbras conferre. Liber hic hieroglyphicis, ſcriptus, quinque plagarum Pentateucon, omnia nimirum Dei arcana manifeſtat. Solus hic liber ex ſeruis liberos facit. Dolendum eſt primo in cænaculo, ſecundò in Caluario, tertiò in ſepulchro, in altari centies millies impreſſis diuinis caracteribus, a tam paucis mortalibus legi, cum tamen Agnus, qui occiſus eſt, illum omnibus fractis ſignaculis aperuerit. Felix naſcens Eccleſia, cui hic Aſteriſmus plagiarius pro horoſcopo fortunatiſſimo radiauit. Ne quis hominum ſe debere aliquid metuat de pretio captiuitatis infernæ in publico tabulario in-

delebiles

delebiles ſolutionis notas voluit Redemptor Deus ſeruari. Agnus mundi expiator veriſſimis laudibus fabulas vincit, dum pretioſius ſupra Frixæum Arietem omnibus chriſtianis Heroibus vellus exponit. In illiterato ſepulchro ſibi ipſi mortis victor omnium dolorum caracteribus epitaphium incidit. Iam nega argutas eſſe ſummi artificis manus, quando pedes, & pectus loquuntur ore plagarum, & geminata eloquentia amoris non minus, quam corporis diuini, figuras copioſè deſcribunt. Legem nimirum amoris in Sina vnus Dei digitus, in Caluario totum corpus ſculpſit ſupra lapideas tabulas in lino immortali cum æuo victuram.

Stygmaticus tandem triumphator poſt victam morte ſua mortem, expugnatum Erebam cæleſtibus armis, orbem terrarum fixis manibus a fundamentis conuulſum, terram, cælum, totamque rerum vniuerſitatem ſubactam ligno victore, nocte in diem radiante, tumulo migrante in capitolium triumphi, linteo ſepulchrali in vexillum immortalitatis explicato, ſanguineis læthalium vulnerum notis in aſtra conuerſis, vbi animam beatiſſimam, corpori ſanctiſſimo Diuinitatis vi, quæ nunquam ab vtroque diuiſa fuerat adamantinis nodis iterum illigauit, magno Sacrorum Heroum, quos ab inferno carcere, & iugo mortis liberarat, Superumque ciuium, preana canentium laureato ſtipatus exercitu, cæpit non iam in corde terræ, ſed palam tota natura plaudente victoriarum ſuarum trophea circumferre. Ita quidiem cælo eripuerat moriens in meridie ſui amoris, nunc illam reſtituit

tuit inter tumuli vmbras, & vt maximam faciat diem reſurrectionis ſuæ, ipſam antecedit auroram. Inſolens nocti non fuit videre infra horizontem renaſcentē Solem in hortenſi Caluarij ſepulchro, quem naſcentem eadem diei anticipatione in montana Bethleem ſpelunca ſpectarat. Non admirari tamen natura non potuit nouum diei, noctiſque commercium, dum rediuiuus mundi Imperator beatiſſima luce circumfuſus,& vulnerum ſuorum radijs illuſtris, totus diuinum terrarum adhuc nutantium firmamentum, aſtra cum Sole geſtaret. Accurrit patefacto empyreo tota Aula cæleſtis. Pars ſuſpenſa in nubibus beatiſſimo ſpectaculo vacat: pars ad obſequia veneranda in terras conuolat. Mutatur cuſtodia, nec iam homines dormientes, & iacentes,ſed Angeli ſedentes, & vigiles Regis Regum conclaui, mauſolæo olim mortis, nunc vitæ capitolio excubias agunt. Hac gloriæ pompa in palma crucis ignei amoris vi redactus in cineres ille, qui vermis erat, & non homo, incunabula in pheretro, & fænus in funere inueniens, ſingularis fænix DEVS-HOMO renatus eſt, morte ad immortalitatem tranſcripta. Inſcribi voluit glorioſis caracteribus ignominiarum ſuarum, & aſteriſmis illuſtribus ſuorum vulnerum, vt poſtquam deſcenderat e cathedraCrucis cruciariusMagiſter,adhuc doceret homines per vulnera vitam aquiri, mortem non eſſe vitæ veſperam, ſed immortalitatis auroram, inter huius vitæ importuoſum mare, portumque felicitatis ſolum Caluarij iſthmum intercedere, cælum, terramque tutiſſimo Crucis ponte coniungi,& viam ad Superos

peros

peros Chriſtianis Heroibus non lacteam ſtellaſcere, ſed ſanguineam, nec lilijs vndequaque vernantem, ſed ſpinis obſitam, inter quas tamen poſſint æterna roſaria germinare. Iam nemo obductam eſſe queratur cæleſtium arcanorum cortinam, quando Summus Pontifex in aperto pectore ſuo Sancta-Sanctorum patefecit, & quod ſomniauit Pythagoras verè Chriſtus exhibuit, per aureum latus, ad cordis penetralia tranſmittens oculos ſpectatores. Nemo amaritiem virtutibus exprobret, quas vbique florens Nazarenus ex horti ſui concluſi aluearibus ęterno melle conditas hominibus exponit. Quid agitis mortales? Infantes eſtis? Deus vberum mamillas habet, quibus veſtram in terris cæleſtis vitæ lactet infantiã. Pauperes? fodinas indicat, vnde aurum optimum eruatis, æternoſque theſauros. Indocti? librum explicat, qui omnem ſcientiam in titulo præfert, nec interprete opus eſt, cum vnicum VERBVM ſuis caracteribus exponitur; Quid adhuc frigidi eſtis in Dei amore ad has vulcanias, in quibus omnia ſua fulmina innocentia procudit diuinus amor? Quid aliam maiorem e Cælo indulgentiam expectatis, quam vbi apertis in templo ſui corporis foribus vult Deus hominibus æternum eſſe Iubileum? Per hæc Caluarij Oſtia ad empyreum intrate. Alia quælibet non amicorum eſt, ſed latronum via, quæ ad æternum carcerem ducit, non ad Cæli Regiam. Prima Mater rediuiuum Filium vidit, quæ vltima morientem, oblita ferè mortuum, quem ſpectabat immortalem. Initium illa viarum Domini, prima iure Dominum habuit, & deſcenden-

tem e Superis, & ex Inferis aſcendentem, eodemque titulo materni iuris prima immortalem excepit, quæ mortalem conceperat. Aperuerat ſummus Sacerdos mortalibus omnibus Sancta-Sanctorum: prima ingredi debuit Sãcta Sanctorum. Iuſtè etiam extremis doloribus primitiæ debebantur gaudiorum, debebatque primiceria Martyrum a Cruce poſſidere gloriæ principatum. Omnes humanitatis leges factus iam humanus Deus ſeruauit. Occurrere debebat alijs matronis peregrinis in via: vrbanius egit cum Matre, quam in vrbe prius domi conuenit. Sepelierat Mater Filium morientem in corde: non poterat non ſentire ſtatim reſurgentem. Imo poterat non expectata Cælitum legatione, ipſa Superis rediuiui Victoris triumphum nunciare. Primum rediuiui Solis officium eſt auroram illuſtrare. Abſconderat illum triduana ecclypſis, non extinxerat: nunc maior more Solis in nouo exortu apparet. Placent in Filio etiam lineamenta, quæ non Mater, ſed nouerca formauit. Amplexus in diuitem ſepulturæ mercedem ſæpius explicat: roburque reddunt, quod extenſæ iuxta Crucem, & ferè crucifixæ manus amiſerant. Oſcula quoque ſacro libata lateri magnum nutrici pretium rependerunt, dum Deum vberum adultum exugit, quem lactarat infantem. Aloe in ambroſiam, myrrha in nectar conuerſa ſenſit noſtros labores, quos Deo locamus ſemper felicitatem fænerari. Quis deinde Filij, Matriſque dulces Amebęos, & vitæ æternæ diuerbia referre mortalium queat? Quis gratulationes Superum, quis beati SS. Patrum IOSEPHO Principe Senatus

R encomia

encomia adhuc Erebo victorias perſonante, & cælo epinicia canente, euoluat? Quis explicet mutua nobiliſſimarum Animarum officia: quis certantia, ambitione ſeruiendi Angelorum miniſteria: quis ſalutationem ab *Aue* diuino non Angelico, quæ ſalutem non diceret, tantum, ſed daret? Quis deſcribere etiam inter Cælites immortales poſſit, quo Matrem Filius abyſſo lucis exceperit, alluerit diluuio gratiarum, Oceano beneficiorum immerſerit, empyreo amorum accenderit, beauerit torrente voluptatis, plenoque alueo illi infuderit Paradiſum gaudiorum? Vnico VERBO hæc exponi poſſunt, quod Pater dixit, Mater fecit. Mater Echo diuino VERBO Filio facta, omnia lætitiæ argumenta geminauit. Nos ne ſcrutatores Maieſtatis opprimamur a gloria ſilere debemus, hæc diuina arcana venerabundo ſilentio enarrantes magnificentius ſentiendo, quam loquendo. Non aliter diuina tractantur, quæ adorationem poſcunt, vt explicentur, non orationem.

ELE-

ELECTIORA

Ex Sacris Scripturis, SS. Patribus, Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Doctoribus Scholaſticis de Matris gaudijs in Filij reſurrectione.

SYNOPSYS.

1 Officia materna circa filij mortui corpus. 2. Eius præſertim vulnera ſacroſancta. 3. An tota Eccleſia IESV moriente in MARIA remanſerit? 4. An interfuerit vulneri lanceæ, & ſanguinem cum aqua profluentem collegerit? 5. An etiam clauos? 6. MARIAE potiſſimum opera IESV crucifixi corpus ablutum. 7. Vnguentis delibutum. 8. ſacra Syndone inuolutum. 9. Funuſque totum, inter Angelorum turmas procuratum. 10. De Sancto Sepulchro. 11. Eiuſque gloria. 12. Affectus Deiparæ ad Sanctum Sepulchrum, & quantum ex illis eidem pretium acceſſerit? 13. An accelerationem Reſurrectionis impetrarit? 14. An prima Mater Filium rediuiuum viderit? 15. Qualem? 16. Quomodo, an viſione naturali, an ſupernaturali? 17. Et in quo loco? 18. An cum SS. Patriarchis præſertim IOSEPHO Sponſo? 19. An ſacra vulnera glorioſi corporis oſculata fuerit? 20. An prima Reſurrectionem Apoſtolis nunciarit? 21. Cur apparitionem Filij rediuiui Matri factam ſacri Euangeliſtæ ſilentio præterierint? 22. An illi præmiſſa fuerit Angeli legatio. 23. In communi totius mundi exultatione peculiare in Reſurrectione Domini MARIAE Deiparæ gaudium.

Officia materna circa Filij mortui corpus.

I.

EXhibuit mortuo Filio officia Deipara Virgo, qualia decebant Matrem Dei, & amantem, plena venerationis, & amoris. Excepit corpus exanime e Cruce depoſitũ inter bracchia virginea, & poſt lachrymas ſuas, ſupra

omne pretium ſuaueolentes, & ſuauiſſim. oſcula, vnguentis delibutum tumulo intulit. Hæc ſummæ pietatis ſtudia eruit ex Euangelica hiſtoria luculentè Caſtro in hiſt. B. V. c. 16. Nobilis etiam hypotipoſis MARIÆ Deiparæ depoſiti e Cruce diuini corporis ſingula membra pijs affectibus ſalutantis extat apud pijſſimum B. V. cultorem Io. Carthag. tom. 3. l. 12. hom. 9. Prima hæc obſequia funebria egregiè a mellifluo Bernardo deſcribuntur, cuius verborum ſuauitas ſemper lac Marianum, illi propinatum ſapit ſerm. de planctu Virginis, vbi hæc habet. *Stabat Maria leuans bracchia in altum, & cum tangere eum valuit, caput manus, & bracchia eius dependentia trahebat ſuper triſte pectus ſuum, atque in oſcula, & amplexus ruens de ſuo Dilecto licet extincto ſatiari non poterat. Sed dum de Cruce in terram corpus depoſitum fuit, ſuper ipſum ruens præ incontinentia doloris, & immenſitate amoris, quaſi mortua ſtabat. Stabat ad corpus extincti Filij ſui Mater Maria lachrymis ſuis faciem rigans, ac per diuerſa torquebat ſuſpiria, frontemque, & genas, oculoſque, & ora frequentius oſculabatur ipſius, lachrymarumque tanta vbertas effluebat, vt carnem cum ſpiritu omnem in lachrymas diſſolui putares.* Similia habet S. Germanus in ſuo theor. fragmento dicens inter alia, quod *Maria Virgo oſculata eſt os eius pluſquam mille vicibus.* Inde aliorum diuinorum membrorum oſcula refert, concluditque, quod *plorans acerrimè ſuper ſingulis amplexabatur caput eius conprimens ad vbera.* Ipſam Matrem excepiſſe corpus Filij e Cruce depoſitum Nicodemo, & Ioſepho Sanctiſſimis diuini corpo-

tis

ris pollinctoribus, caput, pedeſque vtrinque ſuſtentantibus reuelatum eſt S. Birgittæ ab eadem B. Virg. his verbis l. 2. ſuarum reuel. *Cumque appropinquaret ad terram* (loquitur de corpore Domini poſt clauos e ſanctiſſimo ligno excuſſos, tribus ſcalis e Cruce depoſito) *vnus eorum tenuit corpus per caput, alius per pedes: ego verò quæ Mater eram tenui eum per medium*. Ipſa etiam totum corpus compoſuit, vt loquitur eadem S. Birgitta in perſona B. V. lib. 4. reuel. his verbis. *Corpus eius e Cruce depoſitum contingere potui, & vulnera explorare, & extergere Sanguinem. Deinde os eius digiti mei clauſerunt, & oculos pariter compoſui. Brachia vero rigentia flectere non potui, vt ſupra pectus componerem, ſed ſuper ventrem.* Inde Corpore compoſito Ioſepho dixit, vt habet Metaphr. de compaſſ. Virginis Syndonem manu tenens. *Tibi autem deinceps erit cura, vt in hac eum honeſtè componas, myrrhaque pulchrè condias, & iuſta facias.*

Eius præſertim vulnera ſacroſancta.

II.

AT quis poteſt Matrem exprimere amplectentem, & deoſculantem Filij ſtygmatici, & cruciarij vulnera ſacroſancta? An non vſurpabat illa amantis Sponſæ verba cant. 1. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabatur?* Certè ad eorum ſolam meditationem in admirabiles affectus SS. Patres arſerunt. S. Auguſt. qui totus cor erat, & cor amans inuitabat omnem animã, ad Chriſti vulnera, quæ mente amplectebatur, veluti ad aluearia Paradiſi, dicebatque: de ſubſt. di-

lect. c. 4. *Suge o apicula ſuge. Suge, & bibe dulcoris tui inenarrabilem ſuauitatem. Immergere, & replere, & ſume, & fruere.* Ipſum quoque alloquens vulneratum ſuum amorem crucifixum in ſolliloq. c. 2. dicebat. *Vulnera manuum tuarum precor, vt aſpicias. Ecce in manibus tuis Domine Deus deſcripſiſti me. Lege ipſam ſcripturam, ſalua me*. S. Bern. cuius totum mellificium ſanctitatis in hoc faſciculo myrrhæ confectum eſt, poſt admirabiles affectus ſerm. 43. in cant. ſic ait. *Hunc, & vos dilectiſſimi tam dilectum myrrha faſciculum colligite vobis: hunc medullis inſerite cordis: hoc munite aditum pectoris; vt & vobis inter vbera commoretur*. Seraphicus Doctor S. Bonau. totus Seraphicis incendijs ardens, & mortalis Seraphim Æthnam diuini amoris innocentem e corde expectorans, & euiſcerans, glorioſum Thabor in Caluario extruebat, & nullas alias agnoſcebat Paradiſi delicias, quam vulnera Saluatoris, atque in ijs æternum hoſpitium deuouebat animæ ſuæ in ſtim. c. 1. his verbis, *Bonum eſt nos hic eſſe. Faciamus hic tria tabernacula, vnum in pedibus, vnum in manibus, aliud continuum in latere; vbi volo quieſcere vigilare, bibere, comedere, legere, adorare, & omnia mea negotia pertractare, vt loquar ad cor eius, & ab ipſo, quod voluero impetrabo. Et hac erit requies mea in ſempiternum, vbi paſcar a vulnere, lactabor ab vbere, & miſcebo lac Matris, cum ſanguine Filij, & hac erit dulciſſima portio mea in vitam æternam*. Inde nolebat ſine vitalibus hiſce vulneribus cordi inflictis viuere dicens. *Nolo Domine viuere ſine vulnere, cum te video vulneratum*. Tum ſacræ lanceæ,

quæ

quæ cor Domini IESV tranſuerberauit,& clauorum, qui manus, pedesque terebrarunt felicitatem exoptabat, ſortemque inuidebat. *O beata lancea* inquit, *ac beati claui, qui apertionem huiuſmodi facere meruerunt! O ſi fuiſſem loco illius lancea exire de Chriſti latere noluiſſem, ſed dixiſſem: Hac requies mea in ſaculum ſaculi, quoniam elegi eam*. Si in ratione meritorum, teſte Io. Damaſc. *Matris Dei, & Seruorum Dei infinitum eſt diſcrimen*, quantùm Deiparam Virginem, dum vera Filij recens patibulati, & crucifixi vulnera oculis, manibus, oſculis, amplexibus tota hauriret, omnes alios Sanctos viciſſe dolentem, amantemque in immenſum putandum eſt? *At pro omnibus*, vt ex Apoſtolo 2. cor. 7. habemus *mortuus eſt Chriſtus, vt & qui viuunt non ſibi viuant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt*. Vnuſquiſque ergo mortalium, cui IESVS cordi eſſe debet MARIAM enixè exoret.

Sancta Mater iſtud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo validè.

An tota Eccleſia IESV moriente in MARIA remanſerit.

III.

ALiqui hoc affirmant, eruuntque ex ritu Eccleſiaſtico maioris hebdomadæ, quo omnes candelæ tempore recitationis officij diuini extinguuntur, vna tantum inextincta. In hoc ſenſu Turrecremata explicat hanc ceremoniam. Addit etiam Gullielmus Durandus in ſuo rationali l. 4. c. 7. Sabbatum ob hanc cauſam Deiparæ Sanctiſſimæ eſſe dicatum. Non placet hoc decus B. Virginis, quod veri-

tati non congruit, & cum aliorum dedecore eſt, atque inſigni ſanctorum virorū calumnia. Probant Canus l. 4. de loc. theol. c. 5., & l. 6. c. vlt. Hieron. a Rua controu. 7. ſcholaſt. Suarez diſp. 9. de fide ſ. 3. Duuallius tract. de Pont. Theoph. Raynaud in Dipt. Mar. 1. p. puncto 9., & alij. Nec obſtat, quod aliqui SS. Patres aſſerunt in ſola B. Virgine in triduo mortis Chriſti Domini fidem remanſiſſe, vt S. Bern. de lament. Virg., & S. Bonau. in med. vit. Ch. Dom. quibus ſubſcribunt Alenſis 3. p. q. vlt. art. 2. Turrecremata l. 1. de Eccleſiaſt. c. 3. Explicandi ſiquidem ſunt de fide explicita, & eminenti, qualem ſola B. Virgo habebat, vt egregiè differit S. Anſelm. l. de excell. Virg. c. 5. Vnde iure a B. Laurentio Iuſtin. de nat. eadem Deipara Sanctiſſima vocatur *fidei magiſterium*. Hanc explicitam, & eminentem reſurrectionis fidem celebrat Rup. Abb. ad illud cant. Faſciculus Myrrhæ &c. Hinc apud ſanctam Birgittam l. 2. c. 21. Deipara ſic loquitur. *Non conſui linteum (quo nimirum Chriſti Domini corpus inuolutum eſt); Sciebam enim pro certo, quod in tumulo non putreſceret*. Apoſtolorum conſtantia turbata eſt, non extincta fides, præſertim dilecti diſcipuli Ioannis in ipſius Matris Dei Filium adoptati, cum ſtaret iuxta Crucem. Nihil tale de Maria Magdalena, & alijs pijſſimis Matronis ſuſpicari licet, vti nec de nobilibus, & ſanctis viris Ioſepho ab Arimathia, Nicodemo, & alijs, in quibus nouella Eccleſia reſidebat. Imò ipſe Apoſtolorum Princeps Petrus, vt docent Roffenſis ad artic. 25. Lutheri, Turrianus Eccleſ. c. 9., & alij, peccauit quidem in profeſſione externa

fidei,

fidei, non tamen fidem amiſit, quæ vt docent theologi Sholaſtici per nullum aliud peccatum extinguitur, quam per peccatum poſitiuæ infidelitatis. Inextincta candela Chriſtum Dominum victis tenebris cum Principe ſuo, illuſtrem mortis, erebique Victorem ſignat, vt idem Gullielmus Durandus alibi notat, nimirum l. 6. ration c. 72. Idem Doctor Sabbatum Deip. Sanctiſſimæ dicatum attribuit miraculo imaginis ipſius Beatiſſimæ Virginis, quæ Conſtantinopoli colebatur. Additur myſtica ratio iuxta Pet. Damian. opuſc. 35. c. 4. nimirum QVIES Sabbati voce expreſſa, qua Deus, qui Virginē creauit requieuit in tabernaclo eius; *In Sole ponens tabernaculum ſuum*, ideſt vt explicat S. Hieron. *in vtero S. Mariæ Virginis*. Iure vocatur Dei Mater a Guarrico Abb. ſ. 4. de Nat. *columna cæli*, *gloria generis humani*, à Richardo a S. Laurent. *centrum Mundi*. Hi tituli immobilem eius conſtantiam in confeſſione fidei indicant; vnde potuit dici etiam quando terra mota eſt illud pſ. 45. *Deus in medio eius non commouebitur*; Propter illuſtre deinde eiuſdem fidei exemplum dicitur *Lucerna, quæ ſemper permanſit accenſa coram diuino altari* a S. Cyrillo, *lampas geſtans lucem inextinguibilem Sole ſplendidiorem* a S. Epiph. or. de laud. Virg. *Eccleſiæ diadema* a S. Proclo or. 6. de Virg. *Lampas multiluca* a Theophane hym. de Annunc. *Lucerna oris expers* ab Heſichio or. 2. de Deip., ac tandem propter eminentem ſanctitatem, & cumulum bonorum omnium a S. Th. a Villanoua Archiep. Valent conc. 3. de Natiu. B. Mar. *Microcoſmus Eccleſiæ*. Non tamen ea ſola tempore paſſionis, & mortis

Chriſti Domini Eccleſiam conſtituit, licet fidei excellentia, ſplendore, ac firmitate illius pars melior, & nobilior eſſet.

An interfuerit vulneri lanceæ, & ſanguinem cum aqua profluentem collegerit?

IIII.

PRimum affirmant ferè omnes SS. Patres; & Eccleſiaſtici Doctores. Teſtatum habemus in reuelationibus S. Birgittæ l. 4. c. 70. Secundum nimirum collegiſſe aquam, & ſanguinem e vulnere lateris manantem, aſſerunt Niceph. l. 1. hiſt. Eccleſ. c. 30., & Metaphraſtes die 15. Aug.; multiſque rationibus probat Io. Bapt. Nouatus tom. 1. de emin. Deip. c 18. q. 30. Imò in queſtione ſequenti probabiliter putat ſanguinem ab aqua ſeparatim fuiſſe collectum, cum alioquin ſeparatim fluxiſſe teſtentur, S. Cyprian. in ſ. de paſſ. Chriſti, ac Tertullian. de bapt. c. 16., & ex modo loquendi. S. Euangeliſtæ Ioannis inferri videatur. Nam vbi dixit *exiuit ſanguis, & aqua* ſubiunxit. *Et qui vidit teſtimonium perhibuit*. Si ſeparatim ſanguis ab aqua non effluxiſſet, quomodo videre potuiſſet?

An etiam clauos?

V.

EXcepiſſe B. Virginem ſinu ſuo reuerenter ſacros clauos, dum Chriſtus Dominus e Cruce deponeretur, ſed poſtea diuini conſciã conſilij permiſiſſe, vt cum Cruce ſepelirentur, aſſerit Io. Bapt. Nouatus tom. 1. c. 18. q. 33. Primum pietati Deiparæ ſanctiſſimæ tribuendum eſt; ſecundum eſt iuxta conſuetudinem

Hebræo-

Hebræorum, qui ea, quæ morti damnatorum corporibus adhæſerant, cum ijſdem ſepeliebant. Et certè ſacros clauos fuiſſe a S. Helena Auguſta ſimul cum Cruce repertos aſſerunt S. Ambroſ. in fun. Theod. Sozomenus l. 2. hiſt. Baron. tom. 3. an. Ch. 336. S. Gregor. Turon. l. de glor. Marty. c. 6. Thedoretus l. 1. c. 18. & alij.

MARIÆ potiſſimum opera IESV crucifixi corpus ablutum.

VI.

ABlutum fuiſſe Chriſti Domini corpus ante vnctionem rerum Hebraicarum periti affirmant, videnturque ſubſcribere S. Io. Chryſoſt. tom. 3. hom. 84. in c. 19. Io. & S. Epiphan. hom. de Sepult. Dom. vbi alloquens Ioſephum ab Arimathia Nicodemo comite nobilem diuini corporis pollinctarem ſic ait, *Anne aqua Dei illius corpus abluis, qui omnes a peccatis abluit, & expiauit, & omnibus puritatem tribuit?* Idem ex recentioribus docent Salmeron tom. 10. & Lorinus in act. 9. Iuuit vtrunque ſuis manibus lachrymans Mater, imò tantum profudit lachrymarum ſupra dilecti Filij mortuum corpus, vt aſſerant S. Germanus in ſuo theor. frag. & Metaph. 15. Aug. ſuis lachrymis ſacra vulnera emundaſſe.

Vnguentis delibutum.

VII.

E Cruce depoſitum Filij Dei corpus non ſtatim fuit in ſepulchro ſacro collocatum, ſed alibi non longe tamen a ſepulchro ſacro, ad radices montis Caluarij, & quia ibi poſt

ablutionem inunctum eſt, & pretioſa pollinctura conditum, ille locus adhuc Petra vnctionis dicitur. In vnctionis miniſterio primas partes attribuunt communiter Eccleſiaſtici Scriptores ipſi Matri, imò Metaphhr. loc. iam alleg. 15. Aug. ait B. Virginem verbis ſuis Ioſepho ab Arimathia indidiſſe illam admirabilem fortitudinem, per quam, vt habemus Marci 15. *audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu*.

Sacra Syndone inuolutum.

VIII.

De varijs linteis, & ſudarijs beato corpori Redemptoris noſtri adhibitis, præſertim de Syndone Taurinenſi, & Sudario Veſuntino fuſè agit Io. Iacobus Chifletius in ſua Chriſti hiſtor. c. 30. eorumque luculentam deſcriptionem affert, vti de Syndone Compendienſi, & Sudario Moguntino Alphonſus Paleottus, Daniel Mallonius ad Syndonem Paleotti, Pingonius, & alij. Ex Syndone Taurinenſi eruitur ab his auctoribus exacta ſtatura corporis Chriſti Domini, quæ cum illa, quam affert Niceph. ſeptem palmorum cohæret. Præter hæc Petroſcouij linteum tenue pro Chriſti Domini Sudario ſepulchrali ſeruatur, & colitur. Balduinus Imperator conceſſit Ludouico Francorum Regi partem Sudarij, quo inuolutum fuit in Sacro Sepulchro corpus Chriſti, & Cõſtantinopoli erat. Etiam Ludouicus Pius Imperator poſuit in Monaſterio S. Cornelij prope Aquiſgranum Syndonem mundam, qua Ioſeph inuoluit corpus Domini, & partem Sudarij, quod fuerat ſuper caput eius. Sed

hanc

hanc Syndonem Chiffletius putat eſſe Compendienſem a Carolo Caluo ad illam vrbem ab Aquiſgranenſi translatam. Inter hæc lintea Syndon Taurinenſis principem locum habet; vnde dicendum eſt, vel plura lintea adhibita fuiſſe, vel alia a Taurinenſi Syndone debere dici extypa primigeneorum, & exempla, quæ tamen adhuc in veneratione iure habentur. Inuolutum fuiſſe IESV Crucifixi corpus præcipuè MARIÆ manibus Sacra Syndone dubitare non ſinit Matris amor, & pietas, & omne aliud in procurando funere Filij ab ipſa, vt notat Metaph. loc. cit. miniſterium exercitum.

Funuſque totum inter Angelorum turmas procuratum.

IX.

AD funus procurandum Dominico corpori multos Angelos concurriſſe a B. Virgine fuit his verbis reuelatum S. Birgittæ l. 1. reuel. c. 21. *Etiam multi Angeli, quaſi atomi Solis adfuerunt obſequiū exhibentes Creatori ſuo.*

De Sancto Sepulchro.

X.

EA, quæ ſpectant ad Sanctiſſimum Domini Sepulchrum, ac Templum reſurrectionis, quod varijs nominibus apellatum eſt, noua Hieruſalem, Bethel, Martyrion, Baſilica Conſtantiniana, Templum Sacratiſſimi Sepulchri Chriſti Domini, Templum Dominicæ reſurrectionis eruditè, & fusè perſequitur Franc. Quareſmus tom. 2. ſuæ elucid. l. 5. Materiam quoque Sanctiſſimi Sepulchri exhibet, ac formam

mam c. 9. ac 10. vti figuras, & oracula, quæ eius excellentiã e ſacris Scripturis illuſtrant, & celebrant, aliaque multa ſcitu digna, quæ cum non propriè ad vitam B.V.ſpectent, conſultò omittimus.

Eiuſque gloria.

XI.

ILlud elogium, quo gloria Sanctiſſimi Sepulchri maximè elucet Athanaſ. or. in ſanct. paſſ. omitti non poteſt. vbi glorioſiſſimis titulis dicitur, *immortalitatis locus, officina reſurrectionis, ſepulchrorum diſſolutio, in quo mors deſinit eſſe mors, in quo vita ſeritur finem non habitura. Beatus lapis* exclamat aureis verbis Pet. Chryſol. *qui Chriſtum velare, & reuelare potuit: beatus, qui non minus corda aperit, quam ſepulchrum: beatus, qui dat reſurrectionis fidem, fideique reſurrectionem! Mutatur hic ordo rerum: mortem non mortuum deuorat hoc ſepulchrum.* Nec minus aurea ſunt Io. Chryſoſt. verba adu. Gent. *Et locus quidem inquit, quo corpus hoc poſitum breuis erat, & valde anguſtus; auguſtior tamen, & venerabilior mille Regum palatijs, imò etiam Regibus ipſis.* Cum ipſo vtero Virgineo Deiparæ Sanctiſſimæ hoc nouum ſepulchrum confertur a S. Ambroſ. ſ. 48., & S. Auguſt. ſ. 183., quo nihil magnificentius dici poteſt. *Vbique* inquit Auguſtinus *beato corpori defertur ſanctitas, vbique virginitas. Nouus illud venter concepit: nouus tumulus concluſit.* Hinc eſt tumulato, ac deinde reſurgente, & laureato mortis, Erebique, atque vtriuſque mundi Victore impletum eſſe celebre vaticinium Iſ. 11. *Et erit ſepulchrum eius glorioſum*, ſiue vt

ſeptua-

ſeptuaginta legunt, *Erit requies eius honor*, ſiue vt habet originale Hebręũ *erit ſepulchrum eius domus Regia*, cum alioquin de noſtrate quolibet Principe Regius Pſaltes verè cecinerit pſ. 49. *Cum interierit non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius*.

Affectus Deiparæ Sanctiſſimæ ad Sacrum Sepulchrum, & quantum ex illis pretij acceſſerit.

XII.

ILluſtria materni amoris exempla ſepulto Filij corpore extincta non ſunt. Quid expectari poterat in certamine ſummi amoris, & doloris, niſi vt viuens mortuo Filio, vti prius morienti ferè commoreretur? Sanctam Birgittam funebres ſuos dolores, cum doloribus partus conferens lib. 2. reuel. ſic alloquuta eſt ipſa Deipara Sanctiſſima. *Qualem autem triſtitiam haberem tum temporis non eſt, qui valeat dicere. Eram enim ſicut mulier pariens, cuius omnia membra poſt partum tremula ſunt.* Hoc idem paralellum in doloribus Marianis vſurpant S. Io. Damaſc. l. 4. de fid. orth. S. Bern. in vig. Natiu. S. Athanaſ. in deſcr. Mar., & Ioſ. S. Cyprian. ſ. de Nat. Ch. B. Laur. Iuſtin. ſ. de Paſ. Dom. Hæc alia habentur in reuel. S. Birg. l. 2. c. 1. *Verè dicere poſſum, quod ſepulto Filio meo quaſi duo corpora in vno ſepulchro fuere.* Sic Mater amoris, & doloris vi Filio morienti commoriens, cum eodem ſepulto, quodamodo ſepulta eſt. Temperabatur tamen hic mæror aliquo gaudio, quia vt ait S. Paulinus q. 43. *mox erat viſura rediuiuum*. Alijs etiam venerationis ſtudijs, & amoris, nimirũ oſculis tenerrimis, amplexibus, & fletibus

beatum

beatum lapidem proſequuta eſt, quibus Catholicæ Eccleſiæ Magiſtra orbem terrarum docuit; quæ nam reuerentia diuini corporis auguſtiſſimo Mauſolæo debeatur, quod iam vt notat S. Bernar. ad milites templi c. 1 *inter loca deuotionis princeps eſt*. *Sepulchrum Chriſti* inquit *inter loca deuotionis tenet quodamodò principatum, & deuotionis neſcio quid plus ſentitur, vbi mortuus requieuit, quam vbi viuens conuerſatus eſt*. Idem S. Bernardus ſic Deiparam Sanctiſſimam amantem, dolentemque ad Sanctum Sepulchrũ deſcribit de planctu Virg. *Terminato ſepulturæ officio ſacrum ſaxum Sepulchri maternæ complectebantur bracchia, rigabant oculi, oſculabantur labia, & totus geſtus corporis inter ſua præcordia abſorbere videbatur ſepulchrum*. Addit Metaphraſt. de compaſſ. Virg. Beatam Mariam ſemper Sacro Sepulchro adhæſiſſe, & omnia, quæ contigerunt miracula alijs aperuiſſe. *Nam lapis quidem reuolutus* concludit ipſe, *& Angelus ei inſidens ab alijs quoque viſus eſt mulieribus. Quando autem, & quemadmodum facta ſunt illa quidem neſciebant; ipſa verò ſola vtpote, quæ aſſideret, omnia accuratè proſpexit*. Filio religiosè a ſanctis, & nobilibus viris Ioſepho, & Nicodemo ſimul cum Io. Euangel., & Maria Magdalena iuxta S. Anſel. de paſſ. in nouo tumulo collocato, qui a Caluariæ loco, vbi Crux erat, centum, & octo pedibus, vt refert Malonius de Sacris ſtygmatibus c. 10. B. Virginem illis gratias egiſſe putat Io. Carthag. t. 3. l. 12. hom. 10.; & dixiſſe illud 2. Reg. 2. *Benedicti vos a Domino, qui feciſtis miſericordiam hanc, cum Domino veſtro, & ſepeliſtis eum*. Quantum deinde

ſacro

ſacro Sepulchro ex oſculis amplexibus, fletibus, & ſtatione magnæ Deiparæ pretij acceſſerit nemo non videt.

An accelerationem reſurrectionis impetrarit?

XIII.

IMpetraſſe Deiparam, vt Chriſtus Dominus celeriter a mortuis reſurgeret, ea tamen celeritate, quæ iam a Deo præfinita erat, affirmat Io. Bapt. Nouatus tom. 1. de emin. Deip. c. 19. q. 7. Eius vota, & preces egregiè explicat Ludouicus de Ponte l. 5. in cant. exhort. 30. ad illa verba. *Oſtende mihi faciem tuam: ſonet vox tua in auribus meis &c.* & proſequitur. *Exurge iam gloria, exurge pſalterium, & cythara. Exurge o Fili, qui es gloria, decor, & pulchritudo mea, & totius mundi ſplendor, gaudium, & lætitia. Sonet o pſalterium, & cythara vox tua, & ſonus tuus in auribus meis; quia dulcis eſt, & iucundus, gaudiumque annunciabit vniuerſo mundo. Audiuit Filius precationem Matris, & ſubitò die tertio apparuit illi.* Faciunt etiam pro his votis, & precibus verba illa Cantic. 2. *Reuertere ſimilis eſto Dilecte mi capreæ, hinnuloque ceruorum ſuper montes Bethel.*

An prima Mater Filium rediuiuum viderit?

XIV.

VLtima Dei Mater vidit, cum ſtabat iuxta Crucem, Filium morientem, vltima cæteris abeuntibus ſacro Sepulchro adhæſit; prima ſpectare debuit reſurgentem. Teſtantur hoc, ſuffragante communi fidelium ſenſu, grauiſſimi PP., & Doctores, S. Bernard. ſ. de reſurrect.

ſurrect. Rupert. Abb. l. 7. de diu. off. S. Anton. 1. p. c. 7. tit. 5. S. Vincentius Ferrerius in Paſch. ſ. 1. S. Greg. Nyſſ. or. 3. de reſurrect. S. Bonau. in vita Ch. c. 87. Metaph. in vit. Deip., Niceph. Call. l. 1. hiſt. & alij, quibus addere poſſumus inter recentiores Io. Carthag. t. 1. l. 14. hom. 9. ac Theoph. Rayn. in Dipt. Mar. p. 1. puncto 9. Eſſe deinde communem ſententiam docuerunt Baron. an. Ch. 34. Benzonius in pſ. 86. trad. 22. Caſtro in hiſt. Deip. Bonifacius l. 1. hiſt. Virg. Molanus l. 4. de imag. c. 14. Henriquez l. de fine hominis c. 21. Iac. de Valentia in cant. Deip. c. 28., ac tandem Caniſius l. 4. de Deip. c. 28., & Delrius lect. ſac. 13. qui multos alios referunt. Imò Suarez t. 2. in 3. p. d. 4. ſ. 1. aſſerit ſine vlla dubitatione credendum eſſe Chriſtum Dominum rediuiuum primùm Deiparæ Virgini Matri ſuæ apparuiſſe. Et paulò poſt ſubdit. *Videtur hic fuiſſe perpetuus Eccleſiæ ſenſus, quia nullum reperimus initium, quando hoc cœperit in Eccleſia doceri*. Et certè, vt notat Simon de Caſſia l. 14. de reſur. his verbis, *Virgo Prima fuit, quæ vidit, & adorauit Chriſtum natum. Conueniens erat, vt prima videret eum renatum, & reſuſcitatum*. Stet ergo ratum iuxta D. Ambroſium de Virgin. l. 3. *quod* (eius verba ſunt) *vidit Maria reſurrectionem Domini, & primò vidit, & credidit*. Si illa oracula ſap. 1. & Io. 14. vera ſunt, vti veriſſima *Dominus inuenitur ab his, qui non tentant illum; apparet autem eis, qui fidem habent in illum. Qui diligit me diligetur a Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo illi me ipſum* a Matre primum ſpectari debuit Filius rediuiuus, cui fidei, & amoris,

&

& omnium aliarum virtutum tribuendus eſt principatus.

Qualem?

X V.

IN reſurrectione glorioſa corpus Chriſti Domini varijs qualitatibus ſupernaturalibus illuſtre fuiſſe ſuppono tanquam certiſſimum, præſertim illis quatuor celeberrimis dotibus, quæ corporibus glorioſis conueniunt agilitate, ſubtilitate, impaſſibilitate, & claritate: Alijs omiſſis quærunt aliqui, an B. Virgo viderit huiuſmodi claritatem, quæ erat lux interna ipſi corpori glorioſo inhærens, & excedens, vt docet S. Auguſt. l. de cognit. veræ vitæ c. 46. incomparabiliter claritatem omnium aliorum corporum glorioſorum: *In hac claritate* inquit *tantum quiſque ab alio pro meritis differt, quantum ſtella a ſtella: Corpus autem Chriſti in hac claritate omnia excellit, quantum Creator creaturas excellit.* Dicendum eſt Dei Filium rediuiuum ſe ſe ſpectandum Matri in ſua claritate dediſſe. Hoc egregiè explicat Ludou. de Ponte l. 5. in cant. exhort. 30. *Audiuit* inquit *Filius precationem Matris, & ſubitò die tertia apparuit illi diluculò, oſtenditque ei faciem glorioſiſſimam, vultumque ſplendidiſſimum, totum corpus pulcherrimū, & quinque Petra foramina ſapphyris pretioſiora, & fulgentiora carbunculis.* Multæ rationes id probabiliter euincunt, ſed præcipuè *identitas* carnis Matris. & Filij, vt notat S. Auguſt. ſ. de Aſſ. Virg. his verbis. *Caro Ieſu, caro eſt Mariæ. Caro enim Chriſti, quamuis gloria reſurrectionis fuerit magnificata & potenter glorificata, eadem tamen manſit, quæ ſuſcepta de Ma-*

ria. Similia habet S. Bernardinus Sen. ſ. 1. de nom. Mar. *Virgo* ait *fuit viciniſſima Filio Dei per carnis identitatem, quia eadem caro, quæ fuit Virginis Matris facta eſt caro Filij Dei.*

Quomodo? an viſione naturali an ſupernaturali?

XVI.

AN viderit puris naturę viribus, an ſupernaturali virtute dubium eſt. Aliqui inter quos eſt Richard. in 4. d. 49. a. 4. q. 6. exiſtimant lucem corporis glorioſi non eſſe obiectum proportionatum, & naturale oculi corporei humani, adducuntque fauentem ſuę ſententiæ S. Auguſtinum 22. de Ciu. Dei, vbi dicit Apoſtolos non potuiſſe in corpore mortali videre claritatem in corpore glorioſo Domini rediuiui. Alij oppoſitum aſſerunt, nimirum non eſſe improportionatam talem lucem oculo corporeo humano. Fauere videtur S. Th. in 4. d. 44. q. 2. a. 4. & ſubſcribit Suarez t. 2. in 3. p. d. 48. ſ. 2. Ratio eſt, quia omnis lux eſt qualitas viſibilis: ergo naturale obiectum potentiæ viſiuæ. Conciliari poteſt vtraque ſententia, ſi dicamus claritatem quoad modum, quidquid ſit de ſubſtantia, nonniſi ſupernaturaliter videri potuiſſe propter exceſſum lucis. Vnde in B. Virgine diuinitus fuit confortata potentia viſiua ad videndam tantam claritatem, quæ ſepties, & fortè ſeptuagies ſepties Solem noſtratem ſuperabat.

Et in quo loco?

XVII.

EXtat Sacellum, quod vocant *S. Mariæ de apparitione*, vt teſtatur Franc. Quareſmus

tom.

tom. 2. eluc. l. 5. per. 2. c. 26. vbi Dei Filius poſt ſuam glorioſam reſurrectionem Matri ſuę dilectiſſimæ apparuiſſe creditur. Scio aliquos aliter ſentire, & aſſerere Domini rediuiui apparitionem factam fuiſſe Deiparæ Virgini in domo, in qua concepta, & nata eſt ex multorum opinione probatica apellata, in Monte Sion, & in qua ab aſcenſione Filij vſque ad obitum ſuum vixit. Sed primæ ſententiæ ſupra adductæ ſuffragantur præter communem Incolarum terræ ſanctæ traditionem Sophronius ſ. de Aſſ. Euthymius in c. 27. Matth. Metaph. 15. Aug. & alij.

An cum Sanctis Patriarchis præſertim IOSEPHO Sponſo?

XVIII.

DE SS. Patribus ſtipantibus diuinum Triumphatorem hæc habet Barradius tom. 4. l. 8. c. 8. *Vidit tunc primum Parentem Adamum, vidit & Euam, Abrahamum, Iſaac, Iacob, Dauidem, cæteroſque antiquos Patres ſumma cum lætitia intra ſuum cubiculum, qui omnes ante Dominam ſuam proſtrati laudibus illam celebrarunt, dicentes illud Iudith. 15. Tu gloria Hieruſalem, Tu lætitia Iſrael, Tu honorificentia populi noſtri: Tu fons fuiſti totius gloriæ noſtræ, lætitiæ, & honoris &c.* Non eſt porrò credendum ab hac triumphi gloria, & MARIÆ triumphali ſalutatione abfuiſſe S. IOSEPHVM Virginem Sponſum, qui omnes alios Patriarchas, vt probat Carthag. tom. 1. l. 4. hom. 9. longè præceſſit excellentia meritorum, cum præſertim id in honorem MARIÆ cederet, eiuſque gaudia cumularet. *Legimus* inquit

Io. Gerſon. ſerm. de Nat, Mar. *multa corpora Sanctorum reſurrexiſſe, & veniſſe in ſanctam Ciuitatem, & apparuiſſe multis: recogitet, oro, pius animus, ſi iuſtus Ioſeph vnus ex illis putandus eſt, quia apparuerit charisſimæ Sponſæ, quia eam conſolatus ſit*. Et hoc multò certius eſt, ſi verũ eſt, quod S. Bernardinus Sen. clamabat cum Patauij concionaretur, vt refert Bernard. de Buſto 4. p. ſ. de deſponſ. Mar. *In anima, & corpore S. Ioſeph in cælis glorioſus eſt*.

An ſacra vulnera glorioſi corporis oſculata fuerit?
XVIII.

CErtum eſt de fide reſeruaſſe in ſuo corpore glorioſo Chriſtum Dominum rediuiuum cicatrices ſuorum vulnerum, vt habemus ex ſacro Euangelio Io. & Lucæ, communique Eccleſiæ, & Patrum conſenſu. Legendi ſunt S. Hilarius l. 3. de Trin. S. Leo Papa ſ. 1. de reſurrect. S. Ignatius Martyr epiſt. 10. ad Smyrnenſes S. Ambroſ. Lucæ vlt. S. Auguſt. epiſt. 49. & l. 2. de ſymb. ad Catech. c. 8. S. Cyrill. Alex. l. 12. in Io. & alij tum SS Patres, tum ſacræ Scripturæ Interpretes. Ipſam vero Virginem Matrem Filij rediuiui cicatrices glorioſas deoſculatam fuiſſe aſſerunt multi. Vnum Rupertum affero, qui l. 7. de diu. off. c. 25. hæc habet. *Pulchrè, & laudabiliter a pijs Maioribus traditum eſſe ſcribitur, vt religioſi quidam cunctis per annum dominicis diebus, ac præſertim ſacro die Paſchatis B. Genitricis Dei memoriam celebrent ſingularem, & Eccleſiaſticam idcirco inſtituant Proceſſionem. Mariam enim Deiparam eſſe, cui ante omnes alios rediuiuus Filius ſuam victoriam annunciauit, & dulcia carnis ſuæ vulnera,*

nera, quam illa veram de carne ſua carnem conceptam pepererat, præbuerit deoſculanda. Et certè S. Maria Magdalena, vt habemus Matth. 28. *tenuit pedes eius*, & probabiliter deoſculata eſt. Si Thomæ adhuc incredulo, & infideli dictum eſt. *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam in latus meũ*, cur Dei Matri oſcula ſummi amoris, inconcuſſæ fidei, altiſſimæ demiſſionis, piæ venerationis argumenta neganda ſunt? Conſonant his ea, quæ ipſa B. Virgo S. Birgittæ reuelauit l. 6. c. 94. his verbis. *Mihi, quæ ſum Mater Dei cum poſt eius mortem incomprahenſibili dolore mæſta eſſem, apparuit idem Filius meus, priuſquam alijs, & palpabilem ſe oſtendit mihi conſolans me, & commemorans ſe viſibiliter in cælum aſcenſurum, quamuis hoc non eſt ſcriptum propter meam humilitatem*.

An prima reſurrectionem Apoſtolis nunciarit.

XX.

PRimam Deiparam Apoſtolorum Magiſtrã illis reſurrectionem euulgaſſe cenſuit S. Gregor. Nyſſ. or. 2. de Reſur., *quia decebat* inquit *Deiparam ea, quæ ad gaudium pertinebant Apoſtolis nunciare, vt quæ radix gaudij eſſet*. Huic concinit Sedulius l. 5. paſch. carm. hoc exaſtico.

Hæc eſt conſpicuo radians in honore Maria,
Quæ cùm clarifico ſemper ſit nomine Mater;
Semper Virgo manet: huius ſe viſibus aſtans
Luce palam Dominus prius obtulit; at bona Mater
Grandia diuulgans miracula, quæ fuit olim
Aduenientis iter, hæc ſit redeuntis, & index.

Auctoritatem MARIÆ Deip. myſteriũ reſurrectio-

ſurrectionis Apoſtolis ſupra ſanctarum mulierum teſtimonia ſuaſiſſe teſtatur Metaph. in vita B.V. his verbis. *Mater prima clarius aſpicit Filij reſurrectionem, & eius prædicatores magis confirmat, quam eæ, quæ vnguenta obtulerunt.*

Cur apparitionem Filij rediuiui Matri factam ſacri Euangeliſtæ ſilentio præterierint.

XXI.

AT cur ſacri Euangeliſtæ omiſerunt illuſtre hoc Filij rediuiui erga Matrem, glorioſumque officium? Ipſa Deipara Virgo vt ſupra S. Birgittæ l. 6. reu. c. 94. hanc controuerſiam definiuit illis verbis. *Hoc non eſt ſcriptum propter meam humilitatem.* S. Anſelmus l. 7. de exc. Virg. c. 6. ſuperfluitatem inſinuat. *Si Matri Domini* ait, *ſi Dominæ mundi ipſius Filius ab inferno reſurgens ſcriberetur, ſicuti alij cuilibet apparuiſſe, eamque de ſua reſurrectione docuiſſe, quis non tale ſuperfluum diceret Reginam videlicet cæli, & terræ, omniſque creaturæ coæquare illis, quibus apparuit, viro, aut mulieri?* S. Bern. ſ. de reſurrect. aſſerit quod *prima vidit Dominum in forma glorioſa, & non ad confirmationem dubij, ſed ad conſolationem gaudij, vnde & Euangeliſtæ eam non recenſent.* Legendi etiam ſunt Metaph. orde vi. & dorm. Deip. Ianſenius in conc. c. 140. Rupertus l. 7. de diu. off., & alij, qui nobiles, & pias rationes adducunt. Addo adhuc huius veritatis veſtigium in ſacro Euangelio eſſe. Nam ſtolatus ille Angelus, vti ſacri Sepulchri cuſtos, ac veluti Prætorianus miles auguſti corporis liliata ſindone, ita glorioſæ reſurrectionis teſtis, ac præco Matth. vlt. dixit mulieribus. *Sur-*

rexit

rexit non eſt hic. At vbi erat? Non cum nobili Decurione municipali Senatore Ioſepho, non cum Principe Phariſaicæ ſectæ, & Chriſtianæ Neophito Nicodemo, qui fuerunt diuini mortui corporis pollinctores, non ſpectatores rediuiui: non cum Maria Magdalena, quæ amore ſollicito Magiſtrum ſuum quærebat, non cum Apoſtolis, qui poſt mulieres ſanctas Sepulchrum adierunt. Cum itaque adhuc non aſcendiſſet ad Patrem dicendum eſt congruè apud Matrem fuiſſe, cui fortaſſe illa Regij Vatis verba pſ. 36 protulit. *Adhæreat lingua faucibus meis, ſi non propoſuero te in principio lætitiæ meæ*, ipſa reſpondente dilecto Filio ſimul, & cæleſti Sponſo illud cant. 4. *Inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam*, ac tandem illud Iacobi Patriarchæ dictum Athletæ Angelo, cum quo luctatus fuerat. *Non dimittam te niſi benedixeris mihi*. In ſenſu allato videtur loqui S. Antoninus 1. p. Ch. c. 7. t. 5. *Licet* inquit *in Euangelio non habetur, quod ante omnes primò apparuit Mariæ Matri ſuæ, vt quæ plus omnibus doluit, citius, & magis conſolaretur, & quia plus hæc meruit, cum omnibus alijs deficientibus in fide firma fuerit, & hæc eſt cauſa quare non iuit ad monumentum.*

An illi præmiſſa fuerit Angeli legatio?
XXII.

ARchangelum Gabrielem, qui ante diuini Verbi Incarnationem venturum Dei Filium illa ſalutatione admirabili nunciarat *Aue gratia &c.* reſurrectionẽ quoque Deiparæ Virgini aperuiſſe illa fauſtiſſima gratulatione *Regina cæli lætare alleluia &c.* refert tanquam re-

uelatum S.Greg.Papæ S. Vincentius Ferrerius in Paſch. ſ. 1., & ad gaudia ingentia excitaſſe.

In communi totius Mundi exultatione peculiare in Reſurrectione Domini Mariæ Deiparæ gaudium.

XXIII.

INgens terræ, cæli, vniuerſæque naturæ lætitia fuit in reſurrectione Domini. Vniuerſitas rerum in morte Domini ita atrata luxit, vt non ſolum ex prophetico oraculo Iſ.33. *Angeli pacis amarè flerent*, ſed teſte magno Leone de paſſ. Dom. *in obitu Conditoris ſui vellent omnia elementa finiri*. E contra *in reſurrectione tua Domine*, vt canit Eccleſia *cæli, & terra lætantur*. Eadem Eccleſia cantat: *Exultet iam Angelica turba cælorum*, & rationem reddens S. Greg. Mag. hom. in Paſch. *quia nos* inquit *renocando ad cæleſtia, eorum numerum complet*. Cæli gaudium incredibile eſt quantum extiterit! Sol enim præcipua Cæli lampas tribus horis ſolitam oriendi legem præueniens inſolito radiorum ardore coruſcus enituit. Eadem de Sole aſſerit Incognitus in pſ. 138. , applicatque illa verba eiuſdem pſalmi Paſſioni, & Reſurrectioni *ſicut tenebræ eius ita & lumen eius*. Et Petrus Chryſol. ſ. de Reſ. ſic concludit. *Qui ante fugerat, nunc ipſam mortem præuenit fugaturus, vt reddat mox lucis horas, quas in tranſitu Dominicæ Paſſionis inuaſerat*. Nec tantum Sol auroram præuenit, & Phoſphorum ſuum ante Luciferum genitus, ſed ſolitò illuſtrior diem geminauit. *Nam & Solem ipſum* ait S. Maximus hom. de Reſ. *arbitror in hac die ſolitò clariorem fuiſſe*. Elementorum

lætitiam idem S. Maximus teſtatur cum ait: *In Reſurrectione Chriſti omnia elementa gloriantur.*

Quid hic dicendum de Marię peculiari gaudio inæſtimabili, quæ *mundus ſpiritualis* dicitur a S. Bern. ſ. de B. Mar. *vniuerſæ creaturæ decus* a S. Io. Damaſc. or. 1. de Aſſ. *ornamentũ præclariſſimum cæleſtis Hierarchiæ* a S. Ephrem. in laud. B. Virg. *cælum ſplendidum incomprehenſum cælis continens Deum* a S. Epiph. or. de Deip. *Oriens orientis* a Pet. Dam. ſ. 3. de Nat. B. M. ac tandem ab Andrea Hieroſolym. in ſalut. Angel. *ortus Solis, qui nullum ferre poteſt occaſum?* Quid cum ſe illi Filius rediuiuus in ſtola immortalitatis ſpectandum, ſalutandum, amplectendumque dedit, & ad pia oſcula manus, & ſacra vulnera porrexit, ſuas victorias, ac triumphos inter totius cæleſtis Curiæ eum ſtipantis plauſus vocibus, ac re ipſa aperiens. De hoc cumulo gaudiorum elegantiſſimè ſic loquitur Rupertus l. 7. de diu. off. *Perpendere geſtit Chriſtiana deuotio, quantus torrens gaudij repente inundans, locumque vulneris replens animam eius ferro doloris confiſſam inebriauit, cum rediuiuus Filius illi ante omnes mortales materno Virginem non defraudans honore victoriam ſuam annunciauit &c.* Similia habet Amed. Lauſan. hom. 6. de Deip. *Surrexit* ait, *& erexit animum Matris ſuæ. Iacebat illa velut in quodam vaſtiſſimo mœroris tumulo donec Dominus iacuit in ſepulchro. Illo namque reſurgente reuixit Spiritus eius, & quaſi de graui ſomno euigilans Solem iuſtitiæ, & radios reſurgentis in luce matutina reſpexit. Intuita eſt ortum ſurgentis auroræ, & præcedentem in Filio futuram*

carnis reſurrectionem. Paſcebatur oculis in carne fulgida reſurgentis, & mente cernebat gloriam Diuinitatis, vt intus, & foris egrediens, & ingrediens frueretur paſcuis vera, ſempiternaque felicitatis. Facta igitur extra ſe, ſuique oblita præ gaudio adhæſit corde lætiſſimo Patri Spirituum & conglutinata Deo in illum tota efferebatur, in cuius amoris immenſitate tota refundebatur. Domine in virtute tua lætata eſt valde, & ſuper ſalutare tuum exaltata eſt vehementer. Deſiderium cordis eius tribuiſti ei, & voluntate labiorum eius non fraudaſti eam. Ricch. a S. Laur. l. 3. priuil. 10. gaudia, quæ rediuiuus Dei Filius Matri attulit, non fuiſſe aſſerit paria doloribus Paſſionis, argumento ducto ex eo, quod in Perſona B. V. dicatur. *Vadam ad montem myrrhæ, & collem thuris*, & ſignificetur iter, profectuſque a doloribus Paſſionis ad gaudia Reſurrectionis, in quo eſt magnus exceſſus montis ſupra collem, Non placet hæc ſententia; nam non minora habuit Deipara Virgo in Reſurrectione gaudij, quam in Paſſione, doloris argumenta. Ille immenſus amor, qui eos doloris fuerat, gaudia prouocabat, & acuebat. Amor quoque Filij in Matrem non permittebat gaudia minora doloribus. Æquæ etiam ſunt diuinæ iuſtitiæ lances, & *ſicut abundant paſſiones Chriſti ex Apoſtolo, ita & conſolatio.* Vnde poterat Sanctiſſima Virgo illud pſ. 93. vſurpare. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam,* illique dilectus erat candidus, & rubicundus *faſciculus myrrhæ,* vt ait S. Bern. de paſſ. ſ. 1. *per amaritudinem paſſionum, & botrus Cypri conti-*

nens

nens in ſe vinum iucunditatis, & lætitiæ. Illa quoque verba pſ. 27. *Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia*, Incognitus hic de veſpertina paſſione, & matutina reſurrectione explicat. Summum gaudium fuiſſe, aſſerit S. Anſel. l. de exc. Virg. c. 6. & de hoc dubitari non poteſt; cum ſit ſemper menſura miſericordiæ Dei conferta, coagitata, & ſuper effluens. *Abraham*, vt habemus Io. 8 *exultauit, vt videret diem meum* (ideſt Chriſti) *vidit, & gauiſus eſt*. Scio hunc diem iuxta magnum Gregor. hom. 18. in Euang. eſſe illum, in quo ei reuelatum fuit Myſterium Trinitatis, iuxta S. Io. Chryſoſt. hom. 14. diem mortis Dei Filij, iuxta Lyranum in Io. diem Incarnationis. Placet hìc ſententia Theodoreti in prænot. c. Io. dicentis eſſe diem Reſurrectionis, illam diem omnium ſæculorum diademate coronatam, Reginam dierum, de qua canit Eccleſia. *Hæc dies, quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea*. Si Abraham Patriarcha longa Progenitorũ ſerie diuiſus ad huius diei Saluatoris rediuiui lucem, ita exultauit, & gauiſus eſt; quid dicendum de Matre amantiſſima, adhuc vulnerata dolore paſſionis, ac tepentibus lachrymis madente, cui beabat oculos ſuauiſſimus aſpectus magni Triumphatoris, aures dulciſſimus cæli, terræque plauſus, amplexus, & oſcula, corpus Sole illuſtrius tot aſtris quot vulneribus radiatum, omnia denique vota, totus Filius laureatis Cæli proceribus ſtipatus Diuinitatem vbique ſpirans, & flore gentiarum omnium vernans, ſpecioſus forma præ filijs hominum, & formoſiſſimus in ſtola ſua, nimirum in gloria immenſa, quam

iam immortalis induerat? Ineffabilis etiam ipſis Angelis fuit hæc Mariana lætitia; vnde S. Anſelm. de exc. Virg. c. 6. his verbis concludit. *Nolo hanc immenſitatem gaudij eius penetrare quis laboret; quoniam, quæ ipſis Angelis Dei eſt admiranda, & impenetrabilis non facile crediderim, quod cuiuis homini mortali poſſit eſſe penetrabilis.*

IN OLIVETO INTVETVR Aſcendentis triumphum.

EXTASIS.

ELOG. XXVII.

Stabunt pedes in die illa ſupra Montem Oliuarum, qui eſt contra Hieruſalem ad orientem. Zacch. 14.

Et cum hæc dixiſſet videntibus illis eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Act. 1.

Extaſim doloris ſtãtis iuxta crucē in Caluario,
amoris extaſi Oliuetum compenſauit.
Ex arida tantum cruce germinat,
omnis cæleſtium deliciarum Paradiſus.
Prima in monte inſtruitur triumphi pompa:
alpeſtris via eſt, qua ad cælum itur.
Quid imponitis terræ filij, vt cælū expugnetis
Pelion Oſſæ?
Hæc veſtra pugna non Numina e cælo,
ſed fulmina trahet.
Vtcunque veraGigantomachia cęlū capiatur,
alij eligendi ſunt montes
Bethleem, Sion, Caluarius, Oliuetum.
His ſuper impoſitis Empyrei Gigas
cælum expugnauit.
Omnibus montibus de triumphi diuini
gloria certantibus,
ſolus mons Oliuarum eligitur.
Inter oleas triumphum inire debuit
Princeps pacis.
Monſtrum deinde fuit
Palmas etiam in Oliueto pullulare.

Exercitum laureatum ne quære:
ſolus vicit, qui triumphat,
& quod mireris omnia.
In hoc triumpho nullum captiuum
hominem videbis.
Victi morte, debellato Erebo, Cęlo expugnato
vterque mundus catenatus
Triumphatorem ſequitur,
& ipſa terra tota in cælum aſcendit.
Aurigatur in nube curuli;
& iure Triumphator,
qui ambulat ſuper pennas ventorum.
Ingens prodigiū fuit nubes aſtris ſplendidior,
Solem ferens.
Illi ceſſit ſui plauſtri Bootes ſtellantes rotas,
igneos ſuos equos aurora.
Fallor: nubes Deo plena Solem, & aſtra vincit,
nec aliena indiget luce.
Aſcendentem quæ nunc Filium nubes portat,
deſcendentem in pluuia linguarum
Spiritum Sanctum feret.
Ita ſemper nubes Diuinitatis vectura,
ingens ſibi pretium eſt,
& geminato Sole,
nouum in cælo diem accendit.
Aſcendens elatis manibus Triumphator
Suis BENEDIXIT.
Quid aliud expectari poterat
à VERBO Diuino,
quam vt ſuis benediceret?
Quid aliud a Triumphatore cruciario,
quam vt in triumpho
victoriæ vexillum explicaret?
Nec ipſe Deus victor cælum intrauit,
niſi ferens trophęum crucis, quæ ipſum tulit.

Vti

Vti nemo niſi in hoc vincit;
ita nec ſine hoc triumphat.
Impreſſis tandem ſuis veſtigijs
Deus Triumphator
in cælum abijt, nec terras deſeruit.
Sine Deo eſſe non poteſt,
qui Dei veſtigia habet.
Ignota adhuc hominibus ad cælum via,
non niſi per diuina veſtigia tutò calcatur.
I nunc, & prædica lacteã eſſe ad Superos viã!
Erras: diuini pedes monent eſſe lapideam.
Illa fabularis Infantibus proponenda eſt:
hæc vera ab Heroibus terenda.
Hoc vno diuinorum veſtigiorum lapide,
terra à cælo diſtat.
Vbi hunc primum lapidem attigeris,
in ſuburbio es Paradiſi.
TriumphũDeus ſtatuarius ſculpit in marmore:
mortem pictor colorauit in lino,
vt cruciatuum momentaneam leuitatem,
gloriæ æternum pondus agnoſceres.
Vmbratilis eſt pictura dolorum,
ſed ſolida celatura cæleſtium gaudiorum.
Apex montis non ſolos pedes lapideos,
ſed totum coloſſum poſcebat.
Si tamen hæc magna veſtigia metiaris,
quantus fuerit Diuinus Hercules ſcies.
Vtcunque illis omnes inſiſtere poſſint;
nullus implebit.
Gigantis veſtigia non implent,
Pigmeorum pedes.
Primus fortaſſe hic lapis ſenſerat Dei mortem;
certè primus triumphum exprimit.
Vltima diuini triumphi appẽdix Angeli fuere,
in alba prætexta candicantes.

Triumphalis dies veſtem poſcebat
non minus lætitiæ teſtem,
quam innocentiæ concolorem.
Cum homines etiam ad cælum aſcendunt,
in liliata triumphant, non palmata;
Aula cæleſtis exuere non debuit
textiles niues in triumpho,
quas in victoria ſui Regis rediuiui induerat.
Poſtquam Rex dolorum in Regia Herodis
candorem induit,
Cælites omnem purpuram abiecerunt.
Abeunte in cælum IESV
hoc habuit ſolatium Eccleſia infans,
quod erepto Patre,
relicta eſt in terris Mater.
Hanc niſi ſuſpenſam prodigijs fixiſſet ſtupor,
iuſſiſſet amor ſequi ad cęlũ triumphatorẽ Filiũ.
Si tamen Filio terras deſerente,
in ſua extaſi non eſt rapta ad cælum Mater.

Conuerſus ad Matrem Dominus dixit. Pax tibi o Mater. Ne contriſteris, quia aſcendo ad Patrem meum. Non te relinquam, quæ ſplendor es, ac feneſtra mundi. Non te relinquam habitaculum meum omni fuco, ac dolo carens. Non te relinquam Templum meum ſanctum. S. Io. Chryſoſt. ſ. 6. de Aſcenſ.

Chriſti Aſcenſio noſtra prouectio eſt, & quò præceſſit gloria capitis, eò ſpes vocatur, & corporis. Hodie enim non ſolum Paradiſi poſſeſſores firmati ſumus, ſed etiam cælorum ſuperna in Chriſto penetrauimus. S. Leo. ſ. 1. de Aſcenſ.

In

In Oliueto intuetur Aſcendentem ad Cælum.

CAP. XXVII.

INundauit cæleſtibus gaudijs Mater totis illis quadraginta diebus, quibus rediuiuus mortis Victor, orcique triumphator Filius ſe ſe in luce, & coloribus ſuis, in ea nimirum immortalitate, quam induerat, ſpectandum ſæpius ſuauiſſimis, ac miris modis exhibuit, ephimeram mortem, ac triduanam ſepulturã ſeſquimeſtri ferè reſurrectionis perpetuæ beatitate ſolatus. Ita diuina præmia humanos labores ferè ſemper non ſuperant tantum, ſed obruunt. Quos ſui non incendebat amores tantus æthna charitatis, cæleſtes vulcanias circumferens fulminum innocentium? Quem non inſpirabat ſanctitatis odorem Nazarenus in ijs roſis vernans, quæ Paradiſum inhalarent? Quos non depluebat influxus gratiarum cælum, tam beneficis ſtellis illuſtre? Quos non imprimebat virtutum caracteres VERBVM diuinum in læthalibus notis vitæ librum explicans? Quos non ſuadebat ſenſus pietatis cæleſtis orator, non vocibus, ſed vibicibus ſonans, & multiplici eloquentiũ plagarum ore, diuina nimirum ſuada facundus? Neque enim tantum Dei Filius formoſus in ſtola ſua Diuinitatis honore, ſed etiam in noſtra, humanitatis ignominia inſignis radiabat, corpus immortale mortis ſuæ veſtigijs

 illuſtrans.

illuſtrans. Aurei fluxere ſub hoc nouo Sole empyreo quadraginta illi dies, quibus nouam amoris legem dedit, Euangelij legislator, & omnium oraculorum ſuorum fidus interpres, & verba habuit æternæ vitæ, quæ infantem Eccleſiam in omnem deinde ſuam ætatem, vſque ad mundi finem erudirent. Amanti Magdalenæ quærenti amores ſuos, ſe ipſum obtulit ſecundum Adamum non tamen horti, vt illa rebatur terreni, ſed Paradiſi cæleſtis cultorẽ, & amore languentẽ fulciuit æternis floribus, maliſque ſtipauit, quæ ex arbore Crucis bonorũ omnium immortalitatẽ germinarunt. Euntibus in Emmaus diſcipulis peregrinis paucis ſtadijs a viſione pacis Hieroſolyma aberrantibus, toto cælo a veritate cæleſtium, ſe ipſum Deum verè abſconditum in fractione panis manifeſtans, viam reddidit, eoſque ſola conſecratos imagine Sacramẽti, fidei reſtituit, a qua etiam Chriſti comites exulabant. In cænaculo ſui corporis prodigus prodigium geminauit, nam illud corpus, quod manducandum exhibuerat, palpandum obiecit, vt fidelis manus oculorum perfidiam accuſaret, & a cæcis veritate, quam non videbant, palpata in mortis notis, Victoris immortalitas, in ignominiæ trophæis, Triumphatoris gloria agnoſceretur. Et certè ſumma felicitas fuit Deum ipſum non cælum tantum, & aſtra tetigiſſe. Iiſdem Princeps pacis pacem obtulit; ſed vulnerum ſuorum inquilinam, fecialem pugnarum, teſſeram triumphorum, qua vrbes expugnarent, debellarent regna, Idololatriam tot ſeculis rerum Dominam de ſolio deturbarent, mundumque vniuerſum Deo ſubigerent. Apo-

ſtolis hominum piſcatoribus laxantibus retia in mare, Deum in prædam ingeſſit, comitem prius laboris, deinde pretium. Prouocauit liberalitatem Numinis auaritia elementi, & quia Deus capi non poteſt, retia expiſcatura orbis terrarum prouincias, magnis impleuit piſcibus, Diuinitatem ſuam non vultu prodens, ſed miraculo, quod vultus Dei eſt. Oſtentauit illis ſæpius plagas ſuas ſtygmaticus Triumphator, vt illarū beneficio Duodecim-viri piſcatores retium ſuorum plagas reficerent, quibus omnes quadrifidi orbis terrarū plagas, etiam ſub ignotis aſtris, & peregrino Sole calentes, tutius poſſent expiſcari. Et mirum fuit rediuiuum Dominum iiſdem diuinis vulneribus Apoſtolorum corda amore cæleſtium vulneraſſe; & curaſſe ab amore terrenorum. Sed nec mirum fuit vbi feriendo, ſanandoque orbi terrarum eadem vulnera, & vibrarunt iacula veritatis, & ſtillarunt opobalſamum ſalutis. Inde diuinum VERBVM, & in catedra crucis, & è ſchola tumuli vitæ magiſter factis, & verbis fidei Doctores inſtituit, docuitque, qua potentia reſpirantes Sanctum Spiritum, quem e corde ſuo illis inſpirarat, terram vbique magnanimo pede calcantes, ignearum linguarum pluuiam, & ſacri fontis ſalutares aquas vbique ſpargentes, ſeruientibus gratiæ concordi famulatu elementis, idololatræ mundi veteres maculas eluerent, amores accenderent, fidem conſecrarent. Sed hæc amicis collata diuina beneficia in Matrem pleniori alueo redundarunt. Illi ſæpius ſe ſpectandum exhibuit ea fere Maieſtate, qua Cælites beat. Ita natus ſemel Filius, potuit ſæpius renatus ſe ipſum

Matris felicitati fænerari, ſpeluncæ tenebras tumuli luce copioſius illuſtrante. Nihil detrahere debuit de pietate Filij gloria; Matremque poſcere videbatur immortalitatis infantia. Inſtituere debebat Matrem ſuam in omnium populorum Matrem, in Nutricem Eccleſiæ lactentis, in Magiſtram Apoſtolorum, in Ideam virtutum omnium, in viuam legem vitæ cæleſtis, quam pro ſe Legiſlatore ad cælum aſcendente, parem regendo orbi Chriſtiano ſufficeret. Illi itaque gratiæ copioſioris, præſentia ſua ſumma decora contulit: illam diuino conſpectu deliciarum cæleſtium flore conſperſit: illam ſuis manibus firmauit in faſtigio ſanctitatis: illam e ſuo pectore omnium donorum ſuorum pretioſioribus theſauris cumulauit: illi ore ſuo arcana cæli penitiora, totumque ſe, & adita cordis patefacta iam per aditum lateris, reſerauit. Affuit tandem optatiſſima dies gemino Sole irradians, futura tamen nube ipſa, quam Sole ſerenior, diuino ad cælum aſcenſui, triumphoq; deſtinata. Poſtquam diem cinerum conſequuta eſt quadrageſima gratiarum. Primum Triumphatoris officium fuit; antequam regia munificentia more triumphali donaria impertiret, alloquutione ſuauiſſima, amplexuque beatiſſimo Matrem ſolari in terris remanſuram, nouellam Eccleſiam Sponſam ſuam eius fidei commendare, & cæleſtibus theſauris refertiſſimũ lætum VALE precari. Oliueti faſtigium a ſacro cætu, veluti victore exercitu Imperatorem ſuum triumphalem ſtipante, occupatur. Arduus ad cælum aſcenſus eſt, & niſi tutò figas pedem, momentò præcipitem dabit ruina maiori, quò altio-

rem

rem tenueris gradum. Certè diuinus ipſe Sponſus e Bethleem, vbi natus fuerat, in Caluarium moriturus, & hinc in Oliuetum rediuiuus more Ceruorum tranſiliens, non niſi per apices montium ad Cælum aſcendit, quod mons Domini eſt in vertice montium. Nemo hanc eſſe Cæli viam dubitet, nam eam ille docet, qui veritas ſimul, & via eſt. Oliueto hanc gloriam auſpices Crucis rami Oliuarum cæſi, ſubiectique IESV, iam mortis ſuæ candidati pedibus, mira fæcunditate paucis diebus germinarunt. Inter oleas triumphare debuit ille pacatus Victor, cuius nomen oleum effuſum debellaturum erat orbem non feriendo, ſed ſanando. Effuſi non ad ſpectaculum tantum Superi, ſed ad obſequium ſuſpenſis alis impatienti ambitione ſeruiendi prodigia venerantur, expectant imperia. Alij cæleſtes Architecti nubē curulem ex auris purioribus, & elementorum flore compactam ſuper infuſis empyreæ lucis radijs fabricant tanto ſeſſore dignam. Alij vbi ſe in aligero curru diuinus Triumphator locauit magno oneri ſuccollantes inter ſummos honores reputant aurigari Diuinitati, totam Dei molem in ſolio excelſo ſedentis humeris ſuis ferre. Abripitur ad cælum cum oculis, animiſque ſpectatorum, Deifera nubes ſeptemplici Sole, totoque Cælo, & ſupra omnem Cęli ſplendorem Deo irradians. Impatientia doloris terrā leuiter cōcuſſit ægre ferentem Deum a ſe auelli, nec poſſe ſequi amores ſuos. Aſcendit tamen ille verius, quam portatur, qui *portat omnia verbo virtutis ſuæ* gratulante natura, Cælo plaudente, & repetitis cantibus Peana canente. Ad Cælum niſi

amoris alis conuolemus;gradiis e terris non eſt. Mater, Apoſtoli, ac tota diuina familia,& ſchola ſequerentur volantem Triumphatorē, niſi eos miracula ſuſpenſos tenerent. Laureati Superi, Inferi catenati alitem currum ſequuntur, milites,& captiui Triumphi appendices. Ebibit nubes fortunatiſſima in monte, quam deinde propinabit in cænaculo pluuiam gratiarum, demiſſura illud Numen e Cælo, quod ex Olіueto in Cælum aſportarat. Nullus titulus triumphi præfertur: iam erat cum Cruce, in qua expoſitus fuerat, tumulatus. Hunc ſolū triumphum mors Triumphatoris anteiuit, qui vicerat moriendo. Interim in ſublimi captiuam ducens omnium hominum captiuitatem Redemptor Deus e Cælo dat dona triumphalia, & congiarium ſalutis dextera in aere ad imaginem Crucis decuſſata, Suis benedicens. Omnia in hoc ſigno dedit, in quo ſe ipſum. Cum hoc ſimul viuendum, & vincendum, in quo cruciarius Deus obijt, & ad Cælum abijt. Quid aliud expectemus largius cęleſtis triumphi congiarium? Quanquam quid potuit Deus dare, cum ſe ipſum eripuit? Nullo Dei damnū compenſatur lucro. Explicari debuit in triumpho vexillum victoriæ. Vincitur geminato etiam ſpiritu Magnus Elias a Triumphatore noſtro. Habemus prodigum ſui, hominumque amantiſſimum diuinum Eliam, qui non inter zeli fulmina, ſed in nube clementiæ ſeptemplicem Spiritum ſuis ſpectatoribus pollicetur; nec mirum, cum igneus illum amoris currus, non in terreſtrem, ſed in cæleſtem inuehat Paradiſum. Priuata ſunt illa donaria, & humana: regia iſta, & diuina, quæ vti magnificentiam

centiam ferunt, ita non patiuntur anguſtias. Cum omnia dediſſet innocenter prodigus Dei Filius, prodigalitatem ſuam etiam prodigio commendat, vbi poſt Corpus ſuum, etiam Spiritum aſcendens in Cælum promittit. Addi tamen voluit in ſeptemplici chariſmate cæleſti non rei tantum pretium, ſed numeri perfectionem. Non diu ſtetit ſpectatorum lætitia, quæ volucri diuino currui etiam ipſa conſidebat. Siquidem nubes admiranda, quæ prius ad aſtrorum omnium inuidiam radiabat, & inuiſum antea diem Dei aurora, Cælo inferebat, ita Solem ſuam immortalem, quem amanter corde geſtabat occultie, vt iam nullus eum mortalis oculus videre poſſet. Hoc etiam demiſſionis exemplum voluit relinqui nobis in triumpho, cum in ſublime raperetur humilitatis Magiſter. Pugnas aperuit & probra triumphum, & honores celat. Sub Sole, licet deinde oculos auerteret, in Caluario Crucem expoſuit: nube inuolutus ſub vmbra ex Olineto triumphator Cælum ingreditur. Vtcunque in hyppodromo terreno aurigatores ludicri ſpectari velint: ferij curſores in circo Cæli maximos inuiſi metam felicius tenent. Aſcendente Domino in Cælum ſerui in terras deſcendunt, ne ſcrutatores Maieſtatis a gloria diuini triumphi opprimantur. Angeli monitores in candidis veſtibus intextum præferunt candorem planè cæleſtem. Quid admiramini, inquiunt aſcendentem ad Cælum? Admirandus magis fuit e Cælo deſcendens. Si bene inſpicitis motu reflexo reſilit, non directo progreditur. Tantum ſem reſilit, quantū deſcenderat. A Patre miſſus in ſinum Matris venerat:

deſerit

deſerit nunc Matrem, vt redeat ad ſinũ Patris. Edocuit iam Aſcenſionis viam in deſcenſu; diſcere potuiſtis apicem gloriæ ex humilitatis abyſſo. Ea gloriæ Maieſtate deſcendet e Cælo in vallem Ioſaphat, qua nunc ex monte Oliuarum ad Cælum aſcendit, idem ſimul, & diuerſus, e Triumphatore in Iudicem migrans. Triumphus hic gloriæ; ille iuſtitiæ erit: etiam tunc nubi inſidebit, ſed fulminum, non luminum Matri. Ita deinde aſcendit in Cælum Deus Triumphator, vt noluerit poſthac amplius viam ab hominibus ignorari. Impreſſit itaque cum ſuis veſtigijs viæ magiſterium in lapide, vt conſtantius duraret, & ſæcula ſuperaret. Inueſtigabiles poſthac erunt viæ eius, quibus deſcendit ad nos, non quibus ad eum aſcendimus. Veſtigium Chriſti gradus eſt cæli: iſte terrarum terminus ſtat Cælo confinis. In eius imitatione vno tantum lapide a Paradiſo diſtamus. Non difficile fuit lapidi, quem dolentē in morte IESVS cadens fregerat, amantem recipere veſtigia Aſcendentis. Geminata metamorphoſi, vbi homines marmorei ſunt, habent lapides ſenſum doloris in morte, amoris in aſcenſione. Reuoluti etiam ſunt a ſepulchro duri eadem obedientia, qua molles ſequuntur triumphantem. Iniuriarum oblitus o bone IESV. verus beneficus conſulis ſoli beneficiorum tuorum memoriæ: mortem pingis in lino, Aſcenſionem ſculpis in lapide. Apagite, qui prophanarum ſtatuarum populos gignitis! Illos plagis, & cæde, igne, & ferro formatis: amantem hic lapis ſe ſe ſculpſit Phidias ſimul, & ſtatua. Erratis Chriſtiani Heroes, ſi alibi, quam ex hoc candido lapide veritatis magiſtro,

magiſtro, & itineris cæleſtis indice, Cæli galaxiam inchoatis. Inter terrenam, cælitemque Hieroſolymam hic tantùm mons Oliuarum intercedit. In hoc Hermathena Olïueti omnes habent, quod diſcant, cum factus Deus ipſe terminus, rectitudinem docet. Mutus hic lapis ſupra triuialem Mercurium eloquens viam ad Cælum indigitat. Nihil rectum eſſe in terris præter iter ad Cælum per lineam breuiſſimam ſecantem diuina IESV viatoris veſtigia, veriſſima geometria demonſtratur. Non potuiſſet multis fortaſſe ſuaderi Deum viatorem fuiſſe in terris, niſi veſtigia pedum reliquiſſet. Parum videbatur orbis terrarum Doctori, indicaſſe toties Cælum manu, niſi etiam pedibus ſignaſſet. Supra hunc baſim erigite mortales innocenti ambitione omnia veſtræ gloriæ monumenta: nihil illo lapide tutius hæc ſuſtentabit, qui Deum tulit. Non iam hic mons Oliuarum Atlanti inuideat: illius tergo Cælum; huic Deus ipſe nobilior ſarcina inſedit. Imò olympus Olïueto cedat nube, quàm aſtris glorioſius coronato, quæ magnum Empyrei fænomemon fuit, & Solem obumbrans, & Sole ſplendidior. Primus hic lapis iactus eſt in Eccleſiæ fundamentum: nullum grauiorem abyſſus ſenſit. Ædilis diuinus viam cæleſtem, quæ longiſſima reputatur, breuiſſimã demonſtrat, cum eam vno lapide ſterni iubet. Et certè vbique a Cælo ſola terra diſtamus: vbi hanc deſerimus, ſtatim illud intramus, nec deſerere poſſumus terram, niſi totam, quia punctum eſt. Vtcunque tamen pulchra veſtigia Deus Sculptor lapidi impreſſerit, nobiliora ſculpſit in Matre. Quacunque illa ibat Chriſtum circumferens

ferens viam ſignabat ad Cælum; vnde CHRISTIFERÆ titulo ſemper illuſtris diutius Filium in moribus, quam in vtero tulit. Abeunte in Cælum Filio Mater in terris ſtetit, & habuit non ſolum terra, quod adoraret in Cælo; ſed Cælum, quod veneraretur in terris. Ita ſibi amores ſuos terra, Cælumque diuiſerunt. Oſculata cum alijs Mater ſacrum lapidem Filij veſtigijs labia conſignauit, nobilemque celaturam, vt celaret amantius, cordi tranſmiſit. Inde ab Olincto deſcendens a Cæli vicinia non diſceſſit, Empyrei limen in diuinis veſtigijs ferens, illo Deo plena, poſtquam aſcenderat in Cælum, quo plena inuenta fuerat, antequam in terras deſcenderet. Aliquid in cænaculo inuenit ſupra Oliuetum non Dei tantum veſtigia, ſed totum corpus, quod Dei Triumphatoris conuiuas faceret, non ſpectatores. Celebrato triumpho victori exercitui debebatur epulum triumphale. Oſculati ſemel veſtigia meruerunt ſæpius toto diuino corpore ſaginari. Interim mortales huic triumpho plauſum date: Empyreum ille vobis capitolium aperuit. Scitote vanitatis plenum orbem terrarum fortunæ pilam eſſe: violentius calcatus in Cælum proijcit. Niſi velitis hoc dare humilitatis palmæ, quæ preſſa ſublimius aſſurgit. Sola terrenorum fuga erit curſus Olympicus ad cæleſtia, nec difficilem aditum inuenietis, poſtquam Dei Ciuitate expugnata primus muralem coronam Chriſtus Aſcenſor obtinuit. Aſcendenti nunc Triumphatori diuino cælites Principes portas ſuas more triumphali non aperiunt, ſed attollunt, æternum iubileum Cælo terris indul-

indulgente. Patet etiam via, quam IESVS
Aſcendens ſuis veſtigijs ſignauit, illa
æternum lapidi imprimens,
& ſuo ſanguine ſcribens.

HAC ITVR AD
CÆLVM.

ELECTIORA

Ex Sacris Scripturis, SS. Patribus, Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Doctoribus Scholaſticis de Maria Chriſti Domini Aſcendentis ad Cælum triumphum ſpectante.

SYNOPSYS.

1 INter alias rationes cur Dei Filius ſeruauerit vulnerum cicatrices in corpore rediuiuo hæc etiam fuit, vt Matris gaudia cumularet. 2. Acta a B. Virgine a Reſurrectione Domini vſque ad Aſcenſionem. 3. An interfuerit MARIA IESV Aſcenſioni, & quam mirum hoc illi in monte oliuarum, beatumque ſpectaculum? 4. Quibus officijs abiens in cælum Filius, Matri vale dixerit? 5. An in his eam alijs prætulerit? 6. Ex qua Olïueti parte, & ad quam cæli partem aſcenderit? 7. De ſacris veſtigijs impreſſis, alijſque prodigijs, quæ conſequuta ſunt. 8. Cur poſt Aſcenſionem Domini Deipara Virgo diu ſuperſtes fuerit?

Inter alias rationes cur Dei Filius ſeruauerit vulnerum cicatrices in corpore rediuiuo hæc etiam fuit, vt Matris gaudia cumularet.

I.

ADmirabile conſilium corporati Verbi ſeruantis in corpore ſuo glorioſo poſt debellatam mortem vulnerum veſtigia, probroſos nimirum mortis caracteres explicari humana voce non poteſt. *Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut conſiliarius eius fuit?* Multæ tamen, & nobiles rationes ad diuini conſilij commendationem adducuntur a SS. Patribus vt poſſimus Angelis ipſis iuxta S. Hieron. in c. 13. Zachar. & S. Cyrill. Alex. 12. in Io. ipſum Dominum rediuiuum mortis Victorem

interro-

Interrogantibus Zachar. 13. *Quid ſunt plagæ iſta in medio manuum tuarum* nos homines aliquo modo reſpondere. Illud negari non poteſt, quod aſſerit S. Leo de reſ. ſ. 1., & S. Io. Damaſc. l. 4. de fid. ort. c. 18. præcipuè ſeruatas eſſe vulnerum cicatrices, vt fides tenellæ adhuc Eccleſiæ, & nutans firmaretur, & firma adoleſceret. IESVM ipſum Dominum ſuis diſcipulis loquentem hiſce aureis verbis inducit S. Pet. Chryſol. ſ. 18 *Aperite manuum foramina, ſulcate latus, aperite vulnera, quia negare non poſſum diſcipulis ad fidem, quod inimicis in pænam ſæuientibus non negaui. Palpate, & vſque ad oſſa inquiſitores ardui peruenite, vt vel oſſa carnis adſtruant veritatem, & me eſſe ipſum, vel vulnera ſeruata teſtentur.* Cyrill. quoque Alex. l. 18. in Io. vnice perſuaſiſſe aſſerit fidelibus, reſurrectionem Domini hæc aperta vulnerum eloquentiſſima ora. *Ad dubitantium* inquit Auguſt. tr. 121. in Io. *corda ſananda vulnerum ſunt ſeruata veſtigia.* Idem Auguſ. l. 2. de ſymb. c. 8. iure ſenſit retenta fuiſſe in corpore glorioſo vulnerum veſtigia, non pro amicis tantum, ſed pro inimicis, qui ſanguine IESV Chriſti crucifixi pro ſalute hominum abutuntur, & iterum peccatis crucifigunt, vnde poſſit illis exprobrari. *Ecce hominem, quem crucifixiſtis! Videtis vulnera, quæ inflixiſtis! Agnoſcitis latus, quod pupigiſtis, quoniam per vos, & propter vos apertum eſt, nec tamen intrare voluiſtis.* Alios teneriores, & dulciores ſenſus ex ſacris cicatricibus haurit mellifluus Bernardus ſ. 61. in cant. Primus eſt ſeruata eſſe loca clauorum, & lanceæ, vt eſſent miſeris veluti vrbes refugij, aperirentque omnibus tutum

aſylum,

aſylum, & arcem inexpugnabilē. Sic autem ad illa verba S. Thomæ Apoſtoli poſt palpata vulnera *Dominus meus, & Deus meus*, & ad alia exod. 33. *Stabis ſuper petram, & tranſibo, & abſcondam te in foramine petræ.* alludens loquitur. *Vnde hoc reportatur oraculum, niſi ex foramine petræ? In his ſe columba tutatur, & circumuolitantem intrepida intuetur accipitrem, & ideò ait, veni columba mea in foraminibus petræ. Quid non boni in petra? In petra ſecurus, in petra firmiter ſto, ſecurus ab hoſte, fortis a caſu.* Secundus eſt Sponſum ſanguinis has cruentas notas retinuiſſe, vt eſſent faces veluti Martyribus non minus, quam purpura bellatoribus Elephantis ante oculos explicata, ad fortiter omnia ferēda. *Enim verò* inquit *non ſentiet ſua, dum illius vulnera intuebitur. Stat Martyr tripudians, & triumphans, tot ſolites lacero corpore, & rimante latera ferro non modo fortiter, ſed & alacriter ſacrum e carne ſua conſpicit ebullire cruorem.* Alia ratio eſt, vt habeamus ſemper cum victoria oratrices apud Tribunal diuinum has plagas. *Aduocatum habemus apud Patrem Ieſum.* Hunc ſtygmaticum eſſe, & in corpore glorioſo redemptrices mundi notas oſtentantem ait S. Thomas in 1. Io. c. 2. Similia habet S. Cyprianus ſ. de bapt. Heb. *Vt appareat* ait *vultus Dei pro nobis, vt ſemper ſeruata in corpore plagæ ſalutis humanæ exigant pretium, & obedientia donatiuum.* Iam confidentèr poſſumus dicere æterno Patri. *Reſpice in faciem Christi tui.* Hæc aperta vulnerum diuinorum ora omnem eloquentiam vincunt, & cum orant apud æternū Patrem, ſemper perorant. In illis ſola gratiæ ſignatura deſcribitur. De vulneribus glorioſis

Chriſti

Chriſti Domini in corpore beato ſeruatis ſic etiam altè loquitur Rupertus Abb.l.12.de vir. *Vulnera* inquit *illa reſeruantur illi (*nimirum Chriſto Domino*) ad gloriam, nobis ad gratiam, inimicis ad crudelem conſcientiam*. Inuenit etiã S.Bern. ep.351. in ſacroſanctis plagis panopliam diuinam ad omnes tentationes vincendas, & ad ſugenda nos hortatur non tam vulnera, quam vbera Crucifixi. Ab illis duriora pectora impiorum hominum emolliri, ac veluti vulnerari affirmat S. Bonau. in ſtim. diu. am. c. 1. ſic exclamans. *O vulnera corda ſaxea vulnerantia, & mentes congelatas in flammantia, & pectora adamantina liquefacientia!* Aperiunt quoque ex Bernardo ſ. 3. de Nat. Dom. offenſæ diuinę grauitatem, & inflictum animæ læthale peccati vulnus; vnde omne humanum genus ſic alloquitur. *Agnoſce, quam grauia ſint vulnera tua, pro quibus neceſſe eſt bonum Chriſtum vulnerari*. Arrham nobis exhibent ex S. Leone æternæ felicitatis. *Nam vt ipſe ait certa, atque ſecura eſt expectatio promiſſæ beatitudinis, vbi eſt participatio Dominicæ Paſſionis*. Imò portam Ciuitatis Dei, cæleſtis nimirum Hieroſolymæ aperiunt. Vnde vt notat S. Auguſt. tract. 102. in Io. non dixit ſacer Euangeliſta, quod *lancea Ieſu latus percuſſit, ſiue vulnerauit, ſed aperuit, vt illhinc quodamodo vitæ oſtium panderetur. Et hæc* certè iuxta pſ. 117. *eſt porta Domini: iuſti intrabunt in eam, & paſcua æterna gloriæ inuenient.*

Aliæ rationes a SS. Patribus adducuntur, ſed omnibus omiſſis ſentio ſibi etiam ſeruaſſe IESVM Dominum ſeruatrices mundi plagas, vt Sanctiſſimæ Matri, cui ſæpius ſe ſpectandũ

prębuit illis quadraginta diebus, qui glorioſam Reſurrectionem ab admirabili Aſcenſione diuidunt ingens gaudiorum ſeges, & meſſis deinde germinaret copioſa gratiarum. Ingentem fuiſſe gaudiorum ſegetem, & meſſem gratiarum quis neget Matri Virgini illa mortalitatis ſigna in corpore Filij immortali ſeruata? *Ieſu plagas eſſe Mariæ maximam exaltationem, & gloriam* multis rationibus probat ſub nomine Aloyſij Siderei Vincentius Carrafa morum integerrimorum, & probatiſſimæ ſanctitatis ſeptimus Præpoſitus Generalis Societ. Ieſu in aureo libello, cui titulus *Faſciculus myrrhæ*. Ipſo eas ſuo ſanguine virgineo formarat: ipſa ad earum exaltationem, & gloriam votis, factiſque cooperata fuerat: teſtes erant illuſtres non paternæ tantum Deitatis, ſed maternæ excellentiæ in Filio glorioſo. *His plagatus ſum inquit ipſe Dei Filius* Zachar. 13. *in domo eorum, qui diligebant me*. An vllus dolor Matrem premere poterat, & eius ſumma gaudia turbare ad hæc patientiæ Filij æterna, & glorioſa exemplaria? *Quis pati renuat* ait Laur. Iuſtin. de caſ. con. c. 8. *patiente Domino? Paſſio Paſſione vincitur, cruciatus cruciatibus ſuperatur, dolorem ſerui dolor lenit Domini*. Et hoc vt notat S. Bern. ſ. 61. in cant. non facit ſtupor, ſed amor, illius nimirum, *qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem*, & iuxta S. Ambroſ. in Luc. c. 22. *priuari voluit delectatione Deitatis, & ſaginari voluptate patientiæ*. Proh quale gaudium veluti Oceanus cæleſtis mellis animam Matris vndequaque inundabat, cum e vulneribus glorioſis Filij deriuari videbat diuini ordinis bona, quæ naturam noſtram ſupra ſe ad

Dei

Dei amicitiam, poſſeſſionemque extollunt. Omnes ſiquidem Theologorum Scholæ clamant dona ſupernaturalia gratiæ, & gloriæ vniuerſa eſſe effectus, & præmia vulnerum, & meritorum Chriſti Domini, qui, vt docet Seraph. Doctor in ſtim. c. 12. *per apertionem lateris ſanctis meruit viſionem apertam, quibus dicitur. Haurietis aquas cum gaudio de fontibus Saluatoris*, ſiue vt alij cum D. Hieron. legunt *de fontibus Ieſu*, nimirum eius vulneribus perennia gaudia reſupinantibus. In illis vulneribus Deipara Sanctiſſima agnoſcebat vulnerum noſtrorum medelam, & opobalſamum ſalutis humani generis. *Filius enim Dei Altiſſimi* iuxta S. Bern. ſ. 3. de Nat. *iubetur occidi, vt vulneribus meis pretioſo ſui ſanguinis balſamo mederetur*. Expendebat in illis theſaurum inæſtimabilem Eccleſiæ militantis. Siquidem in Bulla Leonis habemus, *per effuſionem ſui Sanguinis Chriſtum Dominum infinitum Eccleſiæ militanti theſaurum aquiſiuiſſe*. Vnde S. Auguſt. in Enchyrid. c. 2. ſic aiebat. *Quidquid mihi deeſt, vſurpo mihi ex viſceribus Domini mei, quoniam miſericordiæ affluunt, nec deſunt foramina, per quæ effluant*. Illa ſuauiabatur, vt flores ſpirantis Paradiſi, ęterniquè veris e beato corpore progerminantes, *flores* teſte Bern. ſ. 33. in cant. *rubentes, & ardentes, rubentes ſanguine Paſſionis, & ardentes igne charitatis*, dicebatque cæleſtis Sponſi Filij, & Sponſa, & Mater illud cant. 2. *Iam hyems tranſijt, nimirum Paſſionis, imber abijt, & receſſit, flores apparuerunt in terra noſtra*, atque his fulciri volebat, quia amore languebat. Obſtupeſcebat ad vulnerum beatorum decorem immenſum, ac ſplendorem

prorſus diuinum; nam vt docet Angel. Doctor 3. p. q. 54. a. 4. *Vulnera, quæ parmenſerunt in corpore Chriſti non pertinent ad corruptionẽ, & defectum, ſed ad maiorem cumulum gloriæ.* Et deinde ſubiungit, quod *in locis clauorum ſpecialis quidam decor apparebat*. Imò veriſſimum eſt, quod dicit piiſſimus Bloſius inter pulcherrima Empyrei ſpectacula infra Deum nihil illuſtrius, nihil magnificentius, nihil glorioſius ſacris IESV ſtygmatici vulneribus ſpectari. *Hæc* ait *quinque vulnera Sanctiſſima plus pulchritudinis decoris, & claritatis toti cæleſti Curiæ conferunt, quam alia omnia, quæ in vita perenni (excepta Diuinitate) habentur.* Hinc eſt teſte Vener. Beda c. 24. in Luc. reſeruaſſe ſibi glorioſas plagas in corpore immortali mortis, & erebi victorem, *vt perpetuum gloriæ ſuæ circumferat triumphum.* Vnde ſæpius in pulcherrimorũm vulnerum, quæ Empyreos Ciues recreant, meditatione, intuituque Beata Virgo gaudijs cumulata erupit forte in illa verba Abac. 3. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo,* ſiue vt habet Cald. lectio *factore Redemptionis meæ.*

Nec minor fuit meſſis gratiarum copioſè collecta e ſacris vulneribus, quam eſſet, quæ pullularat largè ſeges gaudiorum. Vnde poterat dicere nõ iam *faſciculus myrrhæ Dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur, ſed meſſui myrrham cum aromatibus* ideſt *myrrham Paſſionis*, vt pius Auctor Vincentius Carrafa notat *cum aromatibus gratiarum*. Et certè ſi vt ait Auguſt. in man. c. 21. copioſa redemptio data eſt nobis (nimirum ſeruis) *in vulneribus Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri, magna multitudo dulcedi-*

dulcedinis, plenitudo gratiæ, & perfectio virtutum; quid de Matre dicendum eſt, quam vti ſupra omnes Sanctos multis titulis longè maiorem, ita ſolo Deo, quem genuit, minorem veneramur. Sunt glorioſa vulnera cæleſtes veluti cancelli diuini amoris, & ſpiramenta, & iuxta Bernar. ſ. 61. in cant. *ſpiramenta diuinorum arcanorum. Quis cognouit* inquit *ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? At clauis reſerans clauus penetrans factus eſt mihi, vt videam voluptatem Domini. Quid ni videam per foramen? Clamat clauus, clamat vulnus. Patet arcanum cordis per foramina corporis, patet magnum illud pietatis Sacramentum, patent viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto.* Nefas eſſet aliquid putare inter Sacramenta cæleſtia reuelatis cæleſtium oraculorum cortinis non recluſum Dei Matri fuiſſe. Si manus Sponſi ſanguinis vulneratæ aureæ ſunt, & plenæ hyacinthis cæleſtium gratiarum, quam inconceſſam dicemus illi, in cuius capite corona eſt de lapide pretioſo? Si in ſuis manibus nos deſcripſiſſe ſe clamat crucifixus amor Iſ. 49. quam altè impreſſis caracteribus dicendum eſt deſcriptum fuiſſe non in manibus tantum, ſed in aperto latere MARIÆ nomen beatiſſimis illis notis illuſtre, ac venerandum? Si hæc ſunt vulnera vulnerantia, vt dicebat Seraph. Bonau. & vt S. Auguſt. in pſ. 119. *Si nouit Dominus ex illis ſagittare ad amorem*, quoties Deip. Sanctiſs. dicere Filio potuit *vulnerata charitate ego ſum: ſagitta tua acuta ſiue* vt habet Græca lectio *potentiſſima?*

Acta a B. Virgine à Reſurrectione Domini vſque ad Aſcenſionem.

II.

ILlis ſacris, fauſtiſque diebus, quibus rediuiuus Dei Filius in terris commoratus eſt, Sanctiſſima Mater MARIA beatiſſimam vitam egit, bonis cumulata pro diebus, quibus viderat mala, Filij ſæpius glorioſa præſentia, ſuauiſſimis colloquijs, & cæleſtis corporis, ac ſanguinis eius epulo recreata, multiſque arcanis ſolatijs, nulli hominum conceſſis, exhilarata. Iuuit multum Deipara Virgo tot, ac tantorum myſteriorum conſcia, ac teſtis, vocibus, exemplisque ſuis nouellæ fidei prima rudimenta, ac veluti recens natę Eccleſię lactauit infantiam. Indiuiduum eius Comitem a Caluario fuiſſe Ioannem ex adoptione diuinà Filium, quia iam acceperat eam in ſuam, ac tanquam Matrem colebat, & venerabatur aſſerit Laurentius Maſellus in vita B.V.l.6.c.17. Vnde cum ipſo MARIA in Galileam perexit, & in monte, vbi ſe ſpectandum multis dedit in luce, & paludamento glorię ſuę Rex glorię, cum alijs eum vidit, ac deinde Hieroſolymã redijt. Hunc fortunatum montem fuiſſe Thabor Chriſti Domini transfiguratione illuſtrem, & vt vocat S. Petrus Apoſtolus *Sanctum*, Ianſenius, & Maldonatus in cap. 28. Matth. affirmant.

An interfuerit MARIA IESV ad Cælum Aſcenſioni. & quam mirum hoc illi, beatumque ſpectaculum, in monte Oliuarum?

III.

OLiuarum montem primis Paſſionis Domini victorijs illuſtrem, eius etiã Aſcen-

dentis

dentis triumpho nobilitatum fuiſſe iam nemo dubitare poteſt. Infertur euidenter ex ſacra hiſtoria. Nam S. Luc. act. 1. poſt deſcriptum Aſcenſionis triumphum, eiuſque modum admirabilem concludit. *Tunc reuerſi ſunt Hieroſolymam a monte, qui vocatur Olueti.* Omnes PP. ſuffragantur. Et Sancta Eccleſia in Martyrologio in vigilia Aſcenſionis Domini hanc celebritatem ſic annunciat. *In monte Olıueti Aſcenſio Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Huius Sacri montis omnes veteres, & recentiores Scriptores mentionem faciunt, præſertim qui de locis ſacris agunt, S. Hieron. de loc. Heb. Beda de locis ſacris, Adrichomius in deſc. terræ Sanctæ, Quareſmus in elucidar. Baronius t. 1. ann. an. Ch. 34. & alij innumeri. Ipſa B. Virgo S. Birgittæ l. 5. reuel. in fine ſic aperuit hanc Veritatem. *Quintus locus erat mons Olıueti, de quo Filius meus quaſi aquila euolauit ſecundum humanitatem in Cælum, vbi ſecundum Diuinitatem ſemper erat.* Interfuiſſe in hoc monte Matrem Sanctiſſimã admirabili Aſcenſioni Filij a d Cælum communis fert ſententia Patrum, pius fidelium ſenſus ſuadet, reciprocus Filij, Matriſque amor, excellentia vltimi myſterij, aliaque innumera dubitare non permittunt. *Quis aſcendet in montem Domini; aut quis ſtabit in loco ſancto eius?* An non B. Virgo congruentiſſimè, quæ ab omni peccato immunis ſupra omnes alios erat *innocens manibus, & mundo corde, nec acceperat in vano animam ſuam?* Non decebat, cum Filius opus conſummaret, quod dederat ei Pater, & ſibi coronam imponeret, quæ Eccl. 1. dicitur *corona exultationis* Ezech. 16. *corona pulchritudinis* Apoc. 2.

corona vitæ 2. ad Tim. 4. *corona iuſtitiæ*, ſibique triumphum adornaret prorſus diuinum ad cœleſte capitolium Sanctiſſimam Matrem totius euangelicæ expeditionis ſociam, hoſpitamque conſtantiſſimam Caluarij ob Oliueto in tanta eius gloria abeſſe. Admirabilem Aſcenſionem S. Bern. hom. de Aſcenſ. Domini vocat *felicem clauſulam totius itinerarij Filij Dei*, & de eadem loquens S. Epiph. ſ. de Aſcenſ. hæc habet. *Vt enim caput totam corporis conſtitutionem ornat, ita hodierna diei ſolemnitas diuina œconomiæ pulchritudinem, quaſi colophonem imponens, mirificè illuſtrat*. Hoc ipſum S. Birgitta in ſuis reuelat. teſtatum habet. Vnde or. 1. poſt ſermonem Angelicum ſic B. Virginem ſalutat. *Gaude igitur digniſſima Domina mea Virgo Maria, quæ morte deuicta, & mortis actore ſupplantato, Cælique introitu patefacto Filium tuum reſurgentem, & corona victoriæ triumphantem vidiſti, & quadrageſima die poſt Reſurrectionem ſuam honorificè vt Regem ſociatum Angelis ad ſuum regnum calorũ videntibus multis, aſcendere conſpexiſti*. Affirmant idem S. Anſel. l. de exc. Virg. c. 8. S. Hildeph. ſ. 4. de Aſſum. S. Bernar. cum alijs Patribus relatis a Io. Carthag. tom. 2. hom. 8. l. 5.

Aſcendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ, vt iam oracula ſacra prædixerant ſtipantibus Superis laureatis vtriuſq; orbis Triumphatorem, & inter æternos plauſus lætum peana canentibus, Sole auguſtioribus radijs coronato, ſtelliſque ſereniori fronte nictantibus, & cum elementorum tripudio vniuerſa natura gratulante. Vnde mirum, beatumque hoc ſpectaculum fuiſſe præſertim Deiparæ

Sanctiſſi-

Sanctiſſimæ nemo dubitare poteſt. Angelorum exercitus, vti naſcenti genethlicum, ita epinicion Triumphatori ingeminat. Alij alternantibus ſuauiſſimum melos muſicis choris *Attollite portas*, clamabant, *Principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Reſpondebant alij. *Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.* Alij medio in aere in extaſi admirationis ſuſpenſi paſſis alis iuxta illud Iſ. 63. interrogabant. *Quis eſt iſte, qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra*, id eſt vt exponit Hugo hic *membris cruentatis, quia tunc apparebant cicatrices eius. Rei nouitate*, vt inquit S. Hieron. hic *perterriti, imò rapti in ſtuporem*, vt dicit S. Auguſt. ſ. de Aſcenſ. *quia viderunt Cælites cuncti ſpecioſum vulneribus Chriſtum* ſic interrogarunt, & ſubiungere deinde potuerunt. *Vidimus Ieſum propter Paſſionem gloria, & honore coronatum*. Alij cæleſtibus ſphæris, illuſtribuſque, ac ſplendidis illarum inquilinis dicebant. *Iter facite ei, qui aſcendit ſuper occaſum; Dominus nomen illi.* Non alius illi currus triumphalis fuit, quam fortunatiſſima nubes ſupra ſtellarum, Soliſque pretium, & iure nam ei cecinerat Regius Pſaltes pſ. 103. *qui ponis nubem aſcenſum tuum*, ſiue vt originale Heb. legit *currum tuum*. Neceſſaria curulis nubes erat ei, qui ſuper cardines Cæli graditur, & ambulat ſuper pennas ventorum. In nube obſcura, ac tenebricoſa, vt notat D. Ambroſ. ſ. 61. oriens Deus natus eſt, aurigari, nec potuit, nec debuit, niſi in illuſtri, *& nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum*. Fuit tamen vera nubes, vt probat Abulenſis cum communi Doctorum ſententia, licet aliter ſentiat Caieta-

nus in cap. 1. act. Apoſtolorũ.Hoc manifeſtè colligitur ex Angelo; dixit enim. *Sic veniet quemadmodum vidiſtis eum Aſcendentem in Cælum*. De ſecundo autem aduentu dicitur. *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus Cæli*. Hæc nubes compacta eſt Angelorum opera ex puriſſimis vaporibus non ſolum, vt alitem currum Aſcenſori diuino momento fabricaret, ſed vt protectionem fidelium aſcendentium ad Cælum ſignificaret. *Semper Deus* inquit S. Ambroſius ſ. 61. *quos per iniurias perducit ad requiem protegit nubis vmbraculo, ſicut Filios Iſrael liberatos de Ægypto nube Cælum protexit, & vt poſt multum laborem in terram promiſſionis induceret, expandit nubem in protectionem eorum*. Hæc nubes Cælum tenuit; ſed aliam nobiliorem protetricem nubem reliquit Chriſtus Dominus Aſcenſor in terris, Matrem nimirum ſuam, quæ dicitur *nubecula parua, quaſi veſtigium hominis dulcis, & pura de mari ſalſiſſimo, & inquinatiſſimo* a Io. Hieroſ. de inſti. Monach. c. 32. *Nubes leuis, quæ ſuper Cherubim ſedentem geſtauit* a Proclo or. de Nat. Dom. *nubes pluuiæ portum animis Sanctorum exhibentis* a Chryſippo or. de Deip. *nubes diei, nunquam in tenebris ſemper in luce* a Hieron. in pſ. 77. ac tandem *nubes tonitruiformis fulgur in vtero geſtans, & columnæ ſimilis, Deum habens, ductrix per deſertum* ab Epiph. or. de laud. Deip. *nuncia itineris recti* a Io. Geometra in cat. Cord. ad cap. 1. Luc. v. 36. Illam Deiferam nubem innumerabiles Cælites ſtipabant, ducebantque, nam vbi legimus in pſ. 67. *Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium*. S. Hieron. ſacræ linguæ peritiſſimus vertit

Currus

Currus Dei innumerabilia millia Angelorum. Ad viuum etiam huius triumphi imaginem exprimit Paraph. Cald. cum transfert. *Currus Deo venti ardentes, duo millia Angelorum ducunt illum, Diuinitas Dei ſedet ſuper illos. Angelici tamen* inquit S. Bern. ſ. 2. de Aſcenſ. *comitatus obſequio, non fultus auxilio ferebatur.* De Angelis more triumphali Aſcenſorem Dominum celebrantibus ſic loquitur B. Pet. Dami. de Aſcenſ. *Interim toto illo decurſu ab Empyrei introitu vſque ad ſummos Angelorum ordines o Chriſte humanam naturam vna tecum Aſcendentem conſpicientes ſumma admiratione perculſi ſine vlla intermiſſione laudes tuas celebrant.* Et quia vt habemus prou. 14. *In multitudine populi dignitas Regis; in paucitate verò plebis ignominia Principis,* nec deerant nobiliſſimæ Sanctorum Phalanges fauſtiſſimis acclamationibus plaudentes. De his hæc habet S. Ambroſ. ſ. 2. de Pentec. *Solebat ſicut dicunt Regum triumphantium curtus captiuorum turba præcedere. Ecce Dominum Aſcendentem ad Cælos non præcedit, ſed comitatur glorioſa captiuitas: non ante vehiculum ducitur, ſed ipſa euehit Saluatorem, quodam enim myſterio dum Filium hominis extollit ad Cælum, ipſa captiuitas portatur, & portat.*

Sed nihil Auguſtius erat IESV Triumphatoris Maieſtate. Hæc potiſſimum MARIÆ oculos perſtringebat, totamque rapiebat ad Cælum. *Iſte formoſus* vt habemus Iſ. 63. *in ſtola ſua gradiens, in multitudine fortitudinis ſuæ. Et ecce* Dan. 7. legimus, *in nubibus Cæli quaſi Filius hominis veniebat, & vſque ad antiquum dierum peruenit, & dedit ei poteſtatem, & hono-*

rem, & regnum. *Eleuatus* eſt quidem paulatim *videntibus illis* iuxta ſacrum textum, vt glorioſi ſpectaculi mora Almæ Matris, Apoſtolici Senatus, quem iam iudicando terrarũ orbi præfecerat, & reliqui dilecti populi ſpectatoris amores accenderet diuturniores, & longa gaudia in æuum perennatura procrearet. At vbi curulis *nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum, exultauit, vt Gigas ad currendam viam & ſicuti fuerat a ſummo Cælo egreſſio eius, ita aſcenſio vſque ad ſummum eius*. Ibi æternus Pater Filium excepit *conſtituens illum* iuxta Apoſt. ad Epheſ. 1. *ad dexteram ſuam in cæleſtibus ſuper omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & ſuper omne nomen, quod nominatur non ſolum in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro*. Ibi vna non ſolum totius naturæ, ſed Empyrei voce plauſum eſt, dictumque illud fortaſſe Apoc. 5. quod æternos cantus, & plectra Cælitum animat, beatque ſedenti in throno, & regno *gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum Amen*. Solus infremuit ineluctabili luctu tenebrarum princeps, e Cęli lucifero abyſſi heſperus, ad illius Victoris Imperatoris triumphum, qui vt ait Apoſt. ad Col. 2. *Expolians poteſtates, & principatus traduxit confidenter palam triumphans illos in ſemetipſo*, illudque ſolium occupauit, quod ipſe perduellis Angelus per ſummum nefas appetierat iuxta illud Iſ. 14. *In Cælum conſcendam, ſedebo in monte teſtamenti in lateribus Aquilonis, exaltabo ſolium meum, & ero ſimilis Altiſſimo*, cum gemmis fundata, conſtrata auro, & ab Agno dominatore terræ, qui occiſus meruit habere Diuinitatem, tanquã a Sole Empyrei illuminata *prope latera*

aquilonis

aquilonis ſit Ciuitas Regis magni. Eius iniuſtiſſimas querelas cum Filius hominis excelſior Cælis factus, vt loquuntur S. Ambroſ. ſ. 62. & S. Maximus hom. 2. poſt Pentec. *altiora Paradiſi petijt, Cælorum faſtigia penetrauit* his verbis exprimit S. Epiph. de Aſc. Ch. *Hodie Diabolus corpus noſtrum in Cælum ſubleuatum cernens calamitatem ſuam deplorat. Quid faciam infelix? Mariæ Filius me conculcauit.* Sed longè maius ſupra omnes magnæ Matris gaudium fuit ad hoc tam mirum, beatumque ſpectaculum. Hæc ex ſacris eloquijs ſufficiant. Huius diuini triumphi celebritatem humanos omnes longè ſuperantem deſcribit fusè Io. Carthag. t. 3. l. 15. hom. 6. 7. & 8.

Quibus officijs abiens in Cælum Filius Matri valedixerit.

IV.

AD Patrem non aſcendiſſe Chriſtum Dominum, niſi prius petito, ſaltem declarato Matris conſenſu, vti in primo ſuo e Cælo e ſinu Patris ad ſinum Matris aduentu in terras meditatur fusè Guillelmus Paruus cant. 8. ad illa verba. *Quæ habitas in hortis, Amici auſcultant. Fac me audire vocem tuam.* Non abnuo circa hoc; nam *Nemo* vt habetur Io. 3. *aſcendit in Cælum, niſi qui deſcendit de Cælo. Eadem ſiquidem Perſona*, vt ait S. Auguſt. in comm. *illius loci deſcendit, & aſcendit. Deſcendit quidem ſine corpore, aſcendit autem corpore induta.* Deinde ſuadet hoc mutuus Matris, & Filij amor. Neque indecorum officium illud etiã in Domino Triumphatore videri debet. At illud non placet, quod Sanctiſſimam Matrẽ

cunctabun-

cunctabundam inducir in aſſenſu præſtando; & pro eo extorquendo inſtantem Filium his verbis. *Quid me retentas o pia Mater, ne me recipiam in dexteram Patris, ne me recipiam in hortos illos cæleſtes, vbi habites mecum, & perennibus delicijs affluas? Scio quod tenera charitate tudes meos diſcipulos diligas, ſed attende quid amici Angeli optent, atque expectent, qui profectò norunt, quod te inuita nolim reuerti ad Patrem. Quia ergo amici auſcultant dic, quod dictura es: fac me audire vocem tuam, ideſt da Filio ad Patrem redeundi licentiam.* Habet multa alia huic digreſſui Filij a Matre e terris in Cælum valde accommodata. At non eſt veriſimile Deiparam Sanctiſſimam vllam remoram iniecisse ſuis verbis Chriſto Domino iam iam aſcenſuro ad Patrem, cum adornati triumphi inſtrueretur pompa, & confertiſſimus Superum laureatus exercitus ſtiparet, & citaret abeuntem. Sciebat quidem Beata Mater cum Filio auolare in Cælum omnes amores ſuos, & omnia in terris gaudia extingui, ſed vnanimis illi erat, ac tota facta ſecundum cor Dei, ipſique pro omni lege benè, beatèque viuendi erat voluntas diuina bona, beneplacens, & perfecta. Erant nota diuini VERBI ſuos diſcipulos alloquentis ſalutaria monita. *Exiui a Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Nam ſi ego non abiero Paraclitus non veniet ad vos. Aſcendo ad Patrē meum, & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum. Si abiero, & præparauero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad me ipſum. Expedit vt ego vadam. Si non abiero Paraclitus non veniet ad vos.* Abibat IESVS in

Cælum

Cælum futurus Eccleſiæ naſcentis patronus æternus, vt legimus 1. Io. 2. *Aduocatum habemus ad Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris*. Imò ita abibat in Cælum, vt nec ſua præſentia ſacramentali in Euchariſtico Epulo vbique terrarum conſtitutus, vllam terrarum partem defereret iuxta amabile illud, ſed inuiolabile promiſſi Matth. 28. *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi*. Oracula diuina de triumphali Filij aſcenſu ſæpius meditata fuerat, illumque eſſe norat, qui apud Regium Pſaltem *Aſcendit ſuper Cælum Cæli, in Sole poſuit tabernaculum ſuum; aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, parauit in Cælo ſedem ſuam*. Cenſendum eſt congruentius illis magnis vocibus, quibus Deum in terras traxit e Cælo, iterum ad cælum e terris prouocaſſe. *Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum Verbum tuum.* Addidit fortaſſe illud cantic. 4. *Fuge dilecte mi, & aſſimilare capreæ, hinnuloque ceruorum*, illud Regij Vatis pſ. 56. *Exaltare ſuper Cælos Deus; & in omni terra gloria tua. Exurge Domine tu, & Arca ſanctificationis tua*, ac tandem illud patientis Prophetæ c. 4. *Si habes brachium ſicut Deus, aut ſimili voce tonas circunda tibi decorem, & in ſublime erigere, & eſto glorioſus, & pretioſis induere veſtibus, diſperde ſuperbos, & omnem arrogantiam humilia, & ego confitebor, quod poſſit te ſaluare dextera tua*.

An in his eam alijs prætulerit?

V.

IN hoc auguſtiſſimo Filij triumpho alijs pijs ſpectatoribus longè prælatam fuiſſe San-

ctiſſimam Matrem nemo dubitare poteſt. Ipſa iuxta aliquorum ſententiam, vt refert Io. Carthag. t. 3. l. 12. hom. 1. longius diſtantem a terra, cæloque viciniorem ſpectauit Triumphatorem Filium, exceſſu meritorum oculorum aciem, vimque cum amoribus, & gaudijs amplificante. Aſcendens ille in altum in triumpho ſuo *captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*, ſed Matri largius congiarium, & donaria ſublimiora prodegit. Ipſi enim, cum benedicens ferebatur in Cælū benedixit omni benedictione in cæleſtibus. Apoſtoli Sancti, alijque admirabilis Chriſti Aſcenſionis ſpectatores teſte Bernar. ſ. 3. de Aſc. ad illa verba ſacri textus *videntibus illis eſt eleuatus in Cælum, deſiderantibus oculis ſequuti ſunt gradientem* etiam procul dubio poſtquam *nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum* contemplatione cæleſti, quæ animæ oculus eſt, cælum, abyſſum, & omnia penetrante. Hinc Angeli illi poſt triumphum diuinum in terris relicti piam turbam interrogarunt. *Quid admiramini aſpicientes in Cælum*. Hinc ad eorum exemplum nos ad hanc myſticam Aſcenſionem hortatur S. Bern. ſ. 6. de Aſcenſ. illis verbis. *Leuemus igitur Fratres mei, leuemus in Cælum corda cum manibus, & Aſcendentem Dominum ſequi quibuſdam veluti paſſibus fidei, ac deuotionis contendamus*. At quibus amoris alis euecta Deipara Sanctiſſima oculis, manibus, paſſibus, animo, tota ſequuta eſt Aquilam magnarum alarum, prouocantem ad volandum pullos ſuos, deſiderium collium æternorum? *Quas aſcenſiones in amanti corde ſuo diſpoſuit in valle lacbrymatum, in loco, quem poſuit*, vt Sponſum

pro-

procedentem de thalamo, & exultantem gigantem ad currendam cæli viam ſequeretur? Eo modo proſequuta eſt Filium e terris ad ſinũ Patris Aſcendentem, quo deſcendentem e cęlo in ſinum ſuum exceperat, plena gratia, virtute Altiſſimi, & Spiritu Sancto ab illa Deifera nube obumbrata. Iungebat ſuos cum Cælitum plauſibus, quibus inferi, noſtratiſque mundi Triumphatori acclamabat. Hoſtiam labiorum, & ſacrificium laudis æterno Patri immolabat, pro ineffabilibus honoribus illi patibulatæ humanitati, & ſtygmaticæ collatis, quam ipſa e Virgineo Vtero conceperat, imò, & mortalitati noſtræ, nam teſte magno Leone ſ. 1. de Aſc. *Eius Aſcenſio noſtra prouectio eſt, & quo præceſſit gloria capitis, ibi ſpes vocatur, & corporis*. Iam enim impleri debebat oraculũ Io. 12. *cum exaltatus fuero a terra omnia traham ad me ipſum. Dei Filius primus aſcendit ad Patrem*, vt inquit D. Cyrill. l. 5. de orat. in ſpir. *inſtaurans nobis aditum ad Cælum, præparanſque ſupernas manſiones, ſicut ipſe in euangelio dixit. Vado parare vobis locum*. Iam illo aſcendente, non aperiebantur tantum cæteris mortalibus tot ſæculis clauſæ, ſed attollebantur æterno iubileo adamantinæ Cæli portæ. Adorabat iam Filinm in excelſo ſolio glorię ſuæ coronatum Regem ſæculorum toti rerum vniuerſitati latè dominantem, ac diuinos honores, æternumq; principatum illi gratulabatur iam ſedenti ad dexteram Patris, atque in faſtigio felicitatis, ſuum quoque thronum parari gaudebat, ex quo Regina rerum vtrique mundo imperaret. Vnico Verbo Matrem Sanctiſſimam admirabilis Aſcenſionis Filij ſui contemplatricem

templatricem ardentem Lyparim diuini amoris dixiſſes ſtantem, & velut ſaxeam in extaſi ſtuporis, circumfuſamque Oceano gaudiorum cæleſtium. Et certè ſi exultans Auguſt. ſoliloq. 5. dicebat. *Vbi portio mea regnat, ibi me regnare credo, vbi caro mea glorificatur, ibi me glorioſum agnoſco, vbi ſanguis meus dominatur, ibi me dominari ſentio*. Quid de Matre dicendum eſt, cuius vnigenitus Filius, per admirabilem illam Aſcenſionem iam Rex Regum erat in Cælis, ac Dominus dominantium? Aſcendentis Chriſti Domini ſuauiſſimũ alloquiũ ad Matrem exhibet S. Io. Chryſ. ſ. 6. de Aſcenſ. *Conuerſus ad Matrem Dominus dixit. Pax tibi Mater.* Ne contriſteris, quia aſcendo ad Patrem &c. In eo promittit ſuã præſentiã inſtante morte, & refertiſſima omni benedictione gaudia, inter quę morientem cęlo ſuis ipſe manibus tranſcribat, & prope thronum ſuum in apice gloriæ locet his verbis. *Non te relinquam Mater mea Virgo, quia & quando emigratura es de corpore non Angelum, neque Archangelum miſſurus ſum, ſed ego ipſe veniam, tuamque animam Sole ipſo ſplendidiorem excipiam. Noli ergo contriſtari Virgo Mater mea, quia aſcendo ad Patrem meum, loco enim meo habes Ioannem Virginem. Non ne quando in crucem aſcendi illi te commendaui dicens Ioanni. Ecce Mater tua, tibique dixi. O mulier ecce Filius tuus.* Similia habet Viguerius chor. 9. c. 8. quibus lætum VALE dictum Deiparæ Virgini à Chriſto Domino ad cælos migranti, exprimit.

Ex qua Olineti parte, & ad quam cæli partem aſcenderit.

VI.

DE monte Oliuarum præter iam dicta fusè agit Fr. Quareſmus t. 2. ſuæ elucid. c. 5. l. 4. per. 8. qui eius etiam ſitum deſcribit e regione Hieruſalem in plaga orientali ſextò diſtantem ab vrbe ſtadio, vt narrat Ioſeph l. 6. de bello Iudaico c. 3. licet alij aliter ſentiant. Apellatur etiam mons *Viri Galilei*, & *mons offenſionis*. Hic mons triceps eſt, vnde & trium luminum dicitur, vt notat Ludolphus 2. parte vitæ Chriſti c. 82. Ad radices illius erat locus, vbi Beata Virgo aliquando orauit, & quieuit, vt habemus ex Bonifacio l. 2. confirmatque Io. Lorinus in acta Apoſt. c. 7. At ex quanam Oliueti parte Aſcenſio fuit? Aſcendiſſe ex apice montis, altiorique ſupercilio teſtatur Adamnanus de locis ſacris c. 17. Imò Eccleſiam ibi deinde conſtructam fuiſſe aſſerit, eiuſque formam, ac ſitum deſcribit. Egregiè hoc etiam perfecit Franc. Quareſmus t. 2. eluc. l. 4. c. 10. typum tum Baſilicæ ſatis amplæ, peryſtillijs columnarum ſuffultæ, nunc ſolo euerſæ, tum ſacelli interioris, quod erectum, & ſtans in magna veneratione eſt apud omnes, ferè delineatum libro inſerens. Ab Helena Auguſta magni Conſtantini Matre Templum ibi ædificatum fuiſſe aſſerit Euſeb. l. 3. de vita Conſtant. c. 42.

Aſcendiſſe deinde Chriſtum Dominum ad Aquilonem, vt iniuſtè appetitum a Lucifero ſolium iuſtè occuparet ſupra diximus. Inueni deinde probatum fusè hoc multis argumentis

a Fr. Quareſmo c. 9. Præter allatum argumentum ſatis euidenter euincitur ex ſacrorũ veſtigiorum poſitione, & ſitu, ad Aquilonem cum modica ad Occidentem inflexione. *Hoc modo non ſine myſterio, vt ipſe notat, diuinus Aſcenſus Iudæos, qui reprobati ſunt ad læuam, & ferè poſt tergum habuit, Galileam, quam multis beneficijs cumulauit ante oculos, imò ipſam Romam, quæ futura erat orbis Chriſtiani caput, & vbi ſeruandæ erant in Principis Apoſtolorum ſucceſſoribus cæli claues.* Hoc ipſum obſeruauit in ſuo carmine Io. Bapt. Cocius, vnde l. 2. epig. Triumphum Chriſti Domini ad cælum aſcendentis deſcribens hæc habet.

Diſcedens latium ſpectas, vbi ponere petram
Conſtituis, perſtet quæ tua nixa domus.
Aerea in ſpecula dum ſtares roboris atri
Eiuſdem obtutu fixus in orbis eras.
Ter felix latium miſerando quod aſpicis: ora
Obtutu facta eſt noſtra beata tuo.

Addit tandem probabiliter in monte Oliueti Antichriſtum, vt ſe Deum, & Meſſiam probet tentaturum aſcenſum ad cælum, ſed irrito conatu, vt accidit Simoni mago, *qui* (verba S. Maximi ſunt) *vt alas aſſumeret, pedes amiſit*, confirmatque illis verbis Iſ. 25. *Præcipitabit Dominus in monte ſancto faciem dominatoris tenebrarum ſuper omnes gentes*, quæ in allato ſenſu interpretatur S. Hieron. cum Theodor. in c. 11. Daniel. & S. Thoma in 2. ad Theſſal. c. 2.

De ſacris veſtigijs impreſſis, alijſque prodigijs, quæ conſequuta ſunt.

VII.

IMpreſſiſſe in rupe montis veſtigia ſua Chriſtum Dominum ad cælos aſcendentem dubitari non poteſt ex ijs; quæ veteres Scriptores, recentioreſque referunt. Inter alia geminum miraculum veſtigia dominica venerabiliora reddidit. S. Hieron. de loc. Heb. act. Apoſt. hæc ſcribit. *Mons Olíueti ad Orientem Hieroſolymæ torrente Cedron interfluente, vbi vltima veſtigia Domini humo impreſſa, hodieque monſtrantur. Cumque terra eadem quaſi die à credentibus hauriatur nihilominus tamen eadem ſancta veſtigia priſtinum ſtatum continuò recipiunt. Denique cum Eccleſia, in cuius medio ſunt rotundo ſchemate, & pulcherrimo, conderetur, ſummum tantum cacumen, vt perhibent, propter dominici corporis meatum nullo modo contegi, & concamerari potuit.* Similia habent S. Cyrill. Hieroſ. catech. 14. S. Paulinus, qui a Melania ſanctiſſima fæmina didicerat cum Hieroſolymis Romam rediens apud ipſum Nolæ diuertit, Sulpitius Seuerus Sac. hiſt. l. 2. & poſt 700. ferè annos Venerab. Beda de loc. ſan. c 7. Ad hæc ſacra veſtigia alludit Optatus Milleuit. contra Parm. l. 6. cum de Eccleſia orientali agens ait. *Ibi eius ſancta impreſſa ſunt veſtigia.* Imò alluſiſſe ad hęc Regium Pſaltem pſ. 131. cum cecinit *Adorabimus in loco, vbi ſteterunt pedes eius*; aſſerunt. S. Athanaſ. l. queſt. ad Antioch., & S. Io. Damaſc. l. 4. c. 13. Inter recentiores de his fusè agunt Gretſerus in prologom. ad libell. Adamnani, & Bedæ de

loc.

loc. Sanctis c. 8., & Io. Lorinus in cap. 1. act. Apoſtol. Nunc vnicum ſanctiſſimorum pedum Chriſti Domini veſtigium ſuperſtes eſt, colitnrque, & quidem ſiniſtrum, vt teſtatur oculatus teſtis diligentiſſimus Fr. Quareſmus c. 18. dextero, vt ait Brocchardus part. 1. c. 7. ſub porta orientali illius Eccleſiæ ab inuidis infidelibus ſepulto. Illud prodigium, quod veſtigia Domini ſupra ſe ſupernam concamerationem non admitterent, ſed liberum cælum ſemper ſpectarent in Eccleſia, quam Helena Imperatrix ædificauerat perpetuò conſequutum eſt, vt ex S. Hieronymi, aliorumque PP. teſtimonijs habemus. Illa a Perſis deſtructa, vt refert idem Fr. Quareſmus, in hac quam Modeſtus Hieroſolymorum Epiſcopus conſtruxit, hoc miraculum non ſpectatur, nam concameratū vndequaque ſacellum eſt. Aliter alij ſentiunt de dextero veſtigio pedis, quod non amplius inuenitur. Grætſerus in prologom. ad Adamnanum c. 8. dicit ſe legiſſe in hiſtorico Anglicano, ſiue is fuerit Matthæus Pariſienſis, ſiue alius illud ſacrum veſtigium in Angliam aſportatum fuiſſe. Bonifac. l. 1. dc perenni cultu terræ Sanctæ, & Princeps Radziuuillius in ſuo Hodepot. collocatum eſſe aiunt in maiori Meſquita Turcarum Hieroſolymis, quæ *Templum Salomonis* apellatur, & ibi ab ipſis Mahumetanis cum ſumma veneratione coli. Sed maius prodigium eſt teſte Chryſoſt. Deum e cælo in terras deſcendere, quam e terris in cælum aſcendere. Ad illa verba Angelica. *Quid admiramini aſpicientes in cælum* ſubiungit. *Multò magis admirandum eſt videre eum e*

cælo

ex lo deſcendentem, quam e terris in cælum aſcendentem. Et reddit rationem S. Gregor. hom. 29. *quia aſcendente Domino humilitas eſt exaltata, naſcente vero humiliata Diuinitas. Beatus iure* ergo dicebat S. Bern. ſ. 3. de Aſcenſ. alloquens Chriſtum Dominum aſcendentem ad cælum, *qui vbique te Ducem habet Domine Ieſu, non illum refugam ſpiritum, qui ſtatim aſcendere voluit, & Diuinitatis dextera percuſſus eſt*. Iſta Sanctiſſima in candido marmore veſtigia viam lacteam ſignant Heroibus Chriſtianis. Vbi terrena calcaueris cælum habes. *Surge propera amica mea &c.* His verbis Sponſus aſcendens Sponſam animam inuitat ad aſcenſum cæleſtem, quæ his alijs exponit S. Ambroſ. de Iſaac cap. 4. *Reſurge a terrenis, & veni ad me. Surge a delectationibus mundi, & veni ad me ſupra mundum*. Non alia terenda eſt aſcenſori ad cęlum, quam humilitatis via; Nam ex Euangelico oraculo, *qui ſe humiliat exaltabitur*. Hinc ad illam interrogationem ſapientiſſimi hominũ Salomonis prouerb. 10. *Quis aſcendit in cælum* S. Paulus ad Epheſ. 4. ſcitè reſpondet. *Qui deſcendit ipſe eſt, qui aſcendit ſuper omnes cælos*. Imò aſcenſum ex deſcenſu infert ibidem. *Quod autem aſcendit quid eſt niſi quia, & deſcendit in inferiores partes terræ?* Affectus, oſcula, amplexus circa ſacroſãcta IESV veſtigia in Deipara Sanctiſſima arguere poſſumus ex eo quod de ſtrenuo ſimul, ac pio milite referunt S. Bernardinus Sen. ſ. 1. de Aſcenſ. Quareſmus c. 10. Pelbartus in Stell. Ludolphus in vita Ch. & alij. Hìc religioſè obitis locis ſanctis, vbi ad veſtigia Chriſti aſcendentis ad cælum peruenit, anima

aſcendere

aſcendere ad cælum, ex eo loco, ex quo ipſe Dominus Ieſus corpore ſimul, & anima aſcenderat, vehementer exoptans, amoris inſenſili ictu vitaliter vulneratus ſuauiſſimè expirauit. In eius deinde corde inſculpta hæc verba diuinitus, inuenta ſunt. *Amor meus Ieſus.* O nos terque, quaterque beatos, ſi ad hunc fortunatiſſimum lapidem diuinis ſignatum veſtigijs contrita ferrea noſtra corda huius cæleſtis ignis, nobiliſſimi amoris aliquas ſaltem ſcintillas ederent!

Cur poſt Aſcenſionem Domini Deipara Virgo diu ſuperſtes fuerit?

VIII.

ASſumptam non fuiſſe vna cum Filio Matrem, ſed diu in terris ſuperſtitem fuiſſe, vt ſolium gloriæ Dei Matre dignum pararetur à Filio, & ei venienti ipſe occurreret cũ omni cæleſti curia aſſerit S. Anſelm. l. de excell. Virg. c. 7. vbi de Chriſto Domino concludit. *Prudentiori ergo, & digniori conſilio vſus, præcedere illam volebas, quatenus ei locum immortalitatis in regno tuo preparares; ac ſic comitatus tota curia tua feſtinus ei occurreres, eamque ſublimius, ſicut decebat tuam Matrem ad te ipſum exaltares.* Similia habet B. Pet. Dam. 5. de Aſſumpt. vbi præfert Filij Aſcenſioni Matris Aſſumptionẽ. Egregiè quoque Guarricus Abb. ſic introducit Chriſtum Dominum loquentem. *Ego ſum, qui Patrem, & Matrem honorandos commendaui. Ego vt facerem, quod docui, & exemplo eſſem alijs, vt Patrem honorarem in terras deſcendi, vt Matrem honorarem in cælum aſcendi.* In honorem quoque MARIÆ Deipa-

ra

ræ ceſſit hæc diutina commoratio in terris poſt IESV Aſcenſionem ad cælum, in immenſum ferè incrementum meritorum, gratiæ, & gloriæ. Ceſſit etiam in maximum bonum Eccleſiæ, vt l. 5. reuel. teſtatum reliquit S. Birgitta in ſerm. Angel. c. 19. his verbis. *Aſcendente Filio ad ſuum regnum Virgo Maria in hoc mundo ad bonorum conſolationem, & errantium correctionem permanere permiſſa eſt. Erat enim Magiſtra Apoſtolorum, confortatrix Martyrum, doctrix Confeſſorum, clariſſimum ſpeculum Virginum, conſolatrix in coniugio viuentium, ſaluberrima monitrix, atque omnium in fide catholica perfectiſſima roboratrix.* Similia habent Sophronius ſ. 4. de Aſſump. Deip. S. Anſel. de excell. Virg. c 7. S. Hildeph. ſ. 6. de Aſſumpt. S. Anton. 4. p. t. 15. c. 42. ſ. 1. Guillel. explicans illa verba cant. 1. *trahe me poſt te*, & alij. Sed de his infra. Amores puriſſimos, quibus arſit in Filium Mater poſt eius Aſcenſionem fusè explicat Guarr. Abb. ſ. 2. de Aſſumpt. ad illa verba ſacrorum cantic. *Adiuro vos filiæ Hieruſalem, ſi inueneritis Dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo.* Hæc cum Angelis Sponſi ſui ſimul, & Filij ſodalibus miſcebat colloquia, quibus identidem etiam dicebat. *Num quem diligit anima mea vidiſtis?*

IMPLETVR
Spiritu Sancto in Senatu Apoſtolico.
PYROMANTIA.

ELOG. XXVIII.

Et erit in nouiſſimis diebus dicit Dominus effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt Filij veſtri, & Filiæ veſtræ, & iuuenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt. Ioel. 2.

Et repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Act. 2.

In hac ignearum pyromantia linguarum,
ſpectanda Diuinitas eſt,
non diuinatio expectanda.
Qui enim magis diuini homines eſſe poſſint,
quam qui diuina loquuntur?
Qui verò melius loquantur diuina,
quam qui Deum pro lingua habent?
Innocenter Pyromantæ
ab igne propheta oracula captabitis;
ſed vbi magiſter eſt veritatis.
Piè Egyptij ignem adorabitis;
ſed vbi Deum e cælo in terras rapit.
Facili magia in ignem conuertitur amor,
qui ignis eſt cordium.
Ipſe ſibi diuinus amor ignis eſt:
nullū aliud Empyreus mundus elemētū habet.
Aliter quam igneis linguis, cor amans

 expli-

explicare Deus homini non poterat.
Nec ſatis videbatur æterno Patri,
VERBVM miſiſſe,
niſi linguas Sancti Spiritus addidiſſet.
Ita VERBO, & LINGVIS
diſerta tota Diuinitas,
eloquuta eſt plenè amores ſuos.
Sed ingēti miraculo, nam nō lingua VERBVM
ſed VERBVM LINGVAS dedit.
Immergite vos iterum in veſtram ſtygem
infernæ Hydræ;
vbi Deus non gladium tantum,
ſed ignem miſit in terras.
Iam erunt vbique Hercules,
monſtrorum domitores,
qui in ſtirpe ſobolem veſtrorū capitū tollant.
Ignis huius diuini victoria erit,
omnes Deos orbis terrarū in cineres redigere.
Nullum Deo gratius Sacrificium eſt;
quam vbi pro Brutis idola
in holocauſtum accenduntur.
Etiam nouæ legis Sacerdotibus,
æternus ſacri ignis focus concreditur.
Hic natalis ſimul, & funebris,
in feſta hilaria ardet, & buſtuarias flammas.
Vti plaudit naſcenti Eccleſiæ;
ita idololatriæ parentat morienti.
Quis neget bellum diuinum in terris,
cùm feciale tonitru eſt.
Quia tamen eius aduentus, ventus eſt,
ſola licet ex hoc tonitruo
fulmina amoris expectare.
Et certè hic vnus turbo in terram detulit,
omnem Æoliam Paradiſi;
ventum, pluuiam, tonitru, fulmina gratiarum.
Habet

HabetDeus tardus ad vindictã plumbeã manũ;
ad beneficia celer, igneos pedes.
Inſpirauit ſummus conditor Apoſtolis
Spiritum ſuum,
vt noui fiant mundi parentes,
ferreum ſeculum Alchymia amoris,
hoc igne cælesti in aureum recoquentes.
Idololatram mundũ ignearũ linguarũ pluuia,
quam imbrium felicius purgabit.
Nam vt malis bona reſpondeant,
qui aquarum perierat,
innocens orbis reuiuiſcere debebat
ex diluuio flammarum.
Etiam inferna Babylon extructa
ſcyſmate linguarum
vnius Spiritus Sãcti amanti lingua deſtruetur.
Eius ſcopuloſæ ruinæ,
erunt magnæ ciuitatis Dei fundamenta.
Alias Pharos Petri nauicula
in ſuis procellis non agnoſcit,
quam igneas ſuorum Præſulum linguas,
qui cum lux mundi ſint,
omnia arcere naufragia deberent.
Ignea lex in Sina inſcripta lapidi;
in Sion in cordibus reſcribatur;
At ex Authographo diuino ignem poſcit,
vt altius inurantur caracteres veritatis.
Etiam hypodidaſcalæ hominum linguæ,
niſi ardeant,
de Spiritus Sancti Schola non ſunt.
Prodigium fuit in paruo cænaculo,
mundus linguarum.
Sed maius prodigium erit,
cum hic linguarum populus,
linguam erudiet omnium populorum.

Metheoron hoc diuinum
ex ſummaEmpyrei regione,nō ex aerea venit.
Per antiperiſtaſim charitatis,
in frigidiſſima noſtra ignem accendit.
Aſcendētis triumphatoris IESV curulis nubes,
ſuggeſſit materiam tantæ procellæ gratiarum.
Sed quid expectandum erat a VERBO amante,
præter ignearum miſſionem LINGVARVM?
Eidem tamen vnico VERBO explicando,
neque tot igneæ LINGVÆ ſufficiunt.

Beatam Mariam velut ignis ferrum Spiritus Sanctus totam decoxit,incanduit, & igniuit, ita vt in ea Spiritus Sancti flamma videatur, nec ſentiatur, niſi tantum ignis amoris Dei. S. Hildeph. ſ. 1. de Aſſ.

Sic illa e regione diuini ignis calore vehementer accenſa, & Verbi flammigerantis ſparſa incendijs odorem reſultantis gratia, ijs, qui longè, & ijs qui propè commanebant,exhalabat. Amed. Lauſan. hom. 7.

Impletur Spiritu Sancto in Senatu Apoſtolico.

CAP. XXVIII.

AMoris lex moras exoſa annos contraxit in dies; vnde IESVS Suorum amans poſt quinquaginta a magno Reſurrectionis Sabbato dies, Sancti Spiritus, ſui nimiū amoris Iubileum e cælo deproperat, quem apertis ſemper, ac patentibus poſt triumpha-

lem

lem aſcenſum adamantinis Empyreæ Baſilicæ portis, æternum eſſe volebat. Ad hanc tamen tantam Numinis indulgentiam ſacræ preces præceſſerunt, nec ſine lachrymarum vi magna gaudia vltrò ſe ſe dederunt. Aſcenderat Deus in nube: erat deſcenſurus in pluuia cum vento vehementi, tonitruis, ac fulminibus totam laturus Æoliam Paradiſi. Sed hanc cæleſtem Æoliam terra excitauit, ſuſpirijs turbinem felicitatis mouentibus, lachrymis nimbum augentibus gratiarum, gemitibus pacata tonitrua prouocantibus, votis fulmina innocentia accendentibus, precibus igneas linguas, ipſúmq; Sanctum Spiritum trahentibus magiſtrum veritatis inter hæc Empyrea meteora. Ita ſingulari prodigio aſcendente in cælum VERBO LINGVÆ e cælo deſcenderunt, non LINGVIS VERBVM, ſed VERBO LINGVAS proferente. Ita ſeptenum cæli, ac terræ gaudium lachrymis impetratum eſt, & ſereniſſimi turbinis linguoſam pluuiam denſatæ in vnum votum, preces coegerunt. Vtcunque inimica ſint elementa aqua, & ignis, empyreus tamen ignis filius ferè ſemper eſt lachrymarum, & licet plenus gaudij, nihil pręter has aquas ſitit, & bibit. In Empyreo mundo, in eadem ſphæra ſunt ignis, & aqua, amor, & lachrymæ. Nihil non ſuadent, qui apud Deum orant ad clepſydram lachrymarum, & cum lachrymæ ſint cordis oratrices, non eſt mirum Spiritum Sanctum, amorem diuinum traxiſſe de cælo. Habemus aquas, quæ ſupra cælos ſunt Paradiſi municipes, cum iucundiſſimo lucro lachrymæ nobis æterna gaudia nundinantur. Addiderunt preces, quia cæleſtia iure diuino non hu-

mano poſſidentur; & ſi noſtrum ius ſpectetur, precariò tantum habentur, Vbi oraueris in cæleſti curia peroraſti: nemo ſupplicium demeretur apud æternum Iudicem, niſi ſupplex. Nunquam aberrant a ſcopo iaculata in cælum vota, cum vbique obuium inueniant. Ipſa ſola aliquando meditatio cæleſtium, & homines in cælum, & cælum in terras trahit. Peregrini in terris, auram patriam, non niſi inter vota cæleſtia reſpiramus. Expectant igitur Spiritum Sanctum iure, cum illum inter lachrymas, & preces ſummis votis expetunt homines ſanctiſſimi, in diuina Schola eruditi ad omnem diſciplinam veritatis. Maximum tamen in iuſtiſſima cauſa victoriæ momentum fuit MARIÆ Matris Dei authoritas, apud Authorem ſuum, cum qua omnes ſimul vnanimiter orabant, neque hic, quando iam in cælũ abierat, IESVM ſacro agiophrapho a MARIA diuidente. Inuenitur MARIA cum IESV in præſepio, ſtat iuxta Crucem in caluario, perſeuerat in cænaculo. Hoc funiculo triplici omnis IESV Societas, & MARIÆ ſodalitas ſtabilitur. Quid a Filio Mater non habeat, qui ſe ipſum dederat, & ſolus antequam naſceretur ſibi Matrem elegit? Eius labia vitta coccinea ſunt: vno verbo VERBVM Dei e cælo in terras traxerunt. Vt Matris ardentibus precibus reſpondeat Filius, totus oraculum Spiritum ſuum cum igneis linguis mittit. Sanctus Spiritus in primo ſuo deſcenſu, cum illam Dei Matrem inaugurauit, in ſolam ſuperuenerat, eam obumbrans; nunc igne Empyreo, velo, quod tunc Sponſus cæleſtis Virgineis nuptijs dederat, tædas adiungens, omnes ſoda-

les implebit. Tanti eſt MARIÆ ſodalitas, cum ipſa præſertim orat. Vna igitur omnium cum MARIA Matre IESV vnanimiter orantium lingua, cætum ignearum linguarum de cælo impetrauit. En vt iam Deus, qui decem annorum decurijs pluuium mundi naufragium in aquarum eluuione in aere ſuſpenderat, Sanctum Spiritum in ignearum linguarum pluuia, decem tantũ dierum ſpatio ſuſpenſum e cælo depluit, ſummo amore pænas differens, & beneficia præcipitans. Aduentare nimbum ſalutarem in igneis linguis Spiritum Sanctum ferentem, diuinus pręco ventus vehemens nunciat. In præcone ſpiritu Sanctum Spiritum ſapienter Apoſtoli initiandi terrarum orbis Magiſtri agnoſcunt: in tonitru Deum adorant, qui non alia loquitur voce. Ipſa nuncij venti vehementia magnitudinem beneficij, Hoſpitis indicabat maieſtatem. Sed amor ignea res, & moræ impatiens fert nuncium ſuum, non præmittit. Illicò in præcone Rex, in tonitru Tonans inuenitur, & diſrupto nimbo ignearũ linguarum procella innocens ſacrum conclaue implet, diſtributis ſingillatim linguis vniuſcuiuſque capiti inſidens, mentem illuſtrans, pectus accendens, animum beans. Iam tibi cæleſtis Hieroſolyma terrena non inuidet: habet in cænaculo Sion, tuorum ignium Empyreum, Deo cum omnibus amoribus ſuis, donorumque cæleſtium theſauris in terras effuſo. In cælum abierat corporatum VERBVM, ſed igneæ linguæ Numen terris reſtituunt. MARIA non obumbrante, ſed illuſtrante caput Sancto Spiritu iterum Domina rerum inauguratur. Inopes Galilei piſcatores fortunatiſſi-

mi in aurea tempeſtate turbato cælo inter fulmina,ac tonitrua recens naᵗos vniones expiſcantur. Adhuc rudes diuinæ Scholæ diſcipuli igneæ linguæ cæleſti rude donati, ac laureati ſacris flammis, enciclopedia ſimul ſcientiarum omnium coronantur. Quis iam illorum Patrum ſenſum non veneretur, quorum capita Empyrea luce irradiant? Quis eorum conſulta non timeat, quæ Deus ignis edicit? Nunc primum ſuum Principem agnoſcit Chriſtiana Reſpublica, Sanctum Spiritum in igneis linguis Dictatorem. O fætum nobilem aſcendentis in triumpho diuino nubis! O Paradiſi Æoliam, quietem in turbine, ſalutem in procella, pacem in vento vehementi, inter tonitrua, & fulmina cæli amores, & quod explicari nõ poteſt, niſi igneis ipſis, quæ pluunt e cælo linguis, Deum ipſum amorem, ſpirantes! Habetis nouelli Cæli Heroes igneã linguam, quam igniuomi inferni Draconis linguæ opponatis. Ingens hic Spiritus animabit tubas veſtras ſupra Hiericunthinam victoriam nõ vrbem, ſed orbem expugnaturas ſono triumphali. Næ cælites linguæ de more ignium vos adhuc mortales in cælum rapient, & hoc igne vrente facient vos ex hominibus Angelos cæleſtium arcanorum præcones, Numiniſque legatos. Hoc feciali tonitru vitijs bellum, idololatriæ rerum Dominæ excidium indicite. In hac linguarum pluuia oratores Empyrei ex piſcatoribus momento facti, eloquentia veſtra omniũ victrice, populos fidei, Euangelio mundum, homines Deo ſupra Græcos, Romanoſque Sophos e cæleſti Athenæo erumpentes, ſubigite. Hic ſolus Spiritus, qui

in

in arte dicendi habet ſcientiam vocis, poterit replere orbem terrarum. Non eſt, quod ab igne hoc timeatis, qui Empyrei eſt elementum, non mundi noſtratis: nihil præter ieiunia veſtra depaſcet. Asbeſthinam morum veſtrorum innocentiam innocens flamma deterget, non deteret. Imperatura omnibus populis veſtra capita auſpicatiſſimo flammarum crinalium prodigio probantur. Ad colligendam euangelicæ prædicationis meſſem, fœderatis in vnum inimicis elementis, ignium imbre depluente, æſtas hæc linguarum requirebatur ardentium. Ne Euangelicum margaritum lateret, nouam hanc luminum coloniam diuinus amor e cælo deduxit. Iam pretioſis pyropis, vt cælum terris, nunquam oriens grandinauit occidenti. Vt ſurdus audiret mundus Spiritũ veritatis, ingens hic fragor decælo edi debuit, & ignea lingua fulminatrice cordium loqui debebat in tonitru Deus amor. Conſumptis igne cæleſti inanibus ſcelerum ſtipulis, terra felicius reuireſcet, inferetque fæcunditatem hæc inſolenti prodigio violenta tempeſtas. Hauſto ſuauiſſimo hoc Spiritu moribundus orbis viuacius reſpirabit, quam ſuo. Idem ſpiritus, qui rebelles cælo linguarum colonias ſparſit, tributarias eidem in vnum populum cogit, ceditque in miraculũ, non in pœnam linguas diſpergi. Incendiarios ſuos vos ſummus Imperator inſtituit: colligite nunc igneas inſenſiles linguas, quas orbẽ ſanctiſſima depopulatione incenſuri, ſpargetis. Interim Sacer cætus cæleſtibus linguis capitatus totus ad illas, auris, non minus audit diuina, quam loquatur. Inſidet capitibus linguoſus

guoſus ignis in cathedra ſua magiſter veritatis. Ignea inſtitutio moras neſcit; vnde ſtatim magnalia Dei loquuntur; licet ardentibus ſupra capita linguis etiam magnalia Dei loquantur, cum tacent. Erunt tamen ſub huius ignis magiſtri diſciplina diuini homines maiora facturi. Quam vberem lætum hoc linguarum Seminarium, animarum meſſem dabit! Adhuc muti ſine VERBO Apoſtoli tacuiſſent, niſi idem abiens in cælum, non orationis tantum, ſed linguæ copiam e cælo donaſſet. Terrena aperiunt noſtrates linguæ, non diuina: vt magnalia Dei loquerentur nouo idiomate commodantur e cælo linguæ, cum orbem terrarum ſuccenderint, iterum in cælum redituræ. Iure linguis donantur VERBI Dei oratores, & igneis, quia amantes. At vbi magnalia Dei enarrantur, primę partes illi in dicendo fuere, cui ſoli *fecit magna, qui potens eſt.* Quæ de Deo verba ſcitè MARIA non edat, quæ ſola edidit Deum VERBVM? Geminatio linguarum ſuſpicionem ebrietatis fecit etiam in ſobrijs. Pleni muſto ſunt; ſed de botro Cypri, de vineis engaddi: totam quæ de torculari Crucis expreſſa fuerat vindemiam in pectus ingeſſerant. A vino Nazarei noſtri non refugiunt, quod de ſuo latere Nazarenus propinat; nec debent ſuſpecti eſſe ebrietatis de cænaculo Prophetæ, in quo vinum Sacramenti eſt elementum. Ebrij ſunt, ſed Spiritu Domini, vbi corpore Domini ſaginati. Ad hanc ſaturitatem eos ieiunia longa prouocarunt; ſed innocens ſaturitas eſt, ſed beata. Nectare, & ambroſia cælites animę ſemper ad ſatietatem ſine vllo tamen faſtidio æternùm

epulan-

epulantur. Amentes nemo putet, quia amantes: multiloquio Spiritus Sancti ſtultitia non ineſt. Ignes non fatui, ſed ſapientes per capita diſcurrunt, & in ſolio ſapientiæ ſedent. Inſolens prodigium eſt in paruo cænaculo populum linguarum eſſe, & linguam populorũ, atque inter Galileos piſcatores Europam, Aſiam, Aphricamque ſonare. Sed maius prodigium igneas linguas in tonitru innocenti e cælo delapſas tacere. Non eſt tamen contra naturæ leges, licet ſit gratiæ priuilegium, e cælo in terras deſcendere. Ignem noſtratem nemo putet, ſed peregrinum: deſcendit non tantùm, ſed ſedet. Elementum Paradiſi eſt ſupra omnes naturę leges, quod hoc mundo non capitur. Fulmen eſt, ſed amoris; imò Deus ipſe fulminator amans in auſpicatiſſimo tonitru ſonans, vnde omnem felicitatem portendit. Fugite e ditione lucis Principes tenebrarum: hę flammarum linguę vmbrarum veſtrarum flagella, Cimmeriam, quam induxiſtis per orbem terrarum, noctem diſſipabunt. Mundus VERBO diuino domandus eſt: pugnabunt prodigijs ſuis noui Moyſes ex conſortio diuino non bicornes, ſed linguoſi, in igne Empyreo feliciſſimi pyrauſtæ. Hunc ignem victorem, nec totus Oceanus extinguet: appoſito omnium marium vallo adhuc orbem terrarum expugnabit. Ita Spiritus Sanctus non in ſibilo aurę tenuis, ſed in ſono vehementi, mundum, quem Archetypus condiderat, incubans aquis, Paracletus amor in igneis linguis ſedens inſtaurat. Per huius diuini ignis magiſterium Apoſtoli facti ſunt mundi magiſtri, magiſtra vero etiam Apoſtolorum MA-

RIA Deipara, in quam virtus Altiſſimi pleniſſimo alueo, ſeptemplici nimirum cæleſtium amorum Nilo iterum ſuperueniens, Spiritum Sanctum ferens, totumque ferè dixerim Deum effundens, inundauit.



ELECTIORA

Ex Sacris Scripturis, Sanctis Patribus, Doctoribus Scholaſticis, & Eccleſiaſticis Scriptoribus de Spiritus Sancti deſcenſu in B. Virginem.

SYNOPSIS.

1 AD Miſſionem, deſcenſumque S. Spiritus preces Eccleſiæ præceſſerunt, præſertim B.V., quę multum contulit ad ſacroſancti doni impetrationem. 2. Quam iugis fuerit eius oratio etiam in ſomno? 3. De domo, quam ab Aſcenſione Domini Deipara Sanctiſſima inhabitauit. 4. De loco in quo ſupra ſacrum cætum Spiritus Sanctus in igneis linguis mirabiliter viſus eſt. 5. An B. MARIA interfuerit cũ alijs Spiritum Sanctum recipientibus, & an ſupra alios eodem repleta fuerit? 6. An cum Apoſtolis confirmata in gratia? 7. An cum illis Sacramentum confirmationis ſine vlla materialis chriſmatis vnctione acceperit? 8. An acceperit gratiam ex opere operato? 9. De augmento donorum Spiritus Sancti in B. Virgine die Pentecoſtes. 10. Charitatis aliarumque virtutum. 11. Quid de gratijs gratis datis dicendum ſit, nimirum ſermone ſapientiæ, & ſcientiæ, diſcretione Spirituum, fide miraculorum, dono linguarum, prophetia, curatione morborum, & patratione miraculorum.

Ad miſſionem, deſcenſumque Sancti Spiritus preces Eccleſiæ præceſſerunt, præſertim B. Virginis, quæ multum contulit ad ſacroſancti doni impetrationem.

I.

AD miſſionem Spiritus Sancti, deſcenſumque nihil aliud S. Euangeliſta Act. 1. p ęceſſiſſe refert in terris, quam preces ſanctæ illius familiæ, in qua Dei Mater velut Choriſæa chorum orantium ducebat. *Hi omnes erant perſe-*

perſeuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria Matre Ieſu, & Fratribus eius. Nec ſolum orationi cum pia fidelium turba vacabat Deipara Virgo, ſed in omnibus religionis ſtudijs, aliſque ſanctiſſimis exercitationibus erat omnium virtutum idea. *Semper enim,* ait Metaph. in vita B. V. *ipſa quoque cum eis conuerſabatur, a rebus pulcherrimis, & honeſtiſſimis nunquam deſiſtens.* Orationem porrò B. Virginis, & exemplum plurimum contuliſſe Apoſtolis ad recipiendum in die Pentecoſtes Spiritum Sanctum nemo dubitare debet. Illud diebus præuijs ad aduentum Spiritus Sancti poterant Apoſtoli, alijque infantis Eccleſiæ Patres vſurpare, quod habetur canticorum 5. B. Virginem alloquentes, *Quò abijt Dilectus tuus o pulcherrima mulierum? Quò declinauit Dilectus tuus, & quæremus eum tecum?* Et certè decuit precibus B. V. Spiritus Sancti aduentum impetrari; nam eſt *donum Dei Altiſſimi*, & de ipſa prædicat S. Germ. Patri. Conſtant. de Zona c. 11. *Nemo eſt, cui donum concedatur, niſi per Te o caſtiſſima.* Similia habet S. Bern. ſ. de natiu. B. V. *Si quid ſpei in nobis eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis, ab ea nouerimus redundare.*

Quam iugis fuerit eius oratio etiam in ſomno?

II.

DE ſtudio orandi in Deipara Virgine, & orationis aſſiduitate fusè agunt, qui MARIÆ vitã Sanctiſſimam deſcripſerunt, virtuteſque nobiliſſimas celebrarunt. *Thuribulum aureum* apellatur a S. Ephrem. orat. de Deip. quod erat cum Arca intra Sancta-Sanctorum.

Cum

Cum altari thimiaonatis confert B. Virginem Pet. Ant. Spinellus in tr. Dei c. 21. atque vtriuſque paralella componit. Erat hoc altare vt habemus num. 29. de lignis ſethim, auro puriſſimo conueſtitum, & corona aurea circumdatum. Adolebatur in eo mane, & veſpere thimiama ſuauiſſimi odoris. In B. Virgine intentio ad Deum omnino fuit aſſidua, vnde eius mentem nullum, nec otium, nec negotium vnquam a Deo auocauit. *Vnum pro certo ſcimus* inquit S. Anton. 4. p. t. 15. c. 44. §. 8. *quia omnis Mariæ actio, & intentio ſemper fuit intenta Deo.* De hac iugi contemplatione, etiam in actuoſa vita, & operoſa piè, & eruditè ſcripſerunt Dyoniſ. Carthuſ. l. 2. de laud. Virg. Bernardinus de Buſto in Mar. 3. p. ſ. 1. Caniſius l. 1. c. 13. Albert. Mag. de B. V. c. 176., & 177. atque alij. Admirabilem eius contemplationem ne quidem in ſomno fuiſſe retardatam iam ſupra diximus. S. Ambroſ. l. 2. de Virg. de Maria Deipara loquens ſic ait. *Dormire nõ prius cupiditas, quam neceſſitas fuit, & quidem, dum quieſceret corpus, vigilaret animus, qui frequenter in ſomnis, aut lecta repetit, aut ſomno interrupta confirmat, aut diſpoſita gerit, aut gerenda pronunciat.* S. Bernardinus t. 2. ſ. 51. a. 1. cap. 2. magis expreſsè ſomnum B. Virginis commendat his verbis. *Somnus qui abyſſat, & ſepelit in nobis rationis, & liberi arbitrij actus, & per conſequens actum merendi, non credo quod talia in Virgine fuerit operatus, ſed anima eius liberè, ac meritorio actu tunc tendebat in Deum, vnde eo tempore erat perfectior contemplatrix, quam vnquam fuerit aliquis alius, dum vigilauit,* vnde ipſa cantic. 5. dicit. *Ego dormio, & cor meum vigilat, ſcilicet*

in

in contemplatione perfecta a nulla ratione debilitata. Rupert. Abb. in cant. 5. contemplationem Mariæ Deiparæ vigilantis, & dormientis ſupra omnium Sanctorum contemplationẽ extollit. Sed *Tu inquit o Cælum, Dei vnica ſedes Domini, in vtroque vigilantia modo cunctis mortalibus longè eminentior fuiſti, longè ſtudioſior ad contemplandum eum, in quem deſiderant Angeli conſpicere, atque aptior fuiſti.* Eiuſdem aſſiduæ contemplationis cum actione perpetua commercij, mutuatamque alterius ab altera perfectionem demonſtrant egregiè S. Bern. ſ. 4. de Aſſ. S. Hildephon. ſ. 5. de Aſſumpt. B. Pet. Dam. ſ. 1. de Natiu. Virg. S. Bonau. in ſpec. c. 4. & alij. *Indefeſſiſſima* (huius vltimi verba ſunt) *& ſtudioſiſſima fuit Maria per ſedulitatem in bonis operibus. Ipſa namque eſt Maria illa, de qua dicitur in actis. Hi omnes erant perſeuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria Matre Ieſu. Maria indefeſsè perſeuerando in oratione exemplum dedit, quàm oportet ſequi, & non deficere.* Hanc continentem diu, noctuque contemplationem iuuabat, fouebatque maxima peritia, qua pollebat, ſacrarum ſcripturarum, vt probant luculentiſſimis teſtimonijs Orig. hom. 6. in Lucam S. Ambroſ. l. 2. de Virgin. & l 2. in Luc. S. Auguſt. ſ. 21. in Nat. Andr. Cretenſis orat. de Annunc. S. Hildeph. ſ. 5. de Aſſ. & alij. Quantùm oblectarent Sanctos Angelos perpetua purarum manum leuatio ad Deum, eiuſque preces continuatæ ſuauiſſimè, & pijſſimè philoſophatur ſuo more S. Bern. hom. 3. ſuper miſſus eſt, & eius amicus, & aſſecla Guarr. Abb. ſ. 4. de Aſſump. De efficacia Marianæ orationis iam ſupra diximus, cum de

exorato

exorato ea interpellante primo miraculo in nuptijs Canæ actum eſt.

De domo, quam ab Aſcenſione Domini Deipara Sanctiſſima inhabitauit.

III.

DE domo in qua vixit Dei Mater poſt Aſcenſionem Filij, quouſque vitam morte Sanctiſſima coronans, triumphalis etiã ipſa cælo illata eſt, & ſacello, in quo S. Io. Euãgeliſta ſacra coram Deipara Virgine faciebat, conſulendi ſunt Bonifacius de perenni cultu terræ ſanctæ lib. 2. & Franciſcus Quareſmus t. 2 eluci. terræ ſanctæ c. 14 & 15. pereg. 4. & nos in ſequentibus aliquid dicemus.

De loco, in quo ſupra ſacrum cætum Spiritus Sanctus in igneis linguis mirabiliter viſus eſt.

IV.

ILLam domum, quam in igneis linguis ardens Spiritus Sanctus impleuit fuiſſe ſacroſanctum illud cænaculum Sion tot diuinis Sacramentis, celeberrimiſque myſterijs conſecratũ ferè omnium Scriptorum conſenſu pro certo habetur, vt latè probat Fr. Quareſmus t. 2. eluc. terræ ſanctæ l. 4. c 4. Sanctũ cænaculũ, & Eccleſia Sanctorũ Apoſtolorum apellatur. Magna etiam, & Sanctiſſima Sion dicitur omnium Eccleſiarum maxima. De ſignificatione nominis Sion in ſacris litteris pluribus in locis celebratiſſimi agit, qui ſupra Fr. Quareſmus c. 1. vti de eius commendatione a naturalibus perfectionibus c. 2. Hunc eundem montem conſecratum fuiſſe ab Arca Domini, a ſepulchro Dauidis nobilitatum, & multis

alijs titulis illuſtrem idem fuſè probat. Illa duo ex Dauidicis cantibus oracula ad pleniſſimam montis Sion commendationem ſufficiant. *Diligit Dominus Sion ſuper omnia tabernacula Iacob* pſ.86. *Elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem ſibi* pſ. 131. Sanctum hoc cænaculum eſt ferè in extremitate ſacri montis Sion e regione portæ ſanctæ ciuitatis. De hoc ſacratiſſimo loco, & myſterijs in eo peractis agit S. Io. Damaſc. l. 4. de fid. c. 14. Vnico contextu omnia enumerat apud Metaph. Alexander Monachus, qui res geſtas S. Barnabæ proſequutus eſt his verbis. *In illo Dominus Paſcha celebrauit, in illo apparuit S. Thomæ Apoſtolo, cum a mortuis ſurrexiſſet. Illhuc poſtquam aſſumptus eſt diſcipuli cum reliquis fratribus centum viginti, in quibus erant Barnabas, & Marcus ex monte oliuarum conuenerunt, illhuc Spiritus Sanctus in linguis igneis ad diſcipulos deſcendit in die Pentecoſtes &c.* Incertum eſt cuiuſnam fuerit hæc fortunatiſſima domus, Euſebius l. 3. c. 33. videtur illam Ioanni Marco attribuere: Nicephorus a Quareſmo relatus Io. Euangeliſtæ: Petrus de Natalibus in catalogo Sanctorum l.8. Priſco Chriſti Domini diſcipulo, ignoto, ſed diuiti, vt ex cænaculo grandi, ſtrato, & catino ſmaragdino ingentis pretij, qui Genuæ aſſeruatur, aliqui iure inferunt. Idem videntur ſentire Theophilactus, S. Ambroſ. Victor Antiochenus, & Euthymius a Quareſmo relati. In hoc eodem ſancto cœnaculo Chriſtus Dominus apparuit Thomæ abſente, diſcipulis rediuiuus. Ibidem etiam celebratum eſt primum concilium Hieroſolymitanum, & poſt recuperatam Hieroſolymam

ſolymam a Gottefredo Bullionio celebrata, eſt dedicatio templi Domini per Apoſtolicæ Sedis Legatum Albericum Epiſcopum Oſtienſem, vt tradit Tyrius l. 15. c. 18. An ibi vixerit B. Virgo, & ſanctiſſimè obierit infra ſuo loco videbimus. Per ipſa initia naſcentis Eccleſiæ ſanctum cænaculum Apoſtolorum temporibus fuit in Eccleſiam conuerſum, vt indicat etiã S. Iacobus in ſua lithurgia, in qua erat hæc oratio. *Offerimus tibi Domine, & pro ſanctis tuis locis, quos glorificaſti diuina apparitione Chriſti tui, & aduentus Sanctiſſimi tui Spiritus, & præcipuè pro glorioſa Sion Matre omnium Eccleſiarum.* Cum autem tempore, Adriani, vt notat etiam S. Epiphan. l. de menſ. ſolo ferè æquata eſſet ſancta Ciuitas, Eccleſia Sion particeps ruinæ fuit. Illam itaque Helena Auguſta cum alijs Eccleſijs inſtaurauit, atque in ampliorem formam redegit. Hæc Eccleſia duas partes habebat inferiorem, & ſuperiorem. In ſuperiori parte die Pentecoſtes pluuiæ igneæ linguę e Cęlo deſcenderunt, vt docet S. Cyrillus Hieroſol. Epiſ. catech. 8. his verbis. *Spiritus Sanctus, qui loquutus eſt per Prophetas in die Pentecoſtes deſcendit ſuper Apoſtolos in ſpecie linguarum ignearum, hic Hieroſolymis in ſuperiori Apoſtolorum Eccleſia.* Ipſa quoque Eccleſia ab Helena Auguſta ædificata temporis iniuriæ ceſſit, vnde in eodem loco, & forma, alia extructa eſt à ſancta Siciliæ Regina, vt colligitur ex Bulla Clementis V. ad Generalem Ordinis Minorum. Huius Eccleſiæ typum ære delineatum inſeruit ſuo elucid. Fr. Quareſmus t. 2. l. 4. c. 5. cum a lijs ſcitu dignis.

An

An interfuerit cum alijs Spiritum Sanctum recipientibus, & an Beata Maria ſupra alios eodem repleta fuerit?

V.

VTrunque certiſſimum eſt. Affuiſſe, cum Sanctus Spritus viſibili forma e cęlis aduentauit, imò ſupra cæteros ſancti cænaculi beatiſſimos incolas eodem Sancto Spiritu repletam fuiſſe certum videri debet. Vnde Dyoniſ. Carthuſ. l. 2. de laud. B. Virginis a. 26. citra cõtrouerſiam eſſe putat, quod B. Virgo plus in illo acceperit Sancti Spiritus delapſu, & veluti diluuio gratiæ mundũ vniuersũ eluente, quam quiuis alius e ſacro illo cætu primorum fidelium. Inundauit tam largè, profusèque igneus ille Nilus Paradiſi cum ſeptemplici ſuorum donorum alueo in MARIAM, mare nimirum gratiarum, vt poſt Spiritus Sancti fulmineum deſcenſum in amabili illa linguarũm pacatè tonantium procella, de ea diceret B. Amed. Lauſan. hom. 7. *quod fluuius igneus, rapiduſque egrediebatur ab ea, qui hoſtes ſuccenderet, amicos confoueret, iuuaret proximos, concremaret inimicos*. Illius charitatis, *qua diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis* ingentem vim in MARIA Deipara expendunt Sancti Patres, de qua infra. Hinc *fornax*, *& officina Spiritus Sancti* dicitur B. Virgo à D. Bernardino Sen. t. 3. ſ. 11. a. 2. c. 3. *pratum totius fragrantiæ Spiritus Sancti* à Chryſippo Presbitero, *noua Dei Arca, in qua Dei Spiritus requieuit* ad Andrea Cret. or. de Ann. *ſplendor Spiritus Sancti* à D. Gregor. Nyſſ. hom. 13. in cant. *Spiritus Sancti vmbraculum* à Methodio

thodio in Hyp ap. & ſubijcit deinde B. Virginem alloquens. *In Te perbenignus ille Conditor feruentiſſima charitatis flammas, quaſi confertos quoſdam Solis radios eſt eiaculatus*. De æterna proceſſione S. Spiritus conſulendi ſunt Doctores theologi, præſertim S. Auguſt. & S. Th. qui etiam eius dona in hac temporali miſſione piè, luculentèque deſcribit. At quomodo iterum in aduentu ſuo Spiritus Sanctus, qui iuxta S. Thomam *vinculum, & nexus eſt Patris, ac Filij* in Matrem ſuperuenerit, & quam plenè, cumulatèque ſeptemplici ſuo dono virtus Altiſſimi, Deus nimirũ amor illam obumbrarit, colligi poteſt argumento, quod vocant à minori ad maius, ex ijs, quæ de Sanctis Apoſtolis diuino Spiritu repletis Patres prędicant. Aſcẽdens Triumphator mundi in altum nouo congiario cæleſti, ac triumphali in vniuerſum dedit dona hominibus. Vnde S. Maximus hom. 2. de Pent. ad illud pſ. 67. *Aſcendens in altũ captiuam duxit captiuitatem* ſic ſubijcit. *Hoc victoris inſigne eſt*: *poſt triumphum victor dona largitur, & ſeruulorum gaudia muneratur. Sic Chriſtus Victor poſt triumphum, ad Patris dexteram reſidens dona largitus eſt*. Inter hæc dona triumphalia donum donorum omnium fuit ipſe Sanctus Spiritus, qui totus charitas, & ignis conſumens eſt, ignemque venit mittere in terras. *Chriſtus* inquit S. Auguſt. ſ. 1. in Pentec. *hominem portauit ad cælum, & Deum miſit in terras*. Hinc quanta plenitudine in Dei Matrem Sponſam ſuam ventus ille vehemens, ac turbo gratiarum irruerit, eamque obruerit ignearum linguarum, fulminum nimirum innocentium procella ſalutari, quis explicare

poterit?

poterit? Si de omnibus iuſtis Dei ſeruis dicebat Apoſt. 1. cor. 6. *An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti?* Quid de Matre dicendum eſt? Fuit non Templum tantum, ſed Sanctuarium procul dubio Sancti Spiritus. *Si induit figuram ignis diuinus Spiritus* teſte Io. Chryſoſt. *vt vehementiam collatæ Apoſtolis Sanctis gratiæ, quæ vinci non poterat ſignificaret*, quid de illo empyreo, quo arſit magna Deipara prædicari cum dignitate poteſt? *Repleti ſunt omnes Spiritu Sancto*, vt habemus Act. 2. *Et tamen* inquit Richar. Victor ſ. de Sp. Sancto. *Audacter affirmo, quod ſola vna huius mellis ſtilla poteſt, quod totus mundus non poteſt. Cor quidē copia mundi non ſatiat: vna huius dulcedinis gutta plenè inebriat*. Non repleta eſt tantum Sancto Spiritu MARIA, ſed menſura coagitata prorſus, & ſuper effluenti. Venit Sanctus Spiritus in pium illum cætum ſub igneis linguis ex Mag. Leone ſ. 1. in Pentec. *vt Verbum Domini lucidum, & eloquium conciperetur ignitum*. Hoc etiam expreſſit eloquentiſſimus Martyr Cyprianus de aduentu Sancti Spiritus. *Multitudini credentium Spiritus Sanctus ſuperfuſus eſt, intus ardentibus, extra loquentibus, & complectebantur ſe dilectio, & Verbum, & de calore Spiritus feruebat ſermo ignitus*. Ineffabiliori modo procul dubio afflata eſt Sancto Spiritu, & chariſmatis cæleſtibus cumulata, inebriata muſto æternorum conuiuiorum, & omni dulcedine ſpirituali illa, quæ Verbum diuinum generauit, quam ij, qui Dei Verbum prædicare debebant; cum tamen etiam hoc munus Apoſtolicæ prædicationis ipſa Dei Mater poſt natam præſertim Eccleſiam exercuerit.

An

An cum Apoſtolis confirmata in gratia?

VI.

APoſtolos in die Pentecoſtes per aduentum Sancti Spiritus fuiſſe in gratia confirmatos communis eſt ſcholaſticorum Doctorum ſententia, vt probat Io. Carthagena t. 1. l. 16. hom. 11. Fundamentum ſumitur ex verbis Chriſti Domini Io. 14. qui promiſit illis Spiritum Sanctum manſurum in æternũ. Hoc tamen de B. Virgine dici non poteſt, quæ iam in gratia confirmata erat ab inſtanti Conceptionis. Siquidem ab illis initijs eam Deus preuenerat in benedictionibus dulcedinis auxilijs efficaciſſimis, & robuſtiſſimis gratiæ ſuę, in quibus confirmationem potiſſimum ſupra ſtatuimus. Hinc vt ſupra diximus immunis ab omni peccato actuali toto tempore vitæ ſuæ fuit.

An cum illis Sacramentum Confirmationis ſine vlla materialis chriſmatis vnctione acceperit.

VII.

APoſtolos in die Aduentus Sancti Spiritus ab eodem eminenter accepiſſe Sacramentum Confirmationis per internam vnctionem diuini amoris, & gratiæ cæleſtis, & cumulatos fuiſſe eius effectibus multò excellentius, quam fuerint reliqui fideles per Sacramenti receptionem, affirmant duo magna Societ. noſtræ lumina doctiſſimus Bellarminus in controu. Sacr. Confirm. & eruditiſſimus Suarez 3. p. t. 2. d. 18. ſ. 3. Imò hic vltimus idem aſſerit de B. Virgine, & confirmat Apoſtolo-

rum exemplo, quos ait in die Pentecoſtes præter omne meritum ſuum recepiſſe quaſi ex opere operato Spiritum Sanctum, & caracterem Confirmationis, quo in Chriſti milites conſignati ſunt. Hinc ſubiungit, quod etiam ſentit Bellarminus nullum aliud Sacramentũ Confirmationis per ſignum viſibile accepiſſe. Probabilius tamen videtur, vel Chriſtum Dominum, vt ait Syluester in roſa aurea tract. 2. ad Euang. Sabb. poſt Dom 3. Adu ad q. 3. Apoſtolos confirmaſſe, atque adeò etiam Matrem ſuam, vel Apoſtolos ipſos poſt Reſſurrect. Domini Epiſcopali authoritate donatos ſibi inuicem, & Dei Matri Sanctiſſimæ Confirmationis Sacramentum fuiſſe impertitos. Et certè, vt probat Theophilus Raynaudus in Dipt. Mar. p. 2. puncto 4. nullum fundamentum efficax habemus dicendi, quod Chriſtus Dominus in hac lege vniuerſali de collatione Sacramenti Confirmationis, & caracteris conſignantis militiæ chriſtianæ titulo per ſignum viſibile chriſmatis materialis, initio naſcentis Eccleſiæ, quando magis diuinarum inſtitutionum vſus neceſſarius erat, diſpenſarit. Veroſimilius ergo eſt verum, & proprium Sacramentum Confirmationis ante, vel poſt Aduentum Spiritus Sancti, vt ſupra etiam demonſtrauimus, B. Virginem recepiſſe. Non nego tamen id, quod fusè probat Io. Carthag. loco iam notato magnam eſſe conuenientiam, & propoꝛtionem inter gratiam, alioſque effectus Sacramenti Confirmationis, & eam gratiam, quam cum Apoſtolis B. Virgo per Spiritus Sancti aduentum accepit. Inde habemus 2. ad Cor. 1. ab Apoſtolo hæc verba. *Qui confirmauit nos,*

& qui vnxit nos Deus, & qui ſignauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris. Hæc verba ſic exponit Nicolaus Lyrenſis. *Qui confirmat SpiritusSanctus eſt, qui coniungit membra Eccleſiæ ad inuicem, & capiti, vnxit nos ſcilicet gratia ſua, & qui ſignauit nos ſigno Crucis in Confirmatione.*

An acceperit gratiam ex opere operato?

VIII.

S. Anſelmus l. 4. de virt. B. MARIÆ, gratiam ei copioſiſſimam adſcribit cap. 6. in Conceptione diuini Verbi. *Huic puellæ* inquit *ſic virtutum diademate redimitæ, totum ſe infudit Dei Filius, bona illa virginalis animi ſuo potiſſimum aduentu cuſtodiens. Namque ipſe non ſolum iuſtus, ſed & ipſa iuſtitia eſt, cui dicitur in pſalmo. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem. Matrem ergo ſuam iam iuſtam iuſtitiæ Dei penetrans vnxit eam oleo exultationis, ideſt Spiritu Sancto præ omnibus participibus ſuis.* Idem confirmat fusè Author ſerm. de Deipara apud S. Athanaſ. & videntur illa Euangelica verba ſuadere. *Spiritus Sanctus ſuperueniet in Te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Hinc Suarez t. 2. in 3. p. d. 18. ſ. 3. aſſerit ſine temeritate vix negari poſſe Beatæ Virgini in Conceptione Filij præter omne meritum copioſiſſimum, gratiam ex opere operato fuiſſe diuinitus infuſam. Inde idem augmentum gratiæ conijci poſſe concludit in alijs caſibus, vt in Chriſti Domini Natiuitate, Paſſione, Reſurrectione. Aſſerit hoc Mendozza in ſuo viridario l. 2. florum ſacrorum, probl. 7. in præcipuis Chriſti Domini myſterijs. Adiungit

adhuc Henriquez l. de fine hom. c. 10. §. 8. illos caſus, in quibus magnum aliquod obſequium Mater Filio exhibebat, vt quando illum lactabat &c. Hic cohærenter dicere deberet B. Virginem in aduentu Spiritus Sancti gratiam aliquam præter meritum, ex opere operato recepiſſe. Habuiſſe B. MARIAM augmentum gratiæ in Aſſumptione, mortem conſequuta, docet Mayro in 3. d. 3. q. 1. a. 9. Sed omnino falſum eſt, vt liquet. Theophilus Raynaudus in Dipt. Mar. p. 2. puncto 4. extra Sacramenta cenſet omnem gratiam ab inſtanti Conceptionis vſque ad mortem fuiſſe a Deo B. Virgini infuſam ex opere operantis. Rationem adducit, quia honorificentius eſt gratiam ex opere operantis recipere, ac titulo meriti, quam ex mera liberalitate diuina. & conſequenter in honorem Mariæ Deiparæ cedit ſic omnem gratiam fuiſſe collatam. Nec ab hac ſententia reuocare debet copia gratiæ infuſæ, quia non deerat Deo modus excitandi Deiparam Virginem ad actus pretioſiſſimos, talis gratiæ meritorios. Ego ſic rem compono. Vti maximum fundamentum habemus ex verbis Euangelij, ſanctis Patribus, & Doctoribus ſcholaſticis ad dicendum Beatæ Virgini in Conceptione diuini Verbi ſuperueniẽte Sancto Spiritu, & obumbrante virtute Altiſſimi fuiſſe collatam vltra omnem ingentis meriti titulum, copioſiſſimam gratiam, ita nõ admodum efficax in alijs myſterijs. Cæterum neuter modus gratiæ collatæ implicat contradictionem, & alter Dei liberalitatem, alter MARIÆ meritum amplificat; ad eandem tamen ſtabiliendam excellentiam ſanctitatis in B. Virgine conſpirat.

De augmento donorum Spiritus Sancti in B. Virgine die Pentecoſtes.

IX.

INcrementum maximum acceperunt Spiritus Sancti dona, quæ iam B. Virgini fuerant ipſo Conceptionis illibatæ momento diuinitus infuſa. Hæc ſeptem eſſe conſtat ex Iſ. 11. ſapientiæ, intellectus, conſilij, fortitudinis, ſcientiæ, pietatis, & timoris, de quibus agunt Doctores ſcholaſtici cum S. Thoma 1. 2. q. 58. a. 3. De Spiritus Sancti donis in B. Virgine ad illa verba prouerb. 9. *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem* egregiè diſſerunt Petrus Damiani in Nat. B. V. & Idiota de contemplat. Deip. c. 4. Similia habet Andr. Hieroſol. ſub titulo candelabri aurei, quod Zacharias ſeptem lychnis illuſtre vidit. *Spiritus Sanctus,* vt breuiter concludam cum S. Hildeph. ſ. 2. de Aſſumpt. Deip. *eam repleuit, & ornauit immenſis largitatis ſuæ muneribus.*

Charitatis, aliarumque virtutum.

X.

ILlud veriſſimum eſt, quod ait Pet. Damiani ſ. de Annunc. *Statim conceptam Mariam totam ſibi rapuit Spiritus Sanctus.* Sed illam maximè rapuit in aduentu ſuo viſibili in cænaculo Sion die Pentecoſtes, & immenſo ſuorum donorum theſauro ditauit. Cum autem charitas, & gratiæ menſura, & cæterarum omnium forma virtutum, imò virtus prorſus diuina ſit, illam ſolam expendam. Hæc, qua Deipara Virgo omnes Angelos, & homines

ſiue militantis Eccleſiæ, ſiue triumphantis, ſicuti gratia, cæteriſq; virtutibus ſuperauit, in Deum, in Ieſum Filium, in omne humanum genus effuſa eſt. *Quis* poſt laudatam magnam Virginem a ſummo in Deum amore, concludit, Richard. Victor. l. 2. de Emman. c. 29. *illud primum, & maximum mandatum ſic vnquam impleuit? Quis ſic vnquam implere potuit? Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua.* Egregiè quoque de MARIÆ charitate, qua in Deum ardebat, diſſerit Guillelmus Paruus in cap. 6. cantic. ad illud *Vna eſt columba mea*, oſtendens fuiſſe vnam ad ſummum bonum, nec diuiſam, ſparſamque ad alia Deo inferiora bona mortalia, & caduca. *Qui adhæret Deo* iuxta Apoſt. 1. Cor. 6. *vnus ſpiritus eſt cum eo.* Et e contra ex Auguſt. l. 10. confeſſ. *qui cum Deo aliquid amat, quod non propter ipſum amat, minus, & non plenè Deum amat.* Hinc facta eſt ex Guillelmo Paruo B. Virgo omnibus Sanctis admirabilis, & ſupra omnem humanam laudem laudabilis; vnde in hunc ſenſum accipit, quod in ſacro Epithalamio ſubiungitur. *Viderunt eam filiæ Sion, & beatiſſimam prædicauerunt.* Huius incenſiſſimi in Deum amoris rationes, & cauſas expendit Dyoniſ. Carthuſ. l. 3. de Deip. art. 3. De eo etiam fuſiſſimè, & nobiliſſimè philoſophatur Richardus a S. Laur. l. 4. a pag. 260. vti etiam Spinellus in Th. Dei, Nouarinus in vmbra virginea paſſim, alijque omnes magnæ Dei Matris cultores, & panegyriſtæ.

Hinc ille tenerrimus amor B. Mariæ ſupernaturalis ortus a lumine fidei, & ſcientia infuſa in IESVM Chriſtum Deum ſimul, & Filium

lium ſuum proceſſit. Huius amoris modum ferè dixerim ſine modo conati ſunt exprimere Philippus Abbas in cant. l. 3. c. 23. Rich. a S. Laurentio l. 4. Alanus ad illud cantic. 1. *Indica mihi quem diligit anima mea* Amed. Lauſan. hom. 2. Patres, & Doctores, qui de doloribus Deiparæ ad cruciatus, & præſertim ad Crucem Filij IESV diſſerunt, & alij innumeri. Vnum loco omnium Anſelmum affero l. 4. de virtutibus B. Mar. c. 8. vbi ſic ait poſt expoſitum amorem Filij in Matrem. *Quid illa? nonne tantis Filij beneficijs digno reſpondebat amore, plena Spiritu Sancto, qui eſt amor Patris, & prolis amor ſuauis, & dulcis? Amor non volaticus, ſed æternus. Non ne eum amabat, qui eam fecit omnis creaturæ Dominam, cæli, & terræ Reginam, fertilitatem, vt dixi tribuens, integritatem non minuens? Imò verò totis medullis, totis viribus in eius amorem ſuſpenſa erat, amoremque quem Pater, & Mater ſoboli ſuæ debent, ſola iſtà dulcis, & tenera Mater Domino, & Filio ſuo impendebat. Nec eſt aliqua ſcientia, quæ poſſit penetrare, nec eloquentia quæ poſſit prædicare, quanta dulcedinis ſedulitate paruulum fouerit, quanta diligentia, obſequioque adoleſcentem, & in robur ætatis vadentem prouexerit, quanta lætitia iuuenem miracula facientem, & eorum gloria famoſum audierit, viderit, quanta mæſtitia patientem, & morientem ſuſpicauerit.* Reddit deinde huius amoris tenerrimi ſimul, ac robuſtiſſimi rationem l. de excell. Virg. c. 4. his verbis. *Nec mirum! Ipſe enim Spiritus Dei, ipſe amor omnipotentis Patris, & Filij, ipſe per quem, & in quo amatur omne, quod bene amatur; ipſe enim corporaliter, vt bene dicam venit*

in eam, ſingularíſque gratia, quæ omnibus, quæ creata ſunt, ſiue in cælo, ſiue in terra, requieuit in ea, & Reginam, ac Imperatricem cæli, & terræ, & omnium, quæ in eis ſunt, fecit eam. Tandem concludit. *Superat ergo omnes creatarum rerum amores, & dulcedines, magnitudo amoris iſtius Virginis in Filium ſuum, & dulcedinis immenſitas, qua exultabat, & liqueſiebat anima eius in eundem Dominum Deum ſuum.*

Hinc etiam ad omnem proximum immenſus amor, de quo plura ſupra diximus, progerminauit. De hoc ſcitè philoſophantur Adam de Perſe in allegor. Tilmanni ad c. 24. Eccleſ. circi illa verba: *Quaſi oliua ſpecioſa*, Rich. a S. Laur. l. 2. de Deip. à pag. 79. & l. 4. à pag. 228., alijque innumeri. Illius menſuram ferè immenſam S. Bern. ſ. 4. de Aſſ. his verbis expendit, & celebrat. *Quis ergo miſericordiæ tuæ o Benedicta longitudinem, & latitudinem, ſublimitatem, & profundum queat inueſtigare? Nam longitudo eius vſque in diem nouiſſimum inuocantibus eam ſubuenit vniuerſis. Latitudo eius replet orbem terrarum, vt tua quoque miſericordia plena ſit omnis terra. Sic & ſublimitas eius ciuitatis ſupernæ inuenit reſtaurationem, & profundum eius ſedentibus in tenebris, & in vmbra mortis obtinuit Redemptionem.* Inde egregia illa verba ſubiungit. *Per Te enim cælum repletum, Infernus euacuatus eſt, inſtaurata ruina cæleſtis Hieruſalem, expectantibus miſeris vita perdita data.* Quam extenſa fuerit hæc Dei Matris ad omnes filios hominum charitas immenſa, oſtendit etiam Richar. Victor. c. 26. in cant. his verbis. *Tanta fuit* inquit *eius charitas, vt non ſolum ad eius gentem* (Iudæos ſcilicet)

licet) *extenderetur, ſed ad ignotas, & notas, ad omnes denique homines. Ad hos omnes charitas eius dilatata fuit, pro his ſollicita fuit, pro his indeſinenter orauit, pro his orando exaudita fuit &c.*

Quid de gratijs gratis datis dicendum ſit nimirum ſermone ſapientiæ, & ſcientiæ, diſcretione ſpirituum, fide miraculorum, dono linguarum, prophetia, curatione morborum, & patratione miraculorum.

XI.

HActenus de donorum, quæ vocant maiora, nimirum gratiæ, charitatis, aliarumque virtutum ſupernaturalium cæleſtibus theſauris. At quid dicendum eſt de gratijs gratis datis, quas minora dona vocant? In vniuerſum ſi aliquas gratias Deipara Virgo adhuc non poſſidebat, & eius ſtatui congruebant, conuenientiſſimum fuit in hoc diluuio gratiarum per Sancti Spiritus deſcenſum dici verè fuiſſe collatas. Mouit hanc dubitationem Petrus Cluniacenſis l. 7. epiſt. 7. propoſ. 1. Non tamen placet eius deciſio, cum dicat circa maiora dona non habuiſſe incrementum in die Pentecoſtes, quod falſum eſt, vt ſupra vidimus. Circa minora ait ſe ignorare an in die Pentecoſtes fuerint B. Virgini collata; quod tamen habet maximam probabilitatem. Quæ nam ſint hæc minora dona explicat Apoſtolus illis verbis. *Alij datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ, alij gratia curationum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum, & ſimi-*

& ſimilia. Sed vt enucleatius de illis diſſeramus. In duplici genere ſunt gratiæ gratis datę. Aliæ pertinent, aut directè ad intellectum, aut indirectè: aliæ pertinent ad curationes, miracula, & huiuſmodi. Inter gratias gratis datas, quæ ad intellectum pertinent numerantur ſermo ſapientiæ, & ſcientiæ, diſcretio ſpirituum, donum linguarum, fides miraculorum, prophetia. *Sermo ſapientiæ, ac ſcientiæ* ex D. Th. 2. 2. q. 177. a. 1. ad primum *eſt donum naturale quoad ſubſtantiam, ſed ſupernaturale quoad modum a Deo collatum, cui correſpondet loquutio vndequaque apta vnicuique, & vero ſapiente digna*. Idem dicendum eſt *de diſcretione ſpirituum, quæ eſt gratia gratis data, & conſiſtit in iudicio materialiter certo, licet non euidenti, quo homo in ordine ad aliorum vtilitatem per ſpecialem Dei inſtinctum motus bonum Angelum a Satana transfigurante ſe in Angelũ lucis, diſcernit*. Hoc etiam iudicium videtur quidem ſubſtantialiter naturale, ſed quia ex ſpeciali Dei inſtinctu profectum, quoad modũ eſt ſupernaturale. *Donum linguarum* Sanctis Apoſtolis collatum a Spiritu Sancto in igneis linguis e cælo deſcendente, quid fuerit omnibus liquet. *Fides miraculorum* varijs modis explicatur a Suarez prologom. 3. de gratia c. 5. n. 11. Apud Sotum 2. de nat. & grat. c. 6. videtur eſſe ipſamet fides diuina, prout applicata ad aliquod particulare factum, vt poſſit ingenerare fiduciam obtinendi miraculum, quod a Deo exoptatur, & exoratur. Soto refragatur Turrianus 2. 2. t. 1. d. 41. dub. 3. & diſp. 64. dub. 2. Suffragatur tamen Suarez diſp. 8. de fide ſect. 1. Ad prophetiam pertinet, vt

docet

docet Mag. Greg. hom. 1. in Ezecch. & notat Sirenius l. 3. de fato c. 3. occulta obiecta ſiue futura, ſiue præterita, ſiue præſentia, aut loco, aut natura ſua talia, vt ſunt cogitationes cordium, reuelare.

Has gratias gratis datas fuiſſe magnæ Deiparæ collatas, prout ſtatui Dei Matris, eiuſque excellentiſſimæ ſanctitati, dubitandum nō eſt, aliquas ab initio, quæ habituales ſunt, aliquas quando gloria Dei, & ſalus proximi id poſcebat actualiter.

Primò quoad gratiam ſermonis licet B. Virgo primariò, vt notat Pet. Cluniacenſis allata epiſt. 7. non ad prædicandum Verbum Dei, ſed ad generandum electa fuerit, non eſt tamen dicendum caruiſſe gratijs gratis datis ad ſermonem ſpectantibus, quæ intellectui infundi poterant. Nam eſſe debebat non populorum tantum exul in Egypto, & peregrina in Aſia, ſed Magorum ipſorum in Bethlemide ſpelunca, imo & Apoſtolorū, qui inſtituti iam erant orbis terrarum Doctores, vbique magiſtra, vt infra probabimus, omneſque inſtructura erat præſertim diuinæ Filij ſui infantiæ myſterijs, alijſque, quæ conferebat in corde ſuo, ac deinde opportunè protulit. In hoc ſenſu Guilleimus Paruus in c. 6. cant. accipit intellectum Marianum pro Sponſæ dilectæ dentibus, quos cæleſtis Sponſus comparat cum grege ouium tonſarum aſcendentium de lauacro.

Agnoſcit ſpirituum diſcretionem S. Antoninus in B. Virgine, neque eſt vlla ratio, quæ hanc ſententiam infirmet.

Attribuit fidem miraculorū B. Virgini Theophilus Raynaudus in Dypt. Mar. p. 2. puncto 8.

putatque eundem eſſe cum habitu fidei diuinæ, qui opportunè deinde per motionem Spiritus Sancti exeat in ſuum actum ſecundum. Sed melius meo iudicio hoc donum, pro vt eſt gratia gratis data conſtituitur a Suarez prologom. 3. de gratia c. 5. in puro actu tranſeunte elicito, & ſpeciali motione Spiritus Sancti.

Vſum eſſe dono linguarum Dei Matrem peregrinam in Ægypto aſſerit Gregorius Monachus, vt refert Pet. Cluniacenſis l. 3 ep. 7. Eodem vſam fuiſſe dicit Theoph. Raynaud. loco ſupra relato, cum Sanctos Magos IESV infantuli adoratores alloquuta eſt, & magna ex parte eorum conuerſionem iuuit. Abſolute hoc donum B. Virgini concedunt S. Antonin. 4 p. t. 15. c. 19. Io Gerſon Cancell. Pariſ. ſ. de Spiritu Sancto q. 3 & habetur in 2. t. ſuorum operum, Albertus Mag. c. 160. Pelbartus l. 7. Stell. p. 3. a. 3. Dyoniſ. Carthuſ. l. 2. de laud. Deip. & alij. Vſus tamen huius doni fuit, opportuna data tantum occaſione, proditus. An conſiſtat hoc donum in ſpeciebus inditis linguarum; an in alio, conſulendi ſunt ſacrarum litterarum Interpretes in acta præſertim Apoſtolorum.

Prophetiæ donum fuiſſe B. Virgini diuinitus infuſum pro certo habeo. Hoc tradunt expreſsè duo magni tum græcæ, tum latinæ Eccleſiæ Doctores Baſilius, & Hieronymus in c. 8. Iſ. ad illa verba. Acceſſi ad prophetiſſam. Accedunt duo magni B. Mariæ propugnatores Cyrill. l. 1. in Iſ. or. 5. & Epiphan. hær. 78. Imò ipſe theologorum Apex Auguſt. 17. de Ciuitate Dei c. vlt. ſuffragatur. Id etiam expreſsè tradit Arnobius egregius Æthniciſmi

profligator in conflictu cum Serapione l. 2.
His omnibus ſubſcribit luculentiſſimè Rupertus Abb. in c. 1. Matth. confirmatque Dyoniſ. Carthuſ. de laud. Deip. art. 18. d. 10. Plures Patres in hanc ſententiã affert Rutilius Benzonius l. 2. in cant. Deip. c. 22. dub. 10. Sed controuerſum adhuc eſt, an habuerit B. Virgo donum prophetiæ habitualiter. Negat S. Thomas 2. 2. q. 171. a. 2. & plerique alij, quos refert Martinus Delrius de Mag. c. 1. q. 1. Eſſe donum prophetiæ habitum permanentem, vti fuit in Chriſto Domino habitus ſcientiæ infuſæ non implicat contradictionem, vt conatur probare fruſtra Caiet. ad illum textum S. Thomæ, videtur eſſe iuxta doctrinam S. Hieronymi epiſt. 125. q. 3. & S. Greg. Mag. hom. 1. in Ezech. & 2. dialog. c. 21. Dico tamen non habere nos fundamentum efficax aſſerendi, quod fuerit hoc modo donum prophetiæ in B. Virgine. Probabilius ergo eſt Deiparam Sanctiſſimam, vel non habuiſſe habitualiter hoc donum, vel ſi habuit, eius vſum nõ fuiſſe, niſi iuxta diſpoſitionem diuinam pro opportunitate exercitum, & deductum ad praxim.

De alijs gratijs gratis datis pertinentibus ad curationem morborum, & patrationem miraculorum variè philoſophantur Patres, Doctores Scholaſtici, & alij Marianæ vitæ Scriptores. Harum gratiarum in B. Virgine nulla eſt mentio in ſacris litteris, ſcripturiſque canonicis, vnde has in ea non fuiſſe videtur aſſerere S. Thomas, cum præſertim eius munus non eſſet fidem in fidelibus ingenerare, & firmare miraculis. Hæc fuit ſententia Petri Cluniacenſis loco iam relato; nec propterea

Dei

DeiMater omnibusThaumaturgis minor eſſet. Illi tamen has gratias concedit Suarez t. 2. 3. p.d.20.ex S. Antonino, Alberto Mag.& alijs. Poſſunt conciliari ſi dicamus has gratias in Aduentu Spiritus Sancti fuiſſe inditas, collatasque non ab initio, cum præſertim gratia patrandi miracula probabiliter non ſit aliquis habitus intrinſecus ſuperadditus naturæ indebitus, ſed entitas naturalis, quæ per extrinſecā diuinæ omnipotentiæ coniunctionē eleuatur potētia, vt vocant, obedientiali, ad patrandū opus ſupra vires naturæ; vbi ita Dei gloria ad ſalutem proximorū poſtulat. Ad hoc mouet me maximè Baſilij Seleucienſis dictum, & ex ipſo argumentū ſatis efficax, orat.39. his verbis. *Quis ingentē Deiparæ potentiā non miretur? Quis non miretur quantopere ſuperemineat quotquot honoramus Sanctos? Nam ſi Deus ſeruis tantum, impartitus eſt gratiæ, vt non tactu tantum ægros perſanarent, ſed & vmbra proiectu idem præſtarent (proponebant enim in foro medio ægros, vt actorum liber edocet, & vmbra Petri morbos depellebat; Pauli verò neſcio quis apprehenſo linteo manuali, & corporis ipſius exterſo ſudore Dæmones vlteres abigebat) qualem Matri virtutem ineſſe cogitabimus? An non maiorem multò, quam in ei ſubiectis? Cuiuis notum.* Ac tandem concludit: *Quos ſi his tam rara perpetrare conceſſit, quale nutricationis pretium Matri dederit? Aut quibus gratijs etiam illuſtrauerit?* Non ſunt tamen ſine fundamento adſtruenda MARIÆ viuentis miracula, vti nulla alia; iuxta ea, quæ ſcitè præſcribit Melchior Canuſ. l. 11. de loc. theol.c.2.in ſecunda præſertim regula probati Hyſtorici. Pelbartus l.7.

Stell.

Stell.p.3.ar.3. ex S.Germano multa deſcribit etiam Chriſto Domino viuente Mariæ Deiparæ miracula. Sed illa, quæ ibi deſcribit, non redolere grauitatem S.Germani Patriarchæ Conſtantinapolitani aſſerit doctiſſimus Raynaudus in ſuis Dypt.p.2.puncto 8. Etiamſi magna Deipara viuens nullum patraſſet miraculum, adhuc ipſa per ſe ſe *eſt miraculum* ex S.Io. Damaſceno or.1.de Nat. B.V. *omnium miraculorum maximè nouum, & miraculorum abyſſus*, ex S. Io. Chryſoſtomo or. de hypap. *miraculum magnum mundi*, ex S. Epiph. or. de laudibus Deip. *miraculum ſtupendum in cælis* ex S. Ephrem. in laud. B.V. *miraculum præſtantiſſimum vniuerſi terrarum orbis*, ac tandem ex S.Ignatio Mart.ep.1.ad Io.Euang. *prodigium cæleſte, & ſacratiſſimum ſpectaculum, in quo humana natura, natura ſanctitatis Angelicæ ſociatur.*

BEATISSIMA MORS
ſanctiſſimæ vitæ clauſula.
EPITAPHIVM.
ELOG. XXIX.

Dicebam in nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies. Iob. 29.

Mortuuſque eſt ibi Moyſes ſeruus Domini in terra Moab iubente Domino, & ſepeliuit eum in valle terræ Moab contra Phogor: & non cognouit homo ſepulchrum eius vſque in præſentem diem. Deuter. 34.

Sta viator:
attigiſti rerũ humanarũ NON PLVS VLTRA.
Nihil vltra Dei Matrem inuenies,
niſi Deum.
Hic nihil præter lapidem iacet:
iacuit, quæ ſola hominum non iacuit.
Mori debuit,
ne orbis terrarum Deum putaret
Dei Matrem,
diuina agentem, & non patientem humana.
Eadem tamen mors in miraculum ceſſit,
cum ferè nõ haberet, quod moreretur.
Animam crux in caluario confixerat:
corpus vbique ieiunia conſumpſerant.
Ipſum quoque vixiſſe prodigium fuit,
in fæmina ſepties doloris gladio perfoſſa.
Quanquam quis mortuam dicat,
cum a vita mortem habuerit?
Ille amor mortem intulit,
quo Mater pulchræ dilectionis ſolo vixerat.

Horruit mors aggredi vitæ parentem;
quæ Deum mundo pepererat, mundum Deo.
Niſi amor cæcus fuiſſet,
non potuiſſet ferire, ne quidem volentem.
Eua innocens
coronata antequam nata,
vitæ parens,
anathema mortis non merebatur.
Nihil ab Adamo luteo MARIA contraxit,
quod reum mortis eſſet.
Eadem felicitate, qua Filius in manus Patris,
Mater in manus Filij ſuum ſpiritum tradidit.
Vt ſcias illã non amore tantũ, ſed more diuino
mortuam eſſe, quæ ſupra homines vixerat.
Si tamen mori potuit iam a ſtatione crucis
facta viuum ſui cadauer,
doloris ſtatua;
ſed amoris ſcalpro exciſa.
Mortua deinde ſepulchro caruit,
non ſuſtinente terra tantum pondus.
Funus in triumphum:
tumulus in capitolium migrat,
vt non vixiſſe diceres, ſed viciſſe,
nec obire, ſed abire.
Imo cum Superi inferias,
& epinicion pro epicedio canerent,
Apotheoſim immortalitatis,
ferè ſine morte habuit.
Intrauit terram, vt refloreſceret
Paradiſus deliciarum.
A terra ſtatim cælo reddita,
cælo ipſi cælum addidit.
Arca Domini ex cedro compoſita,
putreſcere non debuit.
Ne amplius Deus peregrinaretur in terris,
abeſſe

abeſſe noluit a cælo domum ſuam,
licet verum cælum ſit,
vbicunque eſt Dei domus.
Si ſepeliri potuit thaumathurga Virgo,
ipſum Deum pollinctorem habuit.
Incongruũ erat ab Amico prodigiorũ opifice
Matrem ſuperari, quæ tota prodigium eſt.
In oſculo Domini ſemel Moyſes;
ſed MARIA ſemper vixerat.
Ita hominum fænix mori immortalis debuit,
vt nihil inter viuam, rediuiuamque diſtaret.
A Filio, cuius vitam inſtituerat,
hanc Mater didicit rationem moriendi.
Si Deus ipſe mori poſſet,
non aliter, quam Dei Mater, moreretur.

Debet ergo ei totus mundus ſaluationis ſuæ plenam notitiam, quæ pleniſſimæ cognitionis Apoſtolis non inuiderit ſcientiam. Quapropter quia ad exiguum boni increſceret proceſſus Euangelij, niſi cognoſceretur tenor principij, meritò illa dicitur, & Apoſtolorum Apoſtola, & Euangeliſtarum Euangeliſta, per quam principalis ipſis fidei Principibus illuxit doctrina. S. Anſelm. l. de 4. virt. B. Mar. c. 3.

Ductus fui ad deiformem præſentiam Altiſſimæ Virginis, & tantus me, tamque immenſus diuinus ſplendor circumfulſit exterius, & plenius irradiauit interius. Tanta etiam in me omnium odoramentorum ſuperabundauit fragrantia, vt nec corpus infelix, nec ſpiritus poſſet totius, ac tam æternæ felicitatis inſignia ſuſtinere. Dyoniſius Areopagita in epiſt. ad Paulum, *& ibidem alijs interiectis. Teſtor, qui aderat in Virgine Deum. Si tua diuina concepta mente non me*

docuiſſent,

docuiſſent, hanc ego verum Deum eſſe crediidiſſem, quoniam nulla eſſe poteſt gloria beatorum, quam illa felicitas.

Mors Beatiſſima ſanctiſſimæ vitæ clauſula.

CAP. XXIX.

MORS Beatiſſima magnæ Deiparæ, vitæ ſanctiſſimæ clauſula fuit. Aſcendente Triumphatore IESV in cælum relicta eſt in terris MARIA iam omnium victrix, & matura alioquin triumpho ſuo cæleſti, vt Eccleſia infans amiſſo Patre, Matre etiam non careret, & per eius magiſterium non diuina tantum Schola, ſed totus chriſtianus orbis erudiretur. Quantum illa ſæpius inter Duodecim-viros Chriſtianæ Reipublicæ Patres veluti in Zodiaco ſuo Sol circa Numinis placita, legum inſtitutiones, ſanctiones morum, Sacramentorum miniſteria, exercitamenta virtutum, arcana myſteriorum, vſum ſacrorum, omnemque Eccleſiæ recens natæ, atque in dies adoleſcentis felicitatẽ lumen infudit! Quot illa de Filij infantia agiographis ſanctorum euangeliorũ Scriptoribus deprompſit velut e ſanctuario Diuinitatis, e pectore ſuo, in quo conſeruabat omnia hæc, iam dudum conferens in corde ſuo? Quis poterat penitius explanare diuinum VERBVM, quam illa, quæ ediderat; quod ipſa fecerat explicans, commentumque adiungens textui ſuo? Illa itaque

non

non coronata tantum fuit Angelorum, & hominum Regina, rerumque Domina, ſed laureata Apoſtolorum, cæterorumque diuinorũ Scriptorum Magiſtra, & per ipſos vniuerſi terrarum orbis, cuius illi Doctores fuere. Nemo niſi impius magnæ Virgini hanc lauream detrahet, quam non primi tantum ſæculi, ſed conſequentium omnium authoritas iure impoſuit. Nec infantem tantum Eccleſiam inter ſuos amplexus Virgo Mater lactauit oraculis, ſed abſentem, ac veluti auulſam ab vberibus ſanctiſſimis epiſtolis nutrire, ac fouere potuit, ſinu immenſæ Diuinitatis capaci. Accurrebant ad illam vndequaque etiã parentes ſanctitatis, vt viuũ corporatæ Deitatis illud ſacrarium venerarentur, & Filiũ in Matre adorarent, quæ ſola Diuinitate minor erat. Inueniebant cælũ modeſtię in vultu, paradisũ deliciarũ in verbis, mare gratiarũ in moribus, abyſſum humilitatis in corpore, empyreum ſanctitatis in anima, totam virtutum omnium Heroinam, ſpirantẽ Diuinitatem, vno Verbo Dei Matrem, in qua totus adhuc Filius viuere videbatur. Oculis quibus Solem, & aſtra vincebat, pudorem virgineum inſpirabat: ore, quod lacte ſtagnabat, & melle, mæſtitiam detergebat: voce, qua monſtra placaret, vitia conprimebat: geſtis, quibus ſupra homines aſſurgebat, Deum ingerebat, terrarum flos, cæli delicium, Erebi fulmen, Superum, atque hominum amor, Eccleſiæ parens, rerum Domina, æque ſemper virtutum omnium, atque Angelorum ſtipata choragio. Tantùm inſtar Filij in Matre erat! Ad eius nimirum imaginem fuerat antequam illum conciperet præpoſtero, ſed veriſſimo

prodigio,

prodigio, ab ipſo æuo concepta. Tota prodigium neminem fama nominis ſui traxit, quem admiratione non ſuſpenderit, præſentia non conſecrarit, aſpectu non bearit. Oratio VERBI diuini Matrem decebat: facies pingebat ideam ſanctitatis: totius corporis, animique habitus mundi magiſtram referebat, cælitem in terris, inter homines diuinam, in noſtra mortalitate immortalem, omni celſiorem laudum faſtigio, titulis omnibus, atque ipſo mundo maiorem. Ita ad hoc ſignum magnum, coloſſum ſanctitatis conflandum omnes naturæ, gratiæque theſauros opifex rerum omnipotentia congeſſerat, tanta virtutum omnium conſenſione, vt non ſolum ſingulæ nihil ſibi inuicem detraherent, ſed pudori venuſtas, facilitas conſtantiæ, comitas modeſtiæ, grauitati demiſſio, ſimplicitas maieſtati pretium augeret, formam, lucemque conferret, & ipſa in ſingulis omnes haberet adamantinis nodis inuicem catenatas, eſſetque in omnibus ſingularis, omnium ferè dixerim, virtus vna virtutum. Dicite ſuperi, quos ſæpius immotos hoc miraculorum miraculum paſſis alis ſtupore defixit! Celebraſtis veſtris cantibus innocentes Syrenes, æterni Patris Filiam, VERBI diuini Matrem, Spiritus Sancti Sponſam. In Sole veſtro cælites Aquilæ adhuc videtis, quo ardore ad hoc omnium ſæculorum negotium perficiendum ſæcula omnia conſpirarint. Expendiſtis cumulum gratiæ, quem habuit, magnitudinem virtutum cum numero contuliſtis, apicem gloriæ, quem tenet, ſuſpexiſtis. Inter eos amores ardetis Empyrei Pyrauſtæ, quibus illa conflagrauit: poteſtis ex veſtris ſcintillis

magna

magna illius incendia æſtimare. In illo mari gaudiorum beatè naufragi eſtis, quod in illam inundauit. Nos ſurdi ad cæleſtia, ad diuina cæci humi reptamus. Sed quorſum hæc? Fallor. Etiam vos infantes eſtis, & elingues. Illa ſupra omnes laudes aſſurgit, & diuinorum more, venerabundo ſilentio adoranda eſt. Eo ſolo Verbo diuini VERBI Mater explicari poteſt, in quo Pater ſemel ab æuo loquutus omnia dixit. Inter MARIÆ Sanctiſſimæ cælites delicias princeps erat diuinum epulum, quo in ſacra Sinaxi frequentiſſimè paſcebatur. Cibus hic grandium non magnæ tantum animæ alimentum videbatur, ſed etiam virginei corporis, nam hiſce cęli lautitijs ferè ſola ieiunia ſaginabat. Amabat ſolitudinem, ſed nunquam ſola, cum Deo ſemper plena eſſet. In illa etiam ſuauiſſima miſcebat cum ſuperis colloquia, vt iam terra cęlo non inuideret. Non rarò tamen loca inuiſebat, magnis noſtrę ſalutis conſignata Sacramentis, ea pręſertim, quæ diuino fuerant Sanguine conſecrata. In ſtatione Caluarij ſæpe ſuos dolores repetijt: inter tumuli vmbras ſæpe ſuos relegit amores. Ah quoties e ſpinea corona roſas deliciarum cæleſtium collegit! Ah quoties in ſtygmatica Sindone libatis oſculis ſuauiata eſt VERBI cruciarij nobiles caracteres, & amabilē beati corporis lanienam! Interim multi - corporis Eccleſiæ in vna fide cor vnum erat, & anima vna, vna etiam Matre omnium infantiam fidelium lactante. Hęc etiam omnium cordium anima, omnium animarum cor dici poterat. Vna voce loquebantur, quam tamen ſparſę igneę linguæ conflabant: vno cænaculo ad

conui-

cōuiuia diuina vtebantur, quod vnus in omnibus ferculis dapſilis Deus implebat. Vnum ſiquidem inſpiratum e cælo ſpiritum amanti pectore reſpirabant. Eſſe centimanos decet Chriſtianos, ſed vnanimes. Incipiebat iam tota Eccleſia in Apoſtolorum Principe, in vna Petra fundari, quæ abyſſum premeret, terras regeret, cælum ſuſtentaret. Huic incrementum dederant, & ferè coronidem iniecti in Stephanum, qui ſuo nomine iam ſibi coronam deuouerat, lapides, triumphali Heroi in adoream victoriæ, adiecto e cælo pretio, ac ſplendore, gemmantes. Impietate in Simone proſtrata, auaritia in Anania trucidatur. Prima hæc idola in Iudea, & Samaria euertuntur, ne chriſtianum orbem inficiant. Aurum ad pedes Apoſtolorum abijcitur, nec prodigalitas eſt, ſed prodigium, quo homines ex luteis aurei fiunt, ac terrena Hieroſolyma in cæleſtem migrat, in cuius plateis aurum mundum calcatur, & gemmæ fundamenta ſunt mænium, non coronæ. Inimicum aurum bono iure belli, qui ſpernit, ſternit. Citra fabulas Plutum a Plutone non diſtingues: eodem pede aurum, Tartarumque calcatur. Parricidium naturæ eſt ſuperna deſpicere, inferna ſuſpicere, ac terræ viſcera, ſupra hominum capita adorata in cęlo locare. Hinc ſeptuaginta duobus diſcipulis per orbem terrarum legatis, totidem linguis vna cæli lingua proſtratis, nouam Synedrin de ſpiritu ſuo diuinus Myſtes inſtituit, & fere ſupra Romanos Trium-viros Galilei Duodecim-viri rerum potiuntur. Iterum ſuperato Noemico miraculo vna Petri cymbula naufragum mundum vehit. Ignea illa ſacræ Pen-

tecoſtes

tecoſtes tempeſtas tonitruũ linguę in Ioannẽ Boanerge, & calami fulmen accenderat, vt iam Aquila cæleſtis fulminatrix nihil præter perditorum ſtrages meditaretur. Adſciſcitur MARIA itineris comes, ſoſpitatrix periculorum, auſpex felicitatis, vt plura regna ſua præſentia conſecraret. Quantula Iudæa erat magnæ Deiparæ, quæ Deum capere potuit mundo maiorem! Non ſunt timenda naufragia, vbi certis auſpicijs vehitur a vectoribus nauis. Epheſus expeditionis Aſiaticæ meta deſtinatur. Arcana, quæ dilectus diſcipulus didicerat ſupra pectus IESV puluillum cordis, amoris catedram, amaſio ipſo VERBO Doctore, MARIA interprete dulcius ſapiebant. Magnę Matris non niſi magnus Filius eſſe poterat. Nunquam deſijt eſſe dilectus IESV diſcipulus, quouſque expertus eſt Filij mortui amores in Matre rediuiuos. Admirari libet ſacri Agiographi prudentiam. Vt fidem fidei ipſi faceret, viuum Euangelium ſecum circumtulit, in quo VERBVM Dei non ſcriptum, ſed factum, & verè editum fuit. MARIA Ioannis comes, ſi nominis auſpicium conſulis, docet ſine gratia nunquam MARIAM eſſe, & adoleſcentiam ſine MARIA tutam eſſe non poſſe. Aſiæ minori cognomentum poſthac detrahite, quando ibi iam rerum maxima habitat. Mirum fuit eſſe Aſiæ victricem Aquilam non Romanam, ſed Hebræam, ſed nec mirum, cum *ſignum magnum* circumferret, MARIAM rerum omniũ triumphatricem. Plus tamen orbis Romanus huic Aquilæ, quam alijs omnibus debet, Vrbſque orbis Regina, non Roma vocetur, ſed Epheſus, vbi rerum omnium Regina dominatur.

conuiuia diuina vtebantur, quod vnus in omnibus ferculis dapſilis Deus implebat. Vnum ſiquidem inſpiratum e cælo ſpiritum amanti pectore reſpirabant. Eſſe centimanos decet Chriſtianos, ſed vnanimes. Incipiebat iam tota Eccleſia in Apoſtolorum Principe, in vna Petra fundari, quæ abyſſum premeret, terras regeret, cælum ſuſtentaret. Huic incrementum dederant, & fere coronidem iniecti in Stephanum, qui ſuo nomine iam ſibi coronam deuouerat, lapides, triumphali Heroi in adoream victoriæ, adiecto e cælo pretio, ac ſplendore, gemmantes. Impietate in Simone proſtrata, auaritia in Anania trucidatur. Prima hæc idola in Iudea, & Samaria euertuntur, ne chriſtianum orbem inficiant. Aurum ad pedes Apoſtolorum abijcitur, nec prodigalitas eſt, ſed prodigium, quo homines ex luteis aurei fiunt, ac terrena Hieroſolyma in cæleſtem migrat, in cuius plateis aurum mundum calcatur, & gemmæ fundamenta ſunt mænium, non coronæ. Inimicum aurum bono iure belli, qui ſpernit, ſternit. Citra fabulas Plutum a Plutone non diſtingues: eodem pede aurum, Tartarumque calcatur. Parricidium naturæ eſt ſuperna deſpicere, inferna ſuſpicere, ac terræ viſcera, ſupra hominum capita adorata in cęlo locare. Hinc ſeptuaginta duobus diſcipulis per orbem terrarum legatis, totidem linguis vna cæli lingua proſtratis, nouam Synedrin de ſpiritu ſuo diuinus Myſtes inſtituit, & fere ſupra Romanos Trium-viros Galilei Duodecim-viri rerum potiuntur. Iterum ſuperato Noemico miraculo vna Petri cymbula naufragum mundum vehit. Ignea illa ſacræ Pen-

tecoſtes tempeſtas tonitruũ linguę in Ioanne Boanerge, & calami fulmen accenderat, vt iam Aquila cæleſtis fulminatrix nihil præter perditorum ſtrages meditaretur. Adſciſcitur MARIA itineris comes, ſoſpitatrix periculorum, auſpex felicitatis, vt plura regna ſua pręſentia conſecraret. Quantula Iudæa erat magnæ Deiparæ, quæ Deum capere potuit mundo maiorem! Non ſunt timenda naufragia, vbi certis auſpicijs vehitur a vectoribus nauis. Epheſus expeditionis Aſiaticæ meta deſtinatur. Arcana, quæ dilectus diſcipulus didicerat ſupra pectus IESV puluillum cordis, amoris catedram, amaſio ipſo VERBO Doctore, MARIA interprete dulcius ſapiebant. Magnę Matris non niſi magnus Filius eſſe poterat. Nunquam deſijt eſſe dilectus IESV diſcipulus, quouſque expertus eſt Filij mortui amores in Matre rediuiuos. Admirari libet ſacri Agiographi prudentiam. Vt fidem fidei ipſi faceret, viuum Euangelium ſecum circumtulit, in quo VERBVM Dei non ſcriptum, ſed factum, & verè editum fuit. MARIA Ioannis comes, ſi nominis auſpicium conſulis, docet ſine gratia nunquam MARIAM eſſe, & adoleſcentiam ſine MARIA tutam eſſe non poſſe. Aſiæ minori cognomentum poſthac detrahite, quando ibi iam rerum maxima habitat. Mirum fuit eſſe Aſiæ victricem Aquilam non Romanam, ſed Hebræam, ſed nec mirum, cum *ſignum magnum* circumferret, MARIAM rerum omniũ triumphatricem. Plus tamen orbis Romanus huic Aquilæ, quam alijs omnibus debet, Vrbſque orbis Regina, non Roma vocetur, ſed Epheſus, vbi rerum omnium Regina dominatur.

Superſtitionem Epheſij in religionem conſecrate: adorate non fictam Iouis Filiam, ſed veram Dei Matrem, non Dianam, ſed Deiparam. Templum habetis, quod non Aſiæ Reges, ſed Rex Regum ſibi extruxit. Huic octauo, cui ſeptem alia cedunt, orbis miraculo, cetera faſtigium veſtrum, nominiſque gloriam demittite. Euocato illa e cælo, Deo potuit terram olim in cælum conuertere, nunc vbicunque ſit, in ſua domuncula, omnis metropolim conſtituit ſanctitatis. Iam fidei perfugas Ioannes Boanerges fulgurante vbique, quod ſcripſerat Euangelio, tota Aſia fulminauerat. Iam Aſiaticos mores ſuis MARIA compoſuerat, ſatiſque terrarum bearat adoranda vbique ſanctitate, ſpectabilis. Iterum e minore in maiorem Aſiam reditur, cælo plaudente, lætumque celeuſma canente. Hieroſolyma Regis Regum morte facta mundi metropolis, deſtinatam mortem cæleſti triumpho, ac ferè laureatam victricem omnium excepit. Non debebat extra viſionem pacis illa mori, quæ Paradiſum deliciarum vbique circumferebat, & Iris Empyrei poſt expugnatas pugnas, ac bella debellata, clauſo Iani bifrontis Templo, pacato orbi terrarum Principem pacis attulerat. Ille igneus pluuius e cælo ſpiritus, amor paracletus, qui ſparſerat per orbem terrarum, eodem turbine Apoſtolorum Senatum, alioſque diuinæ ſcholæ, & Chriſtianæ Reipublicæ Sanctiſſimos Patres Hieroſolymam coegit, nō ſine miraculo, omnibus ad miraculorum maximum accurrentibus. Et ſane cogi Senatus Duodecim-virum ille ſapientiſſimus iure potuit, cum Deipara moriente de ſumma rerum ageretur.

retur. Videre debebant Patres, ne quid Reſpublica Chriſtiana detrimenti pateretur. Igneo amoris curru ſupra Eliæ prodigium ad ſublimioris amænitatis non terrenum, ſed cæleſtem Paradiſum rapiuntur amantes. Erat illis cor vnum, & anima vna: calida vis amoris congregauit homogenea. Sed maius miraculum fuit, cum ipſa etiam e cælo Deum traxit. Affuiſſe præmiſſo nuncio MARIÆ morienti IESVM cum vniuerſa cæli curia, ac beatorum non Angelorum tantum, ſed Iuſtorum veterũ Republica, nemo dubitare poteſt, qui vel Filium norit, vel Matrem non ignorarit. Ille non alio, quam quo vixerat amore vitali laborantem, & anhelantem ad patriã, & Numinis amplexus de inſtanti cæleſti itinere certam fecit, addiditque ipſius votis conſona eſſe Cælitum omnium vota, cumulum hunc beatitatis expectantium: decretum eſſe iam ipſius victorijs triumphum omnium glorioſiſſimum: paratum iam eſſe ſupra omnes cæli Proceres, infra tantum ſolium ſuũ vtriuſque orbis diadema: iam Patris æterni Filiam, VERBI Matrem, Spiritus Sancti Sponſam omnium ſuperum cantibus concini: iam Angelorum, & hominum Reginam, rerum Dominam, Eccleſiæ Patronam, Sanctam Sanctorum, & vno verbo, quod ſupra omnes laudes aſſurgit, Dei Matrem vocari. Interim amor qui mortem non timet, ſed moram, quæ mors eſt amoris, inſenſili iaculo cor feriens, & vincula vitæ abrumpens, innocentiſſimam animam inter Filij amplexus ſuauiſſimos, liberauit. Mortuo Filio mors Matri in priuilegium ceſſit, non in pœnam. Aſpiraſſe dici potius poteſt, quam expiraſſe, nam dum

inter Superum, hominumq; amores ſuſpenſa ad Dilectum ſuum aſpirat, expirat. Oppetijt mortem, vt ſe natam in terris, non e cælo delapſam probaret. Cum eſſet fere ſupra homines tota, in hoc tantũ fere ſe mortalem exhibuit. Iam dudum non ſibi, ſed Deo viuens, nec terram premebat, nec premebatur à terrenis, momenta virtutibus, horas prodigijs numerabat, & iter cæleſte etiam in terris ſæpe frequentabat. Miraculum eſt, quod vixerit ſepties citra ſanguinem martyrum Regina, doloris gladio animam tranſuerberante. A ſtatione Crucis dubitari poterat an vitam egiſſet, an mortem. Ideò mortem non declinauit, quia poterat de illa triumphare. Ita maximus ſplendor orientis ad occaſum venit, & vt melius dicam Dei aurora, adueniente Sole, diem ſuum intrauit. Non aliter moreretur Deus ipſe, ſi mori poſſet. Illata cælo triumphali more ſanctiſſima anima, corpus virgineum ab Apoſtolis terræ mandatum eſt, occidenti Soli aſtris facem ſuam prætendentibus. Vni MARIÆ totus Apoſtolorum chorus exequias cecinit. Nunquam iuſtius parentatum eſt, quam huic communi orbis totius Parenti. Sed hoſpita tumuli fuit, non inquilina, morte ipſius corporis in immortalitatem tranſcripta. Aram dixiſſes potius quam ſepulchrum Marianum Mauſolæum; ita ſacris fragrabat odoribus, & Diuinitatem vndequaque ſpirabat. A ſanctitatis ſacrario virgineo corpore, elementum ipſum didicit innocentiam: ſtatim illũ theſaurum terra cælo reddidit, in quod ius nullum habebat. Amans tamen hominum parens MARIA a terræ viſceribus non niſi diuina vi, & connitentibus prodigijs Aſſumpta ad cælum, terras reliquit. *ELE-*

ELECTIORA

Ex Sacris Scripturis, Sanctis Patribus, Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Doctoribus Scholaſticis.

De beatiſſima morte ſanctiſſimæ vitæ clauſula.

SYNOPSIS.

1 Mirum quantum poſt Aſcenſionem Filij Eccleſiam iuuerit ſuperſtes Dei Mater, eius veluti adhuc Infantis Mater, Nutrix, & Magiſtra. 2. Non verbis tantum, ſed exemplis. 3. Hinc cepit eſſe hæreſum omnium interemptrix. 4. Non tamen adſtruenda eſt Præſes concilij Hieroſolymitani. 5. Nec Antiſtita Monialium. 6. An aliquid Angelos etiam docuerit. 7 Quam expreſſa imago Filij in vultu, & moribus eſſet. 8. De frequentatione Auguſtiſſimi Sacramenti. 9. De diuinis alloquijs. 10. Viſitatione locorum ſacrorum, 11 Peregrinatione in Aſiam, & multorum ad illam concurſu. 12. Epiſtoliſque per varias orbis partes, conſcriptis, & acceptis. 13. An verè B V. mortua fuerit? 14. Quo tempore, & loco? 15. An de morte præmonita fuerit, an Nuncius fuerit Gabriel, & vbi nam? 16. Quomodo ſe ad mortem peculiariter diſpoſuerit? 17. An interfuerint MARIAE morienti Apoſtoli omnes, & an prodigiosè? 18. An ad illam omnes Angeli conuolarint? 19. An animæ SS. Patrum? 20. An etiam Chriſtus Dominus corporaliter? 21. Quo genere mortis B. V. obierit, cruentone, an ſicco? 22. An vlla vi morbi? 23. An exceſſu amoris ſine vllo dolore cum ſumma lætitia? 24. Sola Dei voluntate B. V. obijt; non tamen eius mors indebita dicenda eſt. 25. Modus mortis admirabilis. 26. De pompa exequiarum. 27. De ſepulchro, patratiſque in funere, & poſt ſepulturam miraculis.

Mirum quantũ poſt Aſcenſionem Filij, Eccleſiam iuuerit ſuperſtes Dei Mater, eius veluti adhuc infantis Mater, Nutrix, & Magiſtra.

I.

Aſcendente in cælum Filio, quia ſimul erat Dilectus Sponſus ſanctiſſimę animę iun-

ęta veræ orbitati, ſpirituali viduitate, B. Virgo in terris remanſit Eccleſiæ infanti veluti Mater, Nutrix, & Magiſtra, toti chriſtiano orbi maximè ſalutaris. Ideò per aliquot annos eius incolatum protractum fuiſſe in hac valle lachrymabili miſeriarum aſſerit pius eiuſdem B. V. cultor, & laudator Amed. Lauſan. his verbis hom. 7. de Deip. *Iſta dilatio Matri nil minuit, & mundo contulit remedia ſalutis. Voluit enim Dominus Ieſus, vt ipſo ad Patrem reuertente Apoſtoli materno ſolatio, & eruditione fruerentur. Qui quidem licet edocti eſſent a ſpiritu, ab illa tamen poterant edoceri, quæ mundo iuſtitiæ Solem edidit, & fontem ſapientiæ ex prato virgineo intemerato nobis alueo produxit. Mira denique pietate primitiuæ Eccleſiæ prouiſum eſt, vt quæ Deum in carne hac præſentem iam minimè cerneret, Matrem eius viſu iucundiſſimo recreata videret. Quid enim tam iucundum, quid tam decorum, & delectabile, quam Matrem Plaſmatoris, & Redemptoris omnium videre?* Hoc titulo *Mater Chriſtianorum* dici poteſt, vt eam apellant Orig. hom. 1. in diuerſ. S. Auguſt. l. de S. Virgin. c. 6. Goffridus Vindocius ſ. 7. Rich. a ſ. Laurent. l. 2. p. 75. Guillelm. Paruus in c. 4. cantic. Rupertus Abb. l. 7. in cant. S. Bonau. in ſpec. lect. 8. & alij. Et *Mater viuentium* a S. Epiph. hær. 78. ac denique *Mater electorum* ab Ambroſ. Anſberto ſ. de Purific. & *Mater Matrum* in alterc. Eccl. & Synag. c. 11.. Eccleſiam deinde nouellam mirabiliter iuuatam fuiſſe magiſterio Mariano plures PP. luculentiſſimis teſtimonijs tradunt, præſertim S. Anſelm. l. 4. de virt. B. Mar. c. 3. & Rupertus Abb. l. 2. in Matth. ad illa verba

per

per aliam viam reuerſi ſunt &c. Primus concludit meritò propterea debere dici B. Virginem *Apoſtolorum Apoſtolam, & Euangeliſtarum Euangeliſtam, per quam principalis ipſis fidei Principibus illuxit doctrina.* Secundus vbi dixit ante Filij Aſcenſionem Deiparam fuiſſe Hortum concluſum, & Fontem ſignatum, quia tempus tacendi, ſic ſubdit. *Vbi verò gloria, & honore coronatus eſt Filius hominis reſurgendo, & in cælum aſcendendo, vbi ſedet ad dexteram Patris, ex tunc eidem B. Virgini fuit tempus loquendi, & hoc amicis ideſt Sanctis Apoſtolis, & talia loquendi, qualia prius portare non potuiſſent. Quod ſciens Filius hominis dixerat quodam loco. Adhuc habeo multa vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo. Vbi venit Spiritus veritatis primus quidem, & Princeps ipſe illos omnem veritatem docuit. Sed & ipſa B. Virgo teſtimonium ſuæ vocis adhibuit, & taliter loquuta eſt auribus fidelium, vt proinde rectè dicat dilectus eius Deus. Fauus diſtillans labia tua, mel & lac ſub lingua tua: emiſſiones tuæ Paradiſus malorum punitorum cum pomorum fructibus &c.* Idem confirmat l. 1. in cant., & fuſius lib. 5. vbi ab ipſo Deipara Virgo apellatur *Magiſtra Magiſtrorũ*. Similes ſunt glorioſiſſimi tituli, ac prorſus laureati, quibus hæc Virgo non ficti Dei filia, ſed veri Mater, *Chriſtianorum Minerua* dicitur ab Andr. Cret. or. 2. de Aſſ. *Summa diuinorum oraculorum, & declaratio occultorum, & profundorum diuinæ incomprehenſibilitatis reſonantia, ſiue Echo Prophetarum* a S. Germano or. de Nat. B. V. *Supplementum clariſſimum totius prophetiæ* a S. Odilone hym. de nat. B. V. *Sidus inclytum illuſtrans omne ſæculum* ab Andr. Hieroſoly-

roſolymitano or. in Sal. Ang. *Dioptra perſpectiua, per quam ſedentes in triſti vmbra peccatorum recipientes Solem iuſtitiæ mirabiliter illuſtrati ſunt*, in HymnoGrec. Buteonis p. 117. *Firmamentū dogmatum Chriſti*, & ibidē *Myſtis arcani conſilij* ac tandē pag. 119. *Os diſertiſſimum Apoſtolorū*. *Magiſtra quoque noſtræ Religionis* dicitur a S. Ignatio Martyre relato apud Mēdozzam in virid. l. 2. probl. 8. *Magiſtra gentium* a S. Auguſt. ſ. 6. de temp. *Magiſtra Apoſtolorum* a S. Birgitta in ſerm. Angel. c. 19. *Magiſtra virtutum* a B. Laur. Iuſtiniano ſ. de Nat. B. V. *Os Eccleſiæ* a Rich. a S. Laurent. l. 12. p. 828. ac tandem ab Auth. ſ. 1. in Salue Regina apud S. Bernardum *Scientia ſcientiarum ſanctarum*. Idē S. Bernardus ſ. 4. in miſſus eſt ait B. Virginem illuminaſſe Euangeliſtas iuxta ſui nominis etymologiam. Nam MARIA ILLVMINATRICEM apud S. Hieronimū ſonat. Et certè S. Ambroſ. l. 1. de inſtit. Virg. c. 7. dicit non eſſe mirū ſublimius præ alijs Ioannem dilectum diſcipulum eloquutum eſſe diuina myſteria, quia præſto illi erat *Aula ſecretorum cæleſtium* nimirum Deipara Sanctiſſima, quæ ferè ſemper eius Comes fuit. De nauata opera a B. Virgine egregiè in inſtruendis primis Chriſti diſcipulis, atque inde chriſtianæ fidei Magiſtris, multa habet, & magna Guillelmus Paruus in c. 5. cantic. ad illud. Aperi mihi &c. Nec priuatim tantum, ſed publicè, quantùm eius ſtatus ferebat, multa docuiſſe B. Virginem eſt ſententia Suarez apud Maſellum l. 6. vitæ Marianæ. Illa verba S. Lucæ *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis* de B. Virgine præcipuè interpretatur

doctiſſimus Maldonatus his verbis. *Placet mihi ſententia quorundam, qui B. in primis Virginem Chriſti Matrem intelligunt*. Eadem eſt ſententia Toleti, & Salmeronis ad eundem locum. Etian Euſebius, & Nyſſenus ad illud. *Maria autem conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo* dicunt eam magna myſteria præſertim Chriſti Domini infantiæ vſque ad Aſcenſionem in ſuo corde prudenter conſeruaſſe, ac deindè prudentiſſimè ſacris Euangeliorum Scriptoribus, & Apoſtolis orbis terrarum Doctorbus aperuiſſe. Fuiſſe in multis B. Virginem *Apoſtolorum magiſtram* habetur ex reuelationibus S. Birgittæ, & S. Antoninus affirmat 4. p. t. 15. omnium hominum ſapientiſſimum Salomonem ſuperaſſe, ac proinde omne humanum genus, teſtatur Abulenſis 3. Reg. 3. q. 7. Nec dubitari debet, cum dona intellectualia alijs, quæ animam ſanctificant, & voluntatem, reſponderent.

Non verbis tantum, ſed exemplis.

II.

Exemplis etiam, non verbis tantum B. Virginem fuiſſe ſuadelam ſanctitatis, & legiſlatricem morum certiſſimum eſt, & illa verba Amed. Lauſan. hom. 7. egregiè exprimunt. *Virgo Mater* inquit *omnium in ſe chariſmatum commercia deferebat. Prima namque viſione ſcintillans ſacri amoris ignibus proximorum pectora ſuauiter exurebat, animis fidem ſuggerebat, ſuadebat verecundiam, honeſtatem venuſtabat, inflectens ad pietatem. Spirabat florem virginitatis, ferebat nouale caſtitatis, depingens oculis habitum humilitatis, & præferens indicium*

veritatis. Splendor indeficiens in circuitu eius, & ignis exardeſcens à facie eius, procul dubio ille Æthna amoris diuini, qui in ipſo momento Conceptionis illibatæ ſuccenſus eſt, & in aduentu Sancti Spiritus a vento vehementi euentilatus luculentius exarſit. Has virtutes Deiparæ ſanctiſſimæ præclariſſimas fuiſſe, imò & Heroicas ſupra vidimus, & fusè probat SS. Patrum teſtimonijs nobiliſſimis Spinellus in Throno Dei c. 21. Habuiſſe deinde tantum ſplendoris, vt per eius luculentiſſima exempla orbis illuſtraretur, teſtantur paſſim Sancti Patres, S. Hieron. in prol. in Sophon. S. Bern. hom. 2. ſuper miſſus eſt, S. Ambroſ. l. 2. de Virgin. S. Ignatius in epiſt. ad S. Io. Euang. & alij paſſim. Hic vltimus auritus, & aliquando oculatus teſtis coæuus Apoſtolorum, & Deiparæ ſanctiſſimæ admirator, atque encomiaſtes hæc habet in laudem vitæ, quam ab Aſcenſione Filij vſque ad ſuam mortem traduxit, vbi prius cæleſte prodigium, & ſacratiſſimum ſpectaculum apellauit. *Et quidem notificauere eandem Matrem Dei, omnium gratiarum eſſe abundantem, & omnium virtutum more Virginis, virtutis, & gratiæ fæcundã, quæ vt dicunt in perſequutionibus, & afflictionibus eſt hilaris, in penurijs, & indigentijs non querula, iniuriantibus grata, & modeſta in ſe, læta miſeris, & afflictis condolet coafflicta, & ſubuenire non pigreſcit, contra vitiorum autem peſtiferos conflictus in pugna fidei diſceptans eniteſcit, noſtræ nouæ religionis, & pænitentiæ eſt magiſtra, & apud fideles omnium operum pietatis miniſtra. Humilibus autem eſt deuota, & deuotis deuotius humiliatur, & mirum ab omnibus magnificatur. Ipſa eſt* inquit S. Bernar.

loc. cit. *præclara, & eximia ſtella ſuper hoc mare magnum, & ſpatioſum ſubleuata, micans meritis, illuſtrans exemplis*. Vnde vere hoc titulo S. Ephrem vocat *mundi Luciferam*, & his verbis ſalutat. *Aue lumen lucidiſſimum, quo mundus illuſtratur*. O *Maria* cum mellifluo Doctore concludam, *tu virtutum tibi inditarum magnificis exemplis ad imitationem tui nos prouocas, ſicque noctem noſtram illuminas; qui enim vias tuas conſectatus fuerit, non ambulat in tenebris, ſed habet lucem vitæ*.

Hinc cæpit eſſe hæreſum omnium interemptrix.

III.

HInc B. Virginem in odio Hæreticorum fuiſſe affirmat Caniſ. l. 5. c. 1. ex Areopagita, Damaſceno, Metaphraſte, Beda, & alijs, tanquam eorum fulmen ſemper victoriosiſſimum, ac triumphale, vt meritò ad omnia tempora reſpiciens Sancta Eccleſia gratuletur hęreſeos profligatrici dicens. *Gaude Maria Virgo: cunctas hæreſes ſola interemiſti in vniuerſo mundo*. *Firmamentum Eccleſiæ* iure etiam dicitur à Raym. Iordane p. 14. c. 12. & clarius *Firmamentum dogmatum Chriſti* in hym. græc. ap. Buteon. p. 117. & adhuc luculentius *Firmamentum omnibus firmamentis firmius* ab Auctore ſuper Salue Reg. ſ. 3. ap. D. Bernard. Antiquum eſt hoc Mariæ Sanctiſſimæ elogiũ, quòd vniuerſarum in mundo hæreſum ſit interemptrix. Hanc Eccleſiaſticam antiphonam non ſolum Demochares de ſacrif. Miſſæ tom. 12. ſed illi, qui de rebus Verdunenſis Eccleſiæ ſcripſerunt, in Conc. Epheſ. editam fuiſſe aſſerunt, & à S. Polichronio Epiſcopo Verdunenſi

inde redeunte, tanquam elogium maximum imagini Deiparæ adſcriptam. Eius mentio habetur apud Sophronium ſerm. de Aſſumpt. S. Anſel. in c. 1. cant. S. Bern. ſ. de B. Virgine in ſig. mag. & ei ferè coæuum Rupert. Abb. l. 1. in cant. ad illa verba. Equitatui meo aſſimilaui te &c. Fusè de hoc diſſerunt Moral. 3. in Matth. tract. 7. & Caniſ. l. 5. Marial. c. 9.

Non tamen adſtruenda eſt Præſes concilij Hieroſolymitani.

IV.

Aliquis recentior, quem Amici nomine apellat Theophilus Raynaudus in Dipt. Mar. p. 1. puncto 10. B. Virginem aſſerit fuiſſe Præſidem concilij Hieroſolymitani, ſed perperam, vt idem Theophilus Raynaudus demonſtrat. Tribuitur hęc ſententia Ruperto l. 1. in cant. & Caniſ. l. 5. Marial. c. 1. à Benzonio l. 1. in cant. Deiparæ c. 13. Sed vterque, ſi bene expendantur verba, ab hac calumnia defenditur. Hoc tantum cenſuerunt, quod etiam Caſtro aſſerit cap. 19. hiſt. num. 7. B. Virginem in priuatis colloquijs mentem ſuam aperuiſſe, & vti exemplo, ita & auxilio multum iuuiſſe primitiuam Eccleſiam. In hoc ſenſu loquutus eſt inſignis hiſtoricus Flauius Dexter ann. 34. Cæterum S. Epiphan. habet hæc verba hær. 8. *Ne loqui quidem in Eccleſia mulieri, aut in viros authoritatem habere ſacræ litteræ permittunt.* Et infra loquens de B. Virgine diſertè ait. *Non eſſe collatam ei facultatem, vt in terris præeſſet.* Dicere autem eum illis, quos refert Perlinus lib. de Conc. diſt. 47. c. 1. in ijs verbis decreti Apoſtolici. *Viſum eſt*

Spiritui

Spiritui Sancto, & nobis nomine Spiritus Sancti intelligi B. Virginem mera temeritas eſt, & inſulſitas nullo modo toleranda. Has gerras, & inanias eruditè refutat Sanderus l. 6. de Claue Dauid in vnico §. 4.

Nec Antiſtita Monialium.

V.

INeptiunt etiam inſigniter, qui dicunt Deip. Sanctiſſimā fuiſſe Antiſtitā Monialiū. Hoc nimia facilitate admiſit Carth. l. 17. de ſac. arc. hom. 3. allegato Richelio, & alijs. Porrò Richelius c. 20. fortaſſe ex Dyoniſ. Carthuſ. in 1. ſent. d. 16. q. 2. qui eundem numerum ſignat, Sanctimoniales Monaſterij Mariani numerat centum, & quinquaginta. Verum neſcio vbi nam inuenerint huius imaginarij Monaſterij tabularium, in quo eſſet ſacrarum Virginum deſcriptus numerus. Altiſſimum eſt de hoc B. Virginis monachatu apud omnes Sanctos Patres, & Scriptores Eccleſiaſticos ſilentium. Io. Damaſc. And. Cretenſis, alijque Patres, Metaphraſtes, Nicephorus, & alij hiſtorici, qui tam exactè de vltima Dei Matris vita ſcripſerunt, ne leuiter quidem hoc attingunt. Imò Metaphraſ. & Niceph. aſſerunt B. Virginem ſuas veſtes duabus Virginibus in obitu ſuo donaſſe, quas vti perpetuas comites ſuarum recularum, hęredes inſtituit, nulla Monialium facta mentione. Dicendum ergo eſſet, vt notat doctiſſimus Theoph. Raynaud. loc. ſupra alleg., qui eruditiſſimè hanc ineptiam damnat, & profligat, B. Virginem extra ſuum Monaſterium obijſſe, ac teſtamentum condidiſſe contra monaſticos canones. In cuſtodia

Ioannis

Ioannis, adoptione diuina filij, fuiſſe Dei Matrem, & cum ipſo habitaſſe ab Aſcenſione Chriſti Domini vſque ad ſuam mortem, ferè omnes Sancti Patres, & Scriptores Eccleſiaſtici teſtantur. Non nego tamen eo tempore infantis Eccleſiæ non fuiſſe, qui vitam religioſam exercerent. Apoſtoli ipſi, vt docet S. Thomas 2. 2. q. 88. a. 4. ad 3. intelliguntur vouiſſe pertinentia ad perfectionis ſtatum, quando Chriſtum Dominum relictis omnibus ſunt ſequuti. Idem prius docuerat S. Auguſtinus l. 17. de ciuit. Dei c. 4. & confirmat Aluarus Pelagius l. 2. de planctu Eccleſię c. 56. ea præſertim ratione, quia votum eſt conſiliũ conſiliorũ, & id perfectius reddit, ſupra quod cadit, vt probat idem Angelicus Doctor loco ſupra prænot. q. 6. Imò ante Apoſtolos ipſa Dei Mater perfectiſſimæ caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ exempla religioſa edidit, vt fusè probat SS. Patrum nobiliſſimis teſtimonijs Spinellus in Throno Dei c. 37. Inſtar omnium ſit S. Th. qui 3. p. q. 28. a. 4. Obijcit ſibi circa conſilia Euangelica a B. Virgine ſeruata, debuiſſe hunc ſtatũ perfectionis a Chriſto Domino inchoari, & ſic reſpondet. *Sicut gratiæ plenitudo perfectè quidem fuit in Chriſto, & tamen aliqua eius inchoatio præceſſit in Matre, ita etiam obſeruantia conſiliorum, quæ per gratiam Dei fit, perfectè quidem incepit in Chriſto, ſed aliquo modo fuit inchoata in Virgine Matre eius.* Eadem habet circa religioſam vitam ab Apoſtolorum tempore inchoatam Caſſianus collat. 18. c. 5. Monaſticę vitæ mentio tempore Apoſtolorum fit apud S. Dyoniſiũ Areopagitam c. 10. de Eccleſiaſtica Hierarch. &

Philonem

Philonē Heb. vbi loquitur de Alexandrina Eccleſia ſub S. Marco. De his fusè agit Card. Bellarminus contro. 22. l. 2. c. 5. cum alijs Doctoribus ſcholaſticis.

An aliquid Angelos etiam docuerit?

VI.

ANgelos ab Apoſtolis multa didiciſſe docent S Hieron., S. Thomas, S. Athanaſ., S. Anſelmus, S. Io. Chryſoſt. Theophilactus, Theodoretus, Echumenius, & alij, quos refert, & ſequitur Henriquez l. 8. de Euchar. c. 27. Ita exponunt communiter illum locum Apoſtoli ad Epheſ. 3. Secundum reuelationem notum mihi factum eſt Sacramentum, vt innoteſcat Principibus, & Poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam. Hinc inferri debet quid dicendum ſit de B. Virgine, quæ Apoſtolorum Doctrix fuit, & orbis vniuerſi Magiſtrorum Magiſtra.

Quam expreſſa imago Filij in moribus, & vultu Mater eſſet.

VII.

IN Matris moribus, & vultu poſt Aſcenſionem ad cælos ſuperſtitem imaginem Filij reſplenduiſſe dubitari non poteſt, cum Dei Mater Filio ſuo, & lineamentis corporis, & excellentia animi, quantum fas erat, ſimillima eſſet. Hinc Fulbertus in eo ſermone, qui perperam S. Auguſtino adſcribitur, & eſt 35. de Sanctis, cum alleget Iſidorum lib. de vita, & obitu Sanctorum, Auguſtino poſteriorem, apellat B. Virginem formam Dei his verbis. *Quid dicam pauper ingenio, cum*

de te quidquid dixero, minor laus eſt, quam dignitas tua meretur? Si cælum te vocem: altior es; Si Matrem Gentium dicam: præcedis. Si formam Dei apellem: digna exiſtis &c. Hoc triplici titulo B. Virginem poſſe dici formam Dei cenſeo, primò quia Mater Filium imitabatur ſimilitudine corporis, & morum: ſecundò quia Deus forma non formata, vt vocat S. Auguſt. l. 15. de Trinit. & forma infabricata, a qua formata ſunt vniuerſa, vt vocat eius diſcipulus S. Fulgentius lib. de Trinit. cum ſuis ineffabilibus attributis maximè in illa elucet: tertiò, quia forma Dei, quæ eſt in omnibus iuſtis, eminentiori modo propter eius excelſiſſimam ſanctitatem pulcherrima ſpectatur in MARIA Deipara. In hoc ſenſu S. Dyoniſ. Areopag. in epiſt. ad Paulum conſcripta B. Virginem vocat *Deiformē* gratulans ſibi, quod a B. Ioanne deductus fuiſſet ad *Deiformem præſentiam altiſſimæ Virginis*, & Andr. Cret. or. 2. de Aſſ. *rectè deſcriptam diuini Archetypi imaginem*, ac tandem Io. Geometra hymno 3. hoc ſuauiſſimo diſtyco Deiparam ſanctiſſimā alloquitur.

Gaude Virgo decus naturæ, pulchraque imago,
quæ ſummi genium continet Artificis.

Habitum corporis, & animi ſic Nicephorus deſcribit l. 2. c. 23. *Erat in rebus omnibus honeſta, & grauis, pauca admodum, & neceſſaria loquens, ad audiendum facilis, & per quam affabilis, honorem ſuum, & venerationem omnibus exhibens. Decenti dicendi libertate aduerſus omnes homines vſa eſt. Sine riſu, ſine perturbatione, & ſine iracundia maximè. Erat denique faſtus omnis expers, ſimplex, minimèque vultum fingens, nihil mollitiei ſecum trahens, ſed humilitatem*

militatem precellentem colens. Veſtimentis, quæ ipſa geſtauit coloris natiui contenta fuit, id quod etiam nunc ſanctum capitis eius velamen oſtendit, & vt paucis dicam in rebus omnibus multa diuinitus inerat gratia. Iam non ergo immeritò Deiparam ſanctam Io. Geometra hym. 3. apellat *exemplar viuidum virtutum omnium,* & in eodem ſenſu Adam de S. Victore in proſa de Aſſ. *Vas electum, vas honoris, vas cæleſtis gratia, ab æterno vas præuiſum, vas inſigne, vas excisum manu ſapientiæ.*

De frequentatione Auguſtiſſimi Sacramenti.
VIII.

QVid in particulari egerit B. Virgo ab aduentu Spiritus Sancti vſque ad ſanctiſſimum obitum nemini mortalium compertum eſſe aſſerit S. Hildeph. ſ. 5. de Aſſ. Plura tamen maximè conuenientia excellentiæ ſanctitatis Marianę dicuntur a Sanctis Patribus, & Scriptoribus Eccleſiaſticis. Euchariſticū Sacramentum ſępius frequentaſſe inſinuat S. Lucas Act. 2. Nam pro fractione panis, celebrationem diuini conuiuij meliores ſacrarum litterarum Interpretes agnoſcunt, ſiue illi panem Angelorum miniſtraret Petrus, Sacerdotio Pater, ſiuè Ioannes adoptione Filius, ſiue electi ſeptē Diaconi. Ab his B. Virginem ſacram Sinaxim frequentius recepiſſe putat Io. Gerſon apud Laurentium Maſellum l. 6. vitæ Marianæ.

Diuinis alloquijs.
IX.

EAndem Dei Matrem præter alios Superos, diuinis Filij alloquijs fuiſſe ſępius recrea-

tam teſtantur grauiſſimi Doctores, Andreas Cretenſis, Rupertus Abb. & B. Laurentius Iuſtinianus apud eundē Maſellum loc. alleg. & omnium rationum momenta id efficaciſſimè ſuadent. Quis enim aliter de tali Filio, ac tanta Matre philoſophari poteſt? Ad illa verba. *Pulchra es amica mea &c.* ſic egregiè ſubdit Guillelmus Paruus in c. 6. cant. *Vox dilecti eſt alloquentis dilectam. Vox inquam pij Ieſu blandè alloquentis, leniterque mulcentis piam Matrem ſuam. Quippe nec aſſumptus in cælum, ſedensque ad dexteram Patris dulciſſimus eam Filius deſerebat, ſed ei iugiter a dextris, & a ſiniſtris aſſiſtens, diuino quodam, ſecretoque ſuſurro intus cum materna conſcientia diſſerebat, & quidem ipſa circa nouam eius plebem pia ſollicitudine ſatagens, nunc cum ſodalibus eius, ideſt Sanctis Apoſtolis, nunc verò cum Filiabus Hieruſalem, ideſt nouitijs fidei, ſacra, & ædificatoria foris miſcebat eloquia. Interea illi intus a Filio dicebatur verbum abſconditum, & quaſi furtiuè ſuſcipiebat aure interiori venas ſuſurri eius, & gaudebat propter vocem Sponſi &c.*

Viſitatione locorum ſacrorum.

X.

ILla ipſa ratio mutui incenſiſſimi amoris ſuadet illam ſæpius ſacra loca, Filij præſertim patientis myſterijs veneranda, inuiſiſſe. Affirmat id Sophronius ſ. de Aſſ. & Dyoniſ. Carthuſ. l. 3. de laud. Deip. art. 7. eius admirandos effectus, & cæleſtium amorum exceſſus ineffabiles in his pijs fidei noſtræ monumentis deſcribit. Imò ex allegato Sophronio in Sepulchro ſancto Chriſti Domini habitantem

Deiparam

Deiparam idem Dyoniſ. Carthuſ. contemplatur. Eius etiam peregrinatiunculas ad Bethlemidem ſpeluncam natiuitate Puppuli Dei venerabilem, ad Iordanem baptiſmo diuino conſecratum, Nazarenam vrbem Infantis Empyrei primulis annis, & adoleſcentia tota corporati Verbi nobilem commemorat S. Hieron. epiſt. ad Marcellam relatus a Caniſio l. 5. Marial. c. 1. Sæpius quoque Vallem Ioſaphat habitaſſe affirmat Guarricus Abb. ſ. 2. de Aſſ. Oſcula ſacris locis impreſſa, ſparſas lachrymas, aliaque pia obſequia exhibita teſtatur S. Birgitta l. 6. reuel. c. 61. Horum etiam mentionem facit S. Hildeph. ſ. 1. de Aſſ.

Peregrinatione in Aſiam, & multorum ad illam concurſu.

XI.

DE varijs per hæc tempora Deiparæ ſanctiſſimæ peregrinationibus latè diſſerit Pozza l. 1. tract 16., & 17. Epheſina cum Ioanne non videtur debere reijci, quidquid ſit de alijs. Licet enim verum ſit, quod ait S. Epiph. hær. 78. eam non fuiſſe litteris conſignatam a ſacris Scriptoribus, concilium tamen Ephrinum tom. 2. edit. Peltani c. 26. in epiſtola ſynodica ad Clerum Conſtantinopolitanum eandem teſtatur, & approbat. Hanc accidiſſe anno ſalutis noſtrę 41. aſſerit ex communi Hiſtoricorum Eccleſiaſticorum ſententia Gabriel Bucelinus in ſuo nucleo vniuerſalis hiſtoriæ. Maior controuerſia eſt, quomodo S. Iacobo an. ſal. noſtræ 37. iuxta eundem nucleum Hiſpanias illuſtranti fidei luce, & auroram euangelicam illi extremo occidenti afferenti

renti ſe ſe videndam obiecerit. Hanc piam traditionem conuellere non audeo, cum de ea Sancius tract. 2. de aduentu S. Iacobi in Hiſpaniam, Caſtro in hiſt. Deiparæ c. 18. & alij paſſim, tum rerum Hiſpanicarum, tum vitæ Marianæ Scriptores honorificè ſcribant, & pro rata habeant. At hæc ſine vlla B. Virginis peregrinatione defendi poſſunt, vel per obiectiuam repræſentationem, vti de Chriſto Domino in perſonalibus apparitionibus iuſto opere diſcuſſit Tyreus, vel per veram, & perſonalem, ſolo præſentiæ geminatæ miraculo, vti Suarez l. 6. de Angelis c. 21. cum præſertim prodigioſum hoc priuilegium alijs Sanctis, nimirum S. Ambroſio, S. Antonio Patauino, S. Franciſco Xauerio in eorum vita concedatur.

Ipſa B. Virgo in Aſiam, vt diximus cum Ioanne peregrinata eſt. Sed multi ad eam videndam tanquam animatum miraculum nimirum *Miraculum*, vt loquitur S. Ephrem in laud. B. V. *præſtantiſſimum vniuerſi terrarum orbis, & miraculum magnum mundi*, vt S. Io. Chryſ. or. de Hypap. peregrinati ſunt. Si enim tantus fuit fideliũ feruor omnibus chriſtianis ſeculis peregrinandi ad loca myſterijs ſacris vitæ, mortiſque Seruatoris noſtri conſignata, & veneranda, quid de Matre dicendum eſt, quæ erat iuxta Arnoldum bonæ vallis in Encom. Deip. *Tabernaculum habens in Se Sanctum Sanctorum, Virgam Signorum, tabulas teſtamenti, altare incenſi, ac templum* iuxta Sergium Hieropolitanum or. de Nat. B. V. *ſanctum receptaculum diuinitatis, organum virginale, regius thalamus*? Omnia hæc luculen-

tō Dyoniſij Areopagitæ teſtimonio confir-
mantur.

Epiſtoliſque per varias terrarum orbis partes conſcriptis, & acceptis.

XII.

DE Epiſtolis a B. Virgine ſcriptis, quibus vti pręſentes alloquijs, ita abſentes iuuaret in ſalutis præſertim altiſſimo negotio, ac diuiniſſimo, in vniuerſum dici poteſt non fuiſſe alienum a Deipara Virgine, nec illi indecorum, quod aliquas epiſtolas ſcriberet, præſertim ex fine ſanctiſſimo, gloriam Dei, & ſalutem animarum amplificandi. An illæ, quæ circumferuntur tanquam epiſtolæ Marianæ ſint genuinæ, non eſt meum definire. Pro epiſtola ad Meſſanenſes pugnant iuſto opere Melchior Inchoffer, & Paulus Belli. Eiuſdem epiſtolæ Marianæ ad Meſſanenſes, poſt eorundem a Paulo Apoſtolo ad fidem conuerſorum legationem ad MARIAM Deiparam, mentionem facit Mutius Iuſtinopolitanus in ſua ſacra hiſt. *l.* 1. c. 13. Imò ab allegato iam Paulo Belli, alij ſupra centum boni nominis Scriptores referuntur. Eam e Græco in latinum vertit Conſtantinus Laſcaris. Titulus eſt *Maria Virgo Ioachim Filia, Dei humillima Chriſti Ieſu Mater, ex Tribu Iuda, ſtirpe Dauid Meſſanenſibus omnibus ſalutem, & Dei Patris benedictionem.* Epiſtolæ autem tenor hic eſt iuxta traductionem Conſtantini Laſcaris, qui vixit ſeculo 14. *Vos omnes fide magna legatos, ac nuncios per publicum documentum ad nos miſiſſe conſtat. Filium noſtrum Dei genitum Deum, & hominem eſſe fatemini, & in cælum poſt ſuam re-*

 ſurrectio-

ſurrectionem aſcendiſſe, Pauli electi prædicatione mediante viã veritatis agnoſcentes. Ob quod nos, & ipſam ciuitatem benedicimus, cuius perpetuã protectricem nos eſſe volumus. An. Filij noſtri 42. indict. 1. 3. nonas Iunij, Luna 22. feria 5. Ex Hieroſolymis Maria Virgo, quæ ſupra confirmat præſens chirographum manu propria. Hanc epiſtolam ex Meſſanæ vrbis archiuijs deſumptam, publiciſque firmatam tabulis refert Mutius Iuſtinopolitanus. Eandem exhibent Chriſoph. a Caſtro in hiſt. Deip., & vernacula noſtra lingua Laurent. Maſellus l. 6 vit. Mar. c. 18. Aliam ſe quoque epiſtolam accepiſſe a B. Virgine Florentini gloriantur, quam referunt Caniſius l. 5. de Deip. c. 1. & Caſtro in hiſt. Deip. c. 23. Eius mentionem facit Sauonarola in concione 25. diei Octobris.

Epiſtolas S. Ignatij Martyris Epiſc. Antioch. ad B. Virginem agnouit S. Bernardus ſ. 7. in pſ. 90. atque inde MARIÆ Deiparæ reſponſionem. Eaſdem defendit Melchior Inchoffer in libro, in quo epiſtolam ad Meſſanenſes. Imò Carthuſianus, Marianus, Victorinus, Trithemius apud Maſellum loco iam prænotato eas tutantur, & Cardinalis Baronius an. Chriſti 48. , licet illas non admittat, refert tamen ex S. Hieron. authoritate. Epiſtola B. Virginis apud Maſellum, & alios hæc eſt. *Ignatio Ioannis diſcipulo humilis ancilla Chriſti Ieſu. De Ieſu, quæ a Ioanne didiciſti vera ſunt. Illa credas, & illis inhæreas, & chriſtianitatis votum firmiter teneas, & mores, & vitam voto conformes. Veniam autem vna cum Ioanne, te, & qui tecum ſunt viſura. Ita & in fide viriliter age, nec te commoueat perſequutionis auſteritas. Sed valeat*

leat, vt exultet Spiritus tuus in Deo ſalutari tuo. S. Bernardi verba loc. cit. hæc ſunt. *Magnus ille Ignatius diſcipuli, quem diligebat Ieſus auditor, Martyr noſter, cuius pretioſis reliquijs, noſtra ditata eſt paupertas, Mariã in pluribus, quas ad eam ſcripſit epiſtolis CHRISTIFERAM conſalutat.* Certum tamen eſt nõ cõſtare Eccleſiæ has epiſtolas fuiſſe a B. Virgine ſcriptas; nam ſi cõſtaret haberentur canonicæ. Iure ergo apellaui B. Virginem naſcentis, & infantis Eccleſię Matrem, nec me pænitet huius tituli, magnæ Deiparæ adſcripti. Inuenio ſiquidem apellari a Gregor. Neocæſar. orat. 3. de Ann. *Sponſam immaculatam ſimul, & Matrem viduati orbis* græcè *Nymphothoron* ideſt *Sponſam-matrem*. Senſus eſt vt notat Theophilus Raynaudus in gloſſario ad ſuum Nomenclatorem Marianum eſſe Eccleſiam potiſſimum ex gentilitate, quæ viduatus orbis eſt, conflatam, cuius Mater eſt Virgo, Dei Mater. Hinc comparat S. Auguſtinus de S. Virgin. c. 2. ac 6. ſerm. 10. de temp. & l. 3. de ſymb. ad Catechum. fæcunditatem virgineam Eccleſiæ cum Virgine Matre. Certè B. Virgo Eccleſiam naſcentem, teneramque ſuis verbis, exemplis, peregrinationibus, epiſtolis mirabiliter fouit, nutrijt, amplificauit.

An verè B. Virgo mortua fuerit.

XIII.

HActenus de magnæ Deiparæ vita. De eius morte licet aliqui dubitauerint, dubitari nullo rationabili fundamento poteſt. Eam mortuam eſſe præter Eccleſiæ traditionem, quæ in toto terrarum orbe eius feliciſſimum obitum celebrat, id luculentiſſimè te-

ſtantur D. Dyoniſ. Areopag. l. de diu. nomin. c. 3. S. Auguſt. ſ. 3. de Aſſ. his verbis. *Memores conditionis humanæ mortem illam temporalem obijſſe Matrē Dei dicere non metuimus* Andr. Cretenſis or. 1. de dorm. Deip. Iuuenalis Epiſcopus Hieroſol. in hiſt. Euthymij, Angelicus Doctor ſuper epiſt. 1. ad Cor. c. 1. Niceph. l. 2. c. 21. Sophronius ſ. de Aſſ. virg Euodius Epiſc. Antiochenus apud Niceph. S. Io. Damaſc. in or. de dorm. Deip. & alij innumeri. Alijs omiſſis vnum Io. Damaſc. eiuſdem B. Virginis, a qua ei reſtituta fuit abſciſſa manus, non Amanuenſem tantum, ſed magnum, vt ita dicam Cancellarium affero. Sic ille ait or. de dormit. Deip. *Hodie vitæ theſaurus, gratiæ abyſſus neſcio quomodo dicam audacibus, & non trementibus labijs vitali morte tegitur, & ad eam ſine metu accedit, quæ eum peperit, qui ipſam fregit, ac diſſoluit! Si mortem tamen vocare oportet eius ſacratiſſimum, & vitalem e vita exceſſum.* Scio Timotheum Præsbiterum or. de ſac. occurſu negare Deiparam Virginem mortuam fuiſſe, & S. Epiph. hær. 73. dubitaſſe; ſed contrarium omnino certum eſt. Huius veritatis præcipuū fundamentum, vt notat, Suarez t. 2. in 3. p. d. 21. ſ. 1. eſt generalis regula Filiorum Adam, qui morti obnoxij ſunt. Ab hac neque authoritas, neque ratio ſuadet excipiendā eſſe B. Virginem. MARIÆ mortem, pænam peccati dici non debere ſaltem ratione ipſius, Angelus de Pas oſtendit fusè in expoſ. ſymb. l. 5. c. 22. Cur de morte B. Virg. ſacri Euangeliſtæ nihil dixerint, vt de alijs eius admirandis in tota vita virtutum prodigijs Auctor pomerij ſerm. de B. Virg. & Michael Glycas egregiè, & ſcitè philoſo-

philoſophantur. Rationes,ob quas decuit Dei Matrem mori afferunt Io. Carthag. t. 3. l. 13. hom. 1. & Io. Bapt. Nouatus t. 2. c. 8. 9. 1. Præter alias rationes infringenda erat hoc argumento impiorum hæreticorum inſania, quorum aliqui, vt Antidicomarianitæ, quos refutat S. Epiph. hær. 79. aſſerebant non humanæ conditionis fuiſſe B. Virginem, ſed naturæ diuinę, quod etiam Collirydiani ſomniarunt, alij vt Manichæi, quos paſſim refellit S. Auguſtinus Chriſtum Dominum corpus induiſſe phantaſticum, alij vt Valentiniani, quorum meminit S. Th. 3. ſent. d. 4. eundem Seruatorem noſtrum ex cæleſti materia, non ex noſtrate eſſe compactum. Ad hæc monſtra errorum trucidanda mors MARIÆ potentiſſima fuit.

Quo tempore, & loco:

XIV.

DE die, qua obijt B. Virgo non eſt magna controuerſia, cum hanc fortunatiſſimã diẽ fuiſſe 15. Auguſti Eccleſia Catholica ex SS. Patribus, & Scriptoribus Eccleſiaſticis ſentiat, vt videmus notatum in Martyrologio non Romano tantum, ſed Bedæ, Vſuardi, Adonis, & apud Nicephorum, Metaphraſtem, Surium, & alios. Maior controuerſia eſt, qua ætatis ſuæ, & noſtræ ſalutis anno B. Virgo obierit. Aliqui Marianæ vitæ quadraginta nouem annos attribuunt, atque ita reuelatum fuiſſe B. Eliſabethæ, & B. Bertramo refert Caniſ. l. 5. de Mariæ in cælos migrat. c. 1. huiuſque reuelationis meminit Card. Baronius ad an. 48. Sed hæc ſententia improbabiliſſima eſt, cum nullum fundamentum habeat, præter reuelatio-

nem incertam. Euodius apud Nicephorum l. 2. hiſt. c. 3. quinquaginta nouem adſcribit, vti etiam Hyppolitus Thebanus ab Epiphanio Præsbitero citatus: ſexaginta D. Antoninus 1. p. hiſt. l. 6. c. 3. ſexaginta tres Card. Baronius ad an. Ch. 48. cum alijs multis, vt notat Hieronymus Bardius in ſua chronologia an. Ch. 47. ſeptuaginta duos Epiphanius Præsbiter, Cedrenus in comp. hiſt., Caniſius loc. cit., Benzonius ſuper magnif. l. 1. c. 26. & innumeri alij. Fauet huic ſententiæ S. Anſelmus in fragmēto, quod ſubnectit ad l. 21. de imagine mundi, eſſeque veriſimiliorē aſſerit Suarez t. 2. in 3. p. d. 21. ſect. 1. Eruitur ex teſtimonio S. Dionyſij Areopagitæ, qui profitetur c. 3. de diuinis nominibus ſe interfuiſſe eius morti, nec ante annum IESV Chriſti 52. & B. Virginis 67. ad fidem conuerſus eſt, cum prius Athenas Paulus nunquam adijſſet. Perperam autem verba S. Dionyſij Hilduinus de ſepulchro Chriſti Domini, & Mattheus Galenus de ædibus S. Ioannis interpretatur. Melchior Inchoffer in coniectatione epiſtolæ ad Meſſanenſes magnæ Deiparæ vitam vſque ad annum ſeptuageſimum quintum protrahit. Sed neſcio vnde hoc hauſerit, præter aliquas coniecturas, quæ apud ipſum videri poſſunt. Sententiæ probabiliori adſcribenti vitæ B. Virginis annos 72. fauere viſus eſt Paulus V. Pontifex Maximus, dum conceſſit loco, vbi mortua eſt B. Virgo, teſte Quareſmo Indulgentiam plenariam Fratribus Seraphici ordinis S. Franciſci recitantibus 72. Salutationes Angelicas in corona precariorum globulorum, numero precum, annorum, quibus ipſa vixit numero

reſpon-

reſpondente plenariam indulgentiam.

In quo loco obierit Dei Mater audiamus ab Andrea Patriarcha Hieroſolymit. de dorm. Deip. qui ſic ait. *Toto tempore incolatus in Sion, verſata eſt Virgo, & illhic natura ſeruiens legibus, vita finem accepit.* Fuit ergo domus illa Sion fortunatiſſima, in qua cænaculum tot myſterijs venerandum colebatur, in Eccleſiam deinde ſanctam Sion conuerſa, Matrem vt ſupra diximus omnium Eccleſiarum. Huic ſanctiſſimæ Marianæ domui proximum erat ſacellum, & fortaſſe tempore, quo Deipara vixit, intra illius ſepta, in quo coram Dei Matre ſanctiſſima Io. Euangeliſta ſæpius ſacris operabatur, diuinumque panem miniſtrabat. De hoc ſacello, vti de domo Sion accuratè ſcribunt Bonifacius de perenni cultu terræ ſanctæ, Adricomius in deſcriptione Montis Sion, Marinus Sannutus l. 3. p. 14. c. 8. Franc. Quareſmus in eluc. terræ ſanctæ l. 4. c. 16. per. 4. referens Seraphicum Bonauenturam, & Albertum Magnum, alijq; multi. Hanc domum ſacroſanctam multis fuiſſe illuſtrem miraculis teſtatur Niceph. l. 2. ſuæ hiſt. ſed nullum illi maius pretium fuit, quam MARIAM ſinu ſuo capere potuiſſe, quæ excepit in ſuo, immenſum illum Deum, quem totus non capit orbis. Vnde hæc domus ſanctiſſima iure cælo excelſior, dici poteſt, & mundo maior.

An de morte præmonita fuerit, an nuncius fuerit Archangelus Gabriel, & vbinam?

XV.

ACcepiſſe ex Angelica legatione nuncium mortis ſuæ, vitæ Matrem expreſsè tra-

dunt Metaph. or. de morte B. V. Niceph. l. 2. c. 21. Pelbartus in Stell. l. 10. p. 5. a. 3. c. 2. S. Vincentius Ferrerius ſ. 1. de Aſſ. Deip. videturque eſſe communis ſententia, cum præſertim hoc priuilegium paſſim alijs quoque Sanctis conceſſum fuerit. Hunc diuinum Legatum fuiſſe Gabrielem piè cenſet Laurentius Maſellus in vita B. V. l. 6. c. 19. Hanc, & fuiſſe Io. Damaſc. ſententiam teſtatur Franc. Quareſmus t. 2. l. 4. c. 12. per. 9. illi ſuum ſuffragium etiam ferens. *Statim apparuit* inquit S. Vincentius *Angelus Gabriel ſalutans eam, & portans ramum palmæ.* Et *infra ſubdit. Ramus ille ſignificabat Victoriam, quam Virgo habuit de mundo, per humilitatem, de Diabolo per paupertatem, de carne per puriſſimam virginitatem.* Hoc luculentiſſimis teſtimonijs confirmant Melito Epiſcopus Sardenſis, & Coſmas cognomento veſtitor, cuius meminit Auctor pomerij l. 12. ſuæ hiſt. p. 5. c. 2. Locus vbi reuelata fuit B. Virgini mors, & palma ab Angelo exhibita, teſte Quareſmo fuit propè impreſſa in vertice montis Oliuarũ, veſtigia ab Aſcendente triumphatore Filio, cum tunc in contemplatione cæleſtis gloriæ optaret diſſolui Mater, & eſſe cum ipſo, confirmaturque hæc traditio teſtimonio Bonifacij l. 2. de perenni cultu terræ ſanctæ. Addit illum palmæ ramũ, ſiue vincendæ mortis, ſiue æternæ felicitatis ſymbolum triumphale, in funere Deiparæ ſanctiſſimæ a dilecto Ioanne fuiſſe ante feretrum prælatum. De claritate huius palmæ ſic perhonorificè loquitur Coſmas veſtitor loco cit. *Folia ipſius, vt Stella matutina fulgebant, & ego me fateor vidiſſe apud*

quendam

quendam comitem Regium particulam quandam, quæ dicebatur eſſe de illa palma, & pro certo erat fulgidiſſima ad modum micantis Stellæ, quaſi coloris argentei fulgidiſſimi, cuius intuitus deuotionem ingerebat contuentibus. Hęc quæ ex aliorum ſenſu retuli, neque vlla ratio efficax tanquam certa demonſtrat, neque tanquam improbabilia, vnde pietas non reijci debere ſuadet.

Quomodo ſe ad mortem peculiariter diſpoſuerit.
XVI.

IPſamet B. Virgo S. Birgittæ reuelauit hoc, vt habetur l. 6. reu. c. 62. *Ego* inquit *paraui me ad exitum circumiens omnia loca more meo, in quibus Filius meus paſſus fuerat, quia ex illorum locorum aſpectu efficacior recordatio eorum, quæ pertulit Chriſtus, excitabatur.* Hunc eius fuiſſe morem iam ſupra vidimus, & Guarricus Abb. his verbis teſtatur ſ. 2. de Aſſ. *Ob hoc ipſum ſiquidem creditur in valle Ioſaphat commorata, vbi, & ſepulchrum eius monſtratur vt ait B. Hieronymus in Eccleſia miro lapideo fabricata tabulatu, ne ſcilicet a ſanctis locis longius recederet, ſed ſæpius ea inuiſens, licet omnia memoria teneret, formam tamen geſtorum velut corporaliter in ipſis effigiatam locis dulcius amplecteretur, vt vel ſic ſuum aliquatenus amorem ſolaretur.* Addidiſſe ſumptionem Auguſtiſſimi Sacramenti dubitari non poteſt, vt notat Pelbartus l. 10. p. 1. cum præſertim B. Virgo panem hunc quotidianum ſuperſubſtantialem, iuxta primorum fidelium ritum quotidie ſumeret, vt probat fuſè Io. Bapt. Nouatus t. 2. c. 6. q. 17.

An interfuerint MARIÆ morienti Apoſtoli omnes, & an prodigioſè?

XVII.

APoſtolos Hieroſolymam conueniſſe, ac fuiſſe teſtes ſanctiſſimæ mortis Dei Genitricis communis Scriptorum Eccleſiaſticorum, & Patrum ſententia eſt. Franciſcus Turrianus l. 2. aduerſus Magdeburgenſes pro defenſione canonum Apoſtolicorum contendit id ſine miraculo accidiſſe, quod placet Caniſio l. 5. Marialis c. 3. inſiſtenti antiquorum, & grauiſſimorum Patrum veſtigijs. Sed multi affirmant Senatum Apoſtolicum prodigiosè raptum fuiſſe per aera e longinquis terræ partibus, & ibi eodem temporis momento Hieroſolymis coactum fuiſſe. Præter Metaphr. de vita, & obitu B. Virginis tradit hoc Io. Damaſc. in or. de dormitu ipſius B. Virginis, vbi affert hiſtoriam Euthymij, quæ citat Iuuenalis Hieroſolymit. Epiſc. confeſſionem coram Martiano Cæſare factam. Similia habent Michael Syngellus Præsb. Hieroſ. in vita S. Dyoniſ. Gregorius Turonenſis l. 1. de gloria Martyrum c. 4. Melito in Bibliotheca PP. ſ. de Aſſ. Andr. Cret. de morte Deip. Niceph. l. 2. c. 21. 22. & 23. Epiphanius Præsb. Conſtantinop. de vita Deip., S. Io. Damaſc. or. 2. de dorm. Deip., S. Vincentius Ferrerius ſerm. 2. de Aſſumpt. & alij. Sed nihil luculentius, quam teſtimonium Dyoniſij Areopagitæ Pauli Diſcipuli, & Galliarum Apoſtoli a Polycarpo, Methodio, Athanaſio, alijſque antiquiſſimis Doctoribus probati l. de diu. nom. c. 3. vbi ſic ait. *Cum & nos, vt noſtis, & plerique alij ex Sanctis*

ſtis Fratribus noſtris ad contuendũ corpus illud, quod Authorem vitæ, Deumque receperat, conueniſſemus (aderat autem Frater Domini Iacobus, & Petrus ſupremum decus, & antiquiſſimum theologorum culmen) vbi poſt contuitum placuit, vt infinitè potentem diuinæ virtutis bonitatem Pontifices laudarent, omnes quiſque pro captu ſuo, Ille demque, vt noſti (loquitur de Hierotheo, vt Auctor Scholiorum ſuper Dyoniſij opera, Io. Damaſc. & alij interpretantur) *poſt Apoſtolos alijs Doctoribus ſuperior erat &c.* Hunc locũ de B. Virgine non de ſepulchro Chriſti Domini intelligi debere præter Cardin. Baroniũ an. Ch. 48. affirmant Benzonius in pſ. 86 c 40. tradit. 31. Perlinus de concept. diſt. 7. c. 1. Binarius an. Ch. 48. Petrus Halloix in S. Dyoniſ. Areop. vita c. 6. eique capiti ſubiectis annotationibus. Glycas in ſua hiſtoria aſſerit affuiſſe etiã pleroſque ex ſeptuaginta duobus Diſcipulis. Excipiuntur tamen a duodecim Apoſtolis communiter S. Iacobus maior iam mortuus, & S. Thomas, qui aberat.

An ad illam omnes Angeli conuolarint.
XVIII.

AFfirmat hoc doctiſſimus Suarez l. 6. de Angelis c. 10. ex S. Io. Damaſc. or. de dorm. B. V. apud Metaph. & Surium. Huius verba ſunt. *Sed neque cætus Angelorum aberat &c* & paulò poſt *nullus enim ordo ex his, qui in cœlis ſunt, qui non vnanimiter affuerit. Vidi Hieruſalem* inquit S. Hildephonſus ſ. 1. de Aſſumpt. *deſcendentem de cœlo a Deo ornatam, vt Reginam mundi Mariam ſecum eueheret in ſublimia.* Similia habent S. Bern. ſ. 1. de Aſſ. Sophronius

ſ.de Aſſumpt.B.Laurentius Iuſtinianus ſ.de Aſſ. Amedeus Lauſanenſis hom. 7., S. Anſelmus, B. Petrus Damiani, S. Antoninus, S. Vincentius Ferrerius, quorũ dicta leguntur apud Io.Bapt. Nouatum t.2.c.8.q.8. De modo, quo ibi S. Angeli àdſtabant ſic philoſophatur S.Io.Damaſc. loc. cit. *Huic omnes adſtabant ſpiritus fulgore collucenti ſplendidiſſimis radijs eos illuſtranti, qui cum pudore, ac metu, & conſtanti cupiditate, purum in eam mentis oculum defigebant.*

An animæ Sanctorum Patrum?

XIX.

AFfirmat hoc Andr. Cretenſis: *Aderant quoque* inquit *Sanctorum, quas Deus, vt arbitror, inſpirauerat, animæ, choros ducentes circa lectum, quas liber cantic. vocat adoleſcentes ex myſtica contemplatione. Oportebat enim cum Regina naturæ, vna adeſſe diuinas eorum, qui vixerant, animas in exitu præcedentes, & eam deducere, & ea canere cantica, quæ cani ſolent exeuntibus.*

An etiam Chriſtus Dominus corporaliter?

XX.

SED Matri Dei multò honorificentius fuit, & glorioſius Filium ipſum adſtitiſſe, vt affirmant Caniſius l. 5. Mar. c.3. & Alphonſus Mendozza q.5. ſcholaſt.nu. 17. qui etiam ipſi a Io.Damaſc. didicerunt. Sic ille ait loc.cit. *Rex ipſe ad ſuam Matrem venit, vt diuinis ſuis, & puriſſimis manibus ſanctam, & puram, labiſque expertem ipſius animam ſuſciperet.* Eius deinde verba Filium alloquentis recitat. *Transfer me ad te, vt vbi tu viſcerum meorum fœtus es, illhic*

quoque

quoque tibi contubernalis ſim. Ad te enim propero, qui ad me deſcendiſti. Tandem Filij reſponſum ſubdit. *Veni in requiem tuam benedicta mea Mater! Surge veni amica mea, pulchra inter mulieres &c.* Suffragantur S. Anſelmus de excell. Virg. c. 8. S. Antoninus 4 p. t. 11. c. 55. § 3. Amedeus Lauſanenſis hom. 7., S. Vincentius Ferrerius ſer. 2. de Aſſ. & alij. Accepit hanc veritatem ab Angelo S. Birgitta in ſerm. Angelico c. 20. his verbis. *Ipſius Virginis animam, quando fuit a corpore ſeparata, ſtatim ſuper omnes cælos ipſe Deus mirificè ſubleuauit.*

Quo genere mortis B. Virgo obierit, cruentone, an ſicco?

XXI.

OBijſſe ſicco genere mortis, & non cruento B. Virginem, licet anima eius doloris gladio antea perfoſſa fuerit, affirmatur a S. Auguſtino ſ. 35. de SS. & ab alijs Patribus communiter, præſertim Dyoniſ. Areopag. oculato luculentiſſimo teſte iam allato, videturque omnino certum, licet Timotheus Præsbiter Hieroſolymitanus hom. de Simeone contrarium dicat. In hoc etiam errore fuerunt aliqui apud Iſidorum l. de vita, & morte SS. c. 68. & apud Bedam Lucæ 2.

An vlla vi morbi?

XXII.

IVre negatur communiter a ſacris Doctoribus Io. Damaſc. or. 2. de dor. Virg. Amedeo Lauſanenſi hom. 7., S. Vincentio Ferrerio ſ. 1. de Aſſ. Molano l. 3. de ſacris imaginibus c. 32. Niceph. l. 2. c. 42. B. Laurentio Iuſtiniano ſ. de

Aſſ. Caietano opuſ. de ſpaſmo B. V. quibus conſentiunt Suarez t. 2. in 3. p. d. 21. ſ. 1. Salazarius explicans illud prou 31. *& ridebit in die nouiſſimo* Theophil. Raynaud. Io. Bapt. Nouatus, Io. Carthag. & alij innumeri. *Diſſonat rationi B. Virginem* inquit Caietanus *paſſam eſſe aliquam ægritudinem, quia ſimilis debet credi filio per omnia, quantum fas eſt*. Certum eſt Chriſtum Dominum nulli ægritudini obnoxium fuiſſe, vt videre poſſumus apud Galatinum l. 7. c. 10. ex doctrina Mag. Alberti ſuper miſſus eſt c. 175. Ait non obijſſe B. Virginem deſtructa prius debita diſpoſitione naturali. Nam hoc genus mortis Dei Matri minus decorum eſt. Multò magis excludendus eſt omnis morbus, cum vt ſupra vidimus, ratione perfectiſſimi temperamenti nulli morbo obnoxia eſſet.

An exceſſu amoris ſiue vllo dolore, cum ſumma lætitia?

XXIII.

AFfirmant Albertus Magnus ſuper miſſus eſt, Suarez t. 2. in 3. p. d. 21. ſ. 1. Carthuſ. l. 4. de laud. Virg. a. 3. Io. Carthag. t. 3. l. 3. hom. 4. qui ait adductis multis rationibus, & PP. Deiparam Virginem inſtar ſupernaturalis cuiuſdã fænicis diuini amoris flammis exuſtam, vitam exhalaſſe, Laurent. Maſellus l. 6. de vita B. V. c. 19. Guarricus Abb. ſ. 2. de Aſſ. Auctor Pomerij l. 10. p. 1. a. 2. Pelbartus in Stell. l. 10. p. 2. a. 2. & alij. Negant Theophil. Raynaudus in ſuis Diptycis, Nouarinus in vmbra virginea n. 1714. Pozza l. 3. tr. 16. c. 5. & alij. Non puto diſſentire

Auctores, ſi diuerſus ſenſus, quem habet mors ex amore explicetur; vnde facile omnes conciliari poſſunt, & conſentire veritati, cui omnia Marianæ mortis decora cõformari debent iuxta illud S. Auguſt. ſ. de Aſſ. *Quid ergo de morte, quid de eius Aſſumptione dicendum eſt, vbi ſcriptura nihil commendat, niſi inquirendum ratione, quod conſentiat veritati? Fiet ergo ipſa veritas authoritas, ſine qua nihil valet authoritas.* Prius ſtatuendum eſt, & videtur certum, Deiparam MARIAM nullum in ſuo obitu dolorem ſenſiſſe, ſed ingens prorſus, & inexplicabile gaudium, vt probat Albertus Mag. ſuper Miſſus eſt, & ex D. Io. Damaſc. Auctor Pomerij l. 10. Expreſsè id tradit B. Laurentius Iuſtinianus multis verbis in ſermone de eiuſdem Virginis MARIÆ Aſſumptione a S. Auguſtino deſcriptis. *Reſolutionis* inquit *carnis imminente articulo, ſicut ab omni mentis, & corporis corruptione extitit libera, ita & a mortis dolore aliena &c.* Adſtruunt carentiam doloris & ſummæ lætitiæ modum admirabilem ferè omnes Patres, qui negant vlla vi morbi Deiparam ſanctiſſimam expiraſſe S. Io. Damaſc. or. 2. de dorm. Deip. Amed. Lauſan. hom. 7. Iodocus Clictoueus l. de Aſſ. Mar. c. 6. Molanus loc. cit. Niceph. l. 2. c. 42. cuius verba hæc ſunt. *Nuncium a Filio per Angelum de migratione accipit: migratione cognita immenſa repletur lætitia.* Diem hunc fortunatiſſimum deſcribit his verbis. *Hodie eſt dies nuptiarum, quando ſine dolore, & pœna tradidit animam ſuam in manibus Filij.* Eadem habent Metaph. de vita, & ob. Deip. Dyoniſ. Carthuſ. l. 4 de laud. Virg. act. 3. & alij, quibus ſuffragatur

Suarez loco iam alleg. cum alijs recentioribus. His verbis compellatam fuiſſe B. Virginem morituram, & euocatam e corpore beatiſſimo ſanctiſſimam animam aſſerit S. Hildeph. ſ. 3. de Aſſ. a Chriſto Domino dulciſſimo eius Filio. *Veni electa mea &c. ad quam ipſam vocem credimus, quod gaudens, & ridens ſoluta eſt beata illa anima, & perexit ad Dominum*. Imò Amed. hom. cit. putat in ipſo ſuo obitu fuiſſe viſione beata perfuſam, *Tranſijt* inquit *in viſione Dei, & beatiſſimam illam animam ſole clariorem, cælo excelſiorem, Angelis digniorem Domino exhalauit*. Non eſt porrò mirum ab intenta contemplatione inſtantis gloriæ incenſiſſimo deſiderio Deum videndi ſummo erga Deum, & Filium ſuum amore, non ſolum impeditum fuiſſe dolorem, ſed ingens gaudium, cum iam intraret in gaudiū Domini ſui, emanaſſe. Addo iuxta ea, quæ ſupra diximus nulla prorſus infirmitate laboraſſe propter perfectiſſimum temperamentum ad iuſtitiam, vt fusè probat Dyoniſ. Carthuſ. l. 1. de laud. Deip. a. 35. Galatinus, Caietanus, Molanus, Suarez, & alij loc. cit. quibus addere poſſumus Echium, & Clictoueum a Molano relatos; & omnes fere Marianæ vitæ Scriptores, & Panegyriſtas. Hoc priuilegium fuit Magno Moyſi conceſſum iuxta illud Deuter. 32. *Aſcende in montem, & morere ibi &c. & mortuus eſt ibi Moyſes ſeruus Domini in terra Moab iubente Domino, vel vt alij legunt, in oſculo Domini*. Hoc dicitur etiam de S. Io. Euangel. a S Ambroſio ſ. de SS. Martyribus, S. Gregor. Turon. l. de glor. plur. mart. c. 30. Iſidoro l. de PP. noui teſtam. Metaph. in eius vita, &

Nice-

Nicephoro l. 1. c. 31. Vnde etiamſi non debe-retur propter temperamentum perfectiſſimũ, adhuc iure tribueretur B. Virgini hoc priui-legium propter eius ſummam excellentiam. His præiactis fundamẽtis puto in aliquo ſen-ſu bene affirmari mortem Deiparæ fuiſſe ex amore, in alio bene negari, & ſic vtriuſq; par-tis Doctores facile conciliari. Summus amor, mortis B. Virginis veluti comes fuit, nõ tamen illi ſiue per ſe ſe, ſiue per aliquid ab ipſo proue-niens deſtruxit diſpoſitiones vitę conſeruandę neceſſarias, vitamque eripuit. Neque enim ſuauiſſimus Dei amor procedens ex ſciẽtia in-fuſa nõ dependente a phantaſia, a qua tantum prælucente agitatur appetitus ſenſitiuus, po-terat vim in ſe læthalem habere. Cæterũ cum ille amor eſſet liber, aut formaliter, ſi præuide-rat ſequuturam mortem, aut ſaltem materia-liter, quodamodo ſe ipſam interemiſſet B. Vir-go; nam ille cenſetur homicida, qui cauſam mortis proximam apponit. In quadam tamen extaſi diuini amoris obijt Dei Mater, vt docet Albert. Mag. ſuper miſſus eſt. De hac extaſi diuini amoris egregiè loquuntur Dyoniſ. Car-thuſ. l 4. de laud. B. Virg. a. 3. Rup. Abb. in c. 5. cant. Guillelmus Abb. in c. 7. cant. S. Bern. in c. 3. cant. & alij. In hoc ſenſu accipienda ſunt illa Guarrici Abb. verba ſ. 2. de Aſſumpt. *B. Virgo languit tota vita, dolore in paſſione, amo-re in morte.* Amoris puri motus eſt in fine ve-locior. Si de amore Deip. Virg. erga Deum Filium in vniuerſum toto tempore vitæ dicit S. Anſelmus l. de exc. Virg. c. 4. *Superat omniũ rerum creatarum amores, & dulcedines magni-tudo amoris iſtius Virginis in Filium ſuum.* Quid

dicep-

dicendum eſt inſtante morte, cum incolatus prolongatus eius, quæ tam ardenter cupiebat diſſolui, & eſſe cum Chriſto, & tanquã ceruus currebat ad fontes aquarum, amorem Deiparæ Mariæ fere in immenſum amplificarat? Sic ipſa B. Virgo ſuam mortem S. Birgittæ reuelans l. 6. c. 62. deſcripſit *Cum quadam die animus meus eſſet ſuſpenſus in admiratione diuina charitatis; tunc anima mea in ipſa contemplatione repleta fuit tanta exultatione, quod vix ſe capere poterat, & in ipſa conſideratione anima mea a corpore fuit ſoluta.* Obijt die Veneris, vt putat Maſellus l. 6. de vita B. V. c. 19. eadem hora, qua Chriſtus Dominus in cruce expirauit. Si per triduum deinde, vti Filius iacuit in ſepulchro, Aſſumptio in diem dominicum iuxta Maioris ſententiam cadit.

Sola Dei voluntate B. Virgo obijt; non tamen eius mors indebita dicenda eſt.

XXIIII.

Reliquum eſt, vt ſola Dei voluntate B. Virgo obierit, eò eminentiori modo, quam Moyſes ſeruus Domini, iubente Domino, ſiue in oſculo Domini, quò Mater, ſupra ſeruum eminentior aſſurgit. Imperium itaque diuinũ, non vis naturæ admonitam de inſtante morte in extaſi. de qua ſupra diuini amoris animam beatiſſimam in manus Filij adſtantis, ſtipatique tota cæleſti curia, expulit, cum prius iuxta Gerſonis ſententiam tr. 2. ſuper Magnificat part. 1. e manibus Filij, eius diuinum corpus ſumpſiſſet. Stantem obijſſe, vti decebat Imperatricem vtriuſque orbis, cenſet Molanus l. 3. de imagin. c. 32. adducens Io. Echium, & alios: iacentem

iacentem vero in lecto Andreas Cret. or. 2. de dorm. S. Hildeph. ſ. 1. de Aſſ. Gregor. Turon. l. de gloria Mart. c. 4. Io. Damaſcenus or. 2. de Aſſ. cum alijs. *Enimverò in tranſitu eius glorioſo* inquit Amed. Lauſan. *illuſtratur mons Sion, vbi prouecta dierum deceſſit in ſenectute bona. Ibi expleuit munus vitæ, dans plenam, atque perfectam virtutum omnium conſumationem. Ibi orienti magis, quam morienti, & abituræ pluſquã obituræ occurrunt caſtra Dei, & ruunt obuiam ei exercitus militiæ cæleſtis. O quam pretioſa in conſpectu Domini mors genitricis ſuæ! Quæ vita adæquabitur morti eius, quæ gaudia funeri eius?* In ipſa mortis inſtantia iuxta Metaph. innixum grauiſſimis Patribus, iterauit illa ſacro-ſancta verba. *Ecce Ancilla Domini fiat mihi ſecundum Verbum tuum. Ac tunc ipſa emittit tanquam in ſomno ſpiritum, & eum in amicis deponit manibus Filij*. Sed melius in S. Vincentio Ferrerio ſ. 1. de Aſſ. hæc habemus. *Adeſt Chriſtus ſalutans Matrem, dicens. Aue benedicta, quæ vitam concepiſti, & gloriam inueniſti.* Ad quem Virgo. *Paratum cor meum. In capite libri ſcilicet prædeſtinationis ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam.*

Indebita tamen mors B. Virginis dici non debet. Verum quidem eſt, quod etiam expendit Clictouæus opuſ. de doloribus Deip. in paſſ. Ch. c. 14. non ſoluiſſe illam debitum morti, vt eſt pæna peccati originalis, quam nos omnes in Adamo contraximus, cum immunis ab eo fuerit; non poteſt nihilominus negari Deip. ſanctiſſimam non fuiſſe Adami filiam, & ſic noſtratibus infirmitatibus obnoxiam fuiſſe, naturæque malis, quæ ipſam non dedecerent.

rent. Inter hæc eſt mors, quæ Dei Filium non dedecuit. In hoc ſenſu Theoph Raynaudus in Dypticis Mar. p. 1. punct. 10. aſſerit B. Virginem debuiſſe mori, nec fuiſſe ſubitionem mortis indebitam.

Modus mortis admirabilis.

XXV.

ADuenienti e cælis ad ſe dilectiſſimo Filio, vt ſupra vidimus ex Io. Damaſc. alijſque, & Caniſius l. 5. cap. 3. Bernardinus de Buſto 11. parte ſui Marial. ſ. 1. de Aſſ. egregiè explicant teſte Metaphraſte, dixit. *Benedico tibi datori omnis benedictionis, cauſa luminis, qui meum vterum inhabitaſti. Benedico tuæ charitati, qua nos dilexiſti Domine, & magnifica verba tua, quæ nobis data ſunt in veritate, & credo mihi affutura, quæ dixiſti.* Io. Gerſon tr. 9. in Mag. recitat verba, quæ Filius Matri dixit cum ſacram Euchariſtiam miniſtrauit, nimirum hæc. *Accipe hoc caro mea, quod mox complebitur tibi in regno meo vnà cum Patre meo.* Poſt ſanctiſſima inter Matrem morientem, Filiumque adſtantem diuerbia, quæ Io. Damaſc. or. 2. de dorm. Deip. exactè perſequitur, benedixiſſe ſanctos Apoſtolos, & pium fidelium cætum idem aſſerit. Inde vt reuelatum fuit S. Th. Cantuarienſi apud Laurentiũ Maſellum l. 6. c. 19. animam beatiſſimam in latus apertum Filij Sanctiſſima Mater expirauit. Illud quod addit idem Io. Damaſc. de morte omittendum non eſt. *Nam* ait *mors tantum aſpiciens extimuit. Eius enim Filium aggreſſa didicit ex ijs, quæ paſſa eſt; & cum ipſa didiciſſet experientia, fuit caſtigata.* Hæc retuli

de

de morte Deiparæ, non tanquam certa, ſed tanquam pia, vnde poſſimus etiam inſtante nobis morte, eius non ſolum patrocinio, ſed etiam exemplo iuuari, cum præſertim vel a SS. Patribus, vel a probatiſſimis Scriptoribus Eccleſiaſticis narrentur. Animam tandem Deiparę Virginis beatiſſimam deductam fuiſſe a Filio non in ſinum Abrahæ, ſed ad thronum celſiſſimum gloriæ, ſtipantibus Angelis, & omnibus cæleſtis Hieroſolymæ Incolis Reginam rerum, teſtatur luculentiſſimis verbis Caniſius l.5.c.3.& hauſit ex Andrea Cretenſi in or.de Aſſ.Mar.Sophronio ſ.de Aſſump.& alijs.

De pompa exequiarum.
XXVI.

DE B.Virginis exequijs loquens Io. Carthag. t.3.l.13 hom. 5. meditatur militantem, ac triumphantem Eccleſiam, Apoſtolos, & Angelos de MARIÆ Deiparæ ſepultura, alijſque funebribus officijs præſtandis, piè, amanterque contendentes. Hinc ait compoſitam fuiſſe litem, diuiſumque honorem, vt Angeli animam in cælum, Apoſtoli corpus in Vallem Ioſaphat deferrent. Aſſerit tamen Bernardinus de Buſto tr. de Aſſ. Virg. Chriſtum Dominum, quaſi materna officia rependentem compoſuiſſe in ſepulchro ſuis manibus Matris corpus. De funere Deiparæ Virg. hæc habet Nicephorus l. 2. c. 22. *Apoſtoli, & qui præterea ibi aderant viri egregij lectum corona circumdantes, reuerenter illam exoſculantur. Deinde cereis ardentibus prælatis, & vnguentis, floribuſque ſparſis, atque Angelis cælitus feretrum, vel præeuntibus, vel ſtipantibus, vel etiam conſequentibus*

bus diuinis Patribus, & Apoſtolis mirifica quædam carmina concinentibus, intellectualis illa, atque ſpiritualis Arca ex Sion in Gethſemani, Apoſtolis etiam geſtantibus manibus fertur. Exequias Marianas fusè enarrant, & piè præter Nicephorum loco iam alleg. Metaphr. in hiſtoria de dormiti. Virg., S. Io. Damaſc. de eadem dorm. & S. Method. de trans. Virg. De admiranda luce corporis mortui B. Virg. mira habet ex S. Coſma Author pomer. l. 10. p. 5. a. 2.

De ſepulchro, patratiſque in funere, & poſt ſepulturam miraculis.

XXVII.

CIrca ſepulchri locum fuiſſe in vallis Ioſaphat medio, quę erat inter Sion, & Oliuetum, non longè ab horto Gethſemani communis eſt Scriptorum Eccleſiaſticorum ſententia. Præter D. Dyoniſium Areopag. D. Io. Damaſc., Nicephorum, Glycam, Metaphraſtē, & alios relatos a Caniſio l. 4. c. 5. teſtantur id Venerab. Beda de locis ſanctis c. 6. Andreas Cretenſis de Aſſ. B. V. Sophronius de eadem, quibus conſentiunt omnes recentiores, qui vitam Deiparæ deſcripſerunt. Ibi ab Helena Conſtantini Matre mirificum templum extructum eſſe teſtatur Niceph. l. 8. c. 30. quod deinde Romani Pontifices indulgentiarum theſauris ditarunt. Ex alia parte fuiſſe hoc Mauſolæū Marianum multis ruinis obrutum per aliqua ſecula tradit Card. Baronius an. Ch. 48., & ſuæ luci, ſplendorique reſtitutum, paulò ante tempora Iuuenalis Præsbiteri, & Martiani, ac Pulcheriæ Imperatorum. Vnde huius non

memi-

meminerunt, neque S. Hieronymus in epiſt. 27. neque Euſebius in vita Conſtantini l. 3. c. 24. neque Socrates l. 2. c 3. neque Sozomenus l. 1. c. 1. neque Theodoretus lib. l. 1. c. 15. neque alij multi, qui ex profeſſo agunt de his locis ſanctis. Illius glorioſiſſimi ſepulchri deſcriptio luculenta inuenitur apud Franciſcũ Quareſmũ t. 2. eluc. terræ ſanctæ l. 4. c. 1. pereg. 7. vbi ait fuiſſe marmoreũ, & ſimillimũ ſanctiſſimo ſepulchro Filij. Monumentum hoc fuiſſe nouum, & a Deo magnæ Virgini præparatum affirmat Vincentius Belluacenſis in ſpec. hiſtor. t. 4. lib 7. cap. 76. licet Io. Baptiſta Nouatus cenſeat fuiſſe paternum ſepulchrum. Accenſis cereis, & lampadibus fulgentiſſimum, ac peregrinorum pietate ſumma cultum eſſe aſſerit Bonifacius l. 2. de per. cultri terræ ſanctæ. Non ſepulchri tantum, ſed Eccleſiæ circa illud ædificatæ meminerunt præter Bedam, & Bonifacium, aliosque relatos Gullielmus Tyrius Epiſcopus l. 18. de bello ſacro c. 32. Adamnanus l. 1. de locis ſanctis c. 9. Frater Anſelmus Ord. Min. de obſer. in ſua deſcriptione terræ ſanctæ. Villalpandus t. 3. l. 3. c. 6. & Brocchardus apud eundem, & tandem Franc. Quareſ. loc. cit. vbi omnes difficultates circa ſepulchrum B. V. erudite ſoluit. In funere B. Virginis plura fuiſſe patrata miracula affirmat S. Io. Damaſc. ſ. de dormit. Virg. his verbis. *Tunc inquit* (nimirum cum corpus deferretur ad ſepulchrum) *morbi quidem fugiebant, fugabantur turba Dæmonum omni ex parte compulſa ad ſola loca ſubterranea: Omnia ſanctificauit elementa.* Vnde ſubdit. *Aer, æther, & cælũ aſcenſu ſpiritus ſanctificabatur, terra autem*

depoſitione

depoſitione corporis. Sed neque aqua natura expers erat benedictionis; lauatur enim aqua pura, qua non eam mundabat, imò vero ipſa ſanctificabatur. Illud celebre, cuius mentionem faciunt Sannutus l. 3. p. 14. c. 9. Niceph. l. 2. c. 22. Pelbartus in Stell. l. 10. p. 5. c. 3. a. 2. Quareſ. t. 2. elucid. tertæ ſanctæ l. 4. c. 17. pereg. 4., & ante alios S. VVillilbaldus Epiſcopus, qui vt tradit Trithemius de Viris illuſtribus Sancti Benedicti ordinis c. 147. floruit an. Dom. 740. in Hodæpotico ſcripto a conſanguinea ſanctimonialiHeidenherměſi, quod refert Henricus Caniſius t. 4. antiquæ lectionis, cum ſcilicet Pontifex Iudæorum conatus eſt, impia turba ſtipatus, rapere ſacerrimuum corpus B. V. & manus ipſe ariditate, plerique alij cæcitate diuinitus mulctati ſunt, ac deinde ad Apoſtolorum preces priſtina omnibus ſalus reſtituta eſt. Non ſolum miraculi, ſed loci quoque, in quo patratum fuit, mentionem faciunt allegati Authores. Hoc tamen miraculum Apocryphum cenſet Card. Baronius to. 1. an. Ch. 48. Abſolutè tamen plura fuiſſe patrata miracula in funere B. Virginis aſſerit S. Io. Damaſc. loco iam citato, imò & ad eius ſepulchrum, vt indicant ſequentia verba. *Hic ſurdis auditus, claudis pedum firmitas reſtituebatur, cæcis viſus inſtaurabatur, peccatoribus cũ fide accedentibus ſyngrapha lacerabantur &c.* Et certè ſi Petri vmbra thaumaturga fuit, & miraculorum operatrix, non eſt mirum MARIÆ corpus hæc patrare miracula. Feretrum ipſum in quo virgineum corpus delatum fuit, & poſſideri a quingentis annis a Lugdunenſi vrbe affirmat Hugo Pharſitus l. de mirac. fer. B. V. Lugdun.

Lugdun. multis celebre fuiſſe miraculis teſtatur, eaque memorat Vincentius Belluacenſis in ſpec. hiſtor. l. 27. p. 4. c. 12. Iure ergo non ingreſſum tantum in mundum, ſed egreſſum Sanctiſſimæ Dæiparæ multis fuiſſe illuſtrem miraculis aſſerit Andreas Cretenſis in or. de Virginis Aſſ.

Libeat nunc in obitu beatiſſimo Deiparæ Virginis exclamare. *Hodie* (Io. Damaſc. verba ſunt de dormit. Virg.) *vitæ theſaurus, gratiæ abyſſus, neſcio quomodo dicam audacibus, & non trementibus labijs vitali morte tegitur, & ad illam ſine metu accedit, quæ eum peperit, qui ipſam fregit, & diſſoluit. Si mortem tamen vocare oportet eius ſacratiſſimum, & vitalem è terra exceſſum.* Libeat acclamare cum B. Laur. Iuſtin. ſ. de Ann. *Magna profectò fuit Mariæ gratia, exuberans, atque completa, quæ cælis dedit gloriam, terris præbuit Deum, gaudium præſtitit Angelis, ſeculoque pacem infudit, fidem docuit gentes, vitijſque finem impoſuit, humanæ vitæ instituit ordinem, atque ſpiritualem edidit moribus diſciplinam.* Libeat tandem iterum cum Io. Damaſc. dicere or. 1. de B. Mariæ Aſſ. in ſepulchri Mariani elogium eleganliſſimum, *Iam verò o ſacrorum omnium ſepulchrorum duntaxat poſt dominicum ſepulcrum, quod vitæ initium dedit, ac Reſurrectionis fores fecit, ſacerrimum. (Secum enim tanquam cum anima prædito ſermo erit). Vbi nam tandem illud minimè adulterinum aurum eſt, quod Apoſtolorum manus in te condiderunt? vbi inexhauſtæ opes? vbi pretioſus ille theſaurus, qui vitam ſuſcepit? vbi animata menſa? vbi nouus liber in quo inenarrabili modo Deus Verbum citra omnem manus*

operam inſcriptus eſt? vbi gratiæ abyſſus? vbi ſacratiſſimum pelagus? vbi fons ille ex quo vita orta eſt? vbi denique deſideratiſſimum illud, atque amabiliſſimum Dei Genitricis corpus?

ASSVMPTIO GLORIOSA. TRIVMPHALIA.

ELOG. XXX.

Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens, innixa ſuper Dilectum ſuum? Cant. 8.
Signum magnum apparuit in cælo Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim. Apoc. 12.

Abdica te prophana Roma Reginę rerũ titulo:
alibi locanda eſt mundi metropolis.
Habet Hieroſolyma triumphum,
cui, ſi tuos conferas, ſine nomine iacebunt.
Tui omnes in cæno reptarunt:
ſolus hic ſublimis cælum tenet.
Cum effæminati Imperatores tui,
nihil præter triumphi ſcommata mererentur:
Heroinæ Virgini
in Imperatricem mundi inaugurandæ,
in Empyreo ſenatu triumphus decernitur.
Eam orbis terrarum amplius non capiebat;
intrare igitur cælum debuit.
Sed quia plus vicerat, quam vixerat:
ipſum funus in triumphum ceſſit.
DEIPARA HÆC EST:
In hoc vno omnem triumphi titulum habes:
Homines IESVM ſeruaſſe,
expugnaſſe erebum,
cælum aperuiſſe,
Marianæ victoriæ ſunt.
Ingentẽ victoriã triumpho dignã ſibi peperit;
cum peperit mundo rerum omnium victorem.

Exer-

Exercitum laureatum plauſorem habuit;
quem nec Xerſes numeraret,
nec caperet Helleſpontus.
Nihil Regum Regi Dei Filio militat,
quod Dei Matri triumphali non plauſerit.
Curule ſolium Triumphatricis ne quæras,
innitentis ſuper Dilectum ſuum.
Aligero etiam amori otioſè ferculũ quæritur,
quem nemo fert, niſi cum rapitur.
Illud mirum, quod Virgo Triumphatrix
pro palmata cælum induit,
paludata Sole,
calceata Luna,
Aſtris coronata.
Sed a triumpho innocenti
ipſum textile cælum innocentiam contraxit.
Ardebat ſine maculis Sol,
ſine defectu Luna candicabat,
ſine erroribus Aſtra radiabant.
Ita MARIA moribus ſuis cælum induit,
& veteri cælo nouum intulit.
Ab hoc cælo innocenti
omnia expectãda ſunt meteora diuini amoris.
Rideo fabulares veſtros Atlantes,
Græciæ Sophi!
En tenera virguncula cælum ſuſtentat!
Sed leue illi pondus fuit, ferre humeris cælũ,
quæ immenſam Dei molem ſinu geſtauit.
Gratulor vobis homines nouam felicitatem;
cum libuerit cælum in veſtra vota flectetis.
Amicta Sole Mulier,
Stellis redimita,
Lunam calceans,
vbi voluerit ſola poterit totũ cælũ inclinare.
Iã nunc perperãAſtronomi Martẽ in regno pacis
& inceſ-

& inceſtam venerẽ locatis in patria candoris?
Vbi MARIA triumphatrix cælum portauit,
cæli monſtra omnia ſuſtulit: ſcelera expiauit.
Ad Dei Matris præſentiam,
nec ferum eſſe debuit cælum, nec impium.
Inſolens prodigium videri poſſet,
illuſtre hoc diei, noctiſque commercium;
ſi non illa patraſſet,
quæ maiori prodigio homini Deũ coniunxit.
Aſcendente hoc SIGNO MAGNO,
habetis MARIÆ Filij,
omnem felicitatis horoſcopum;
vbi Sol æternus e Leone exiens,
ſtellantem Virginem, domum ſuam intrat.
Interim MARIA
Empyreum capitolium ingreditur.
Æternum Peana Superi cantate,
& vos mortales ſinum aperite;
quibus congiariũ triũphale ſpargitur gratiarũ.

Aſcendenti quippe Domino egreſſa eſt obuiam omnis illa beatorum Spirituum glorioſa ſocietas, quando naturæ ſuperiori prætulit inferiorem, & inconuerſibili Sacramento ſuſceptum hominem in ipſa Diuinitatis clauſit identitate. Occurrentibus autem Angelis electorum animas, quas ſecum educebat adiunxit, & ſic vtrorumque triumphali pompa deductus ad Patrem ſedet ad dexteram Maieſtatis. Attolle iam oculos ad Aſſumptionem Virginis, & ſalua Filij Maieſtate inuenies occurſum huius pompæ non mediocriter digniorem. Soli quippe Angeli occurrere Redemptori potuerunt; Matri verò cælorum palatia penetranti, Filius ipſe cum tota curia tàm Angelorum, quàm iuſtorum ſolemniter occurrens, euexit ad beata conci-

ſtorium ſeſſionis. Pet. Dam. ſ. de Aſſumpt.

Praceſſit nos Regina noſtra, praceſſit, & tam glorioſè ſuſcepta eſt, vt fiducialiter ſequantur Dominam ſeruuli clamantes. Trahe nos poſt te in odorem vnguentorum tuorum. S. Bern. ſ. 1. de Aſſumpt.

Aſcendit in cælum innixa ſuper Dilectum ſuum, vbi coronatà æternum regnat, Angelorum, & Hominum Imperatrix, rerum Domina, Eccleſiæ Patrona, omnibus titulis maior.

CAP. XXX.

ASſurge, humi reptans calame; tandem ad cælum, quo te Mariani triumphi ſublimitas vocat! Iam magnæ Virginis Anima beatiſſima cælo illata, terras deſeruerat, & innocenti certamine terra animam cælo, cęlum terræ corpus inuidebat. Sed quidni cælo faueret Deus! In ſcrobe defoſſus flos Virginum ſtatim reuiruit, æterno vere ſemper florentis immortalitatis. Et ſanè non humanum conſilium fuit Apoſtolum Thomam oculatum, iuratumq; teſtem eſſe tantæ felicitatis, vt qui rediuiui Filij veritatem in Triumphatoris ipſius pectore manu fideli palparat, eandem in matre mortis victoriam, & gloriam immortalitatis ſua fide firmaret. Cum enim ſerius e Chriſtianæ Reipublicæ Duodecim-viris Patribus ad-

uentaſſet, cuperetq; virgineum illud corporatæ Diuinitatis ſacrarium, quod adorare in morte non potuerat, ſaltem in tumulo venerari, aperto ſepulchro nihil in ventum eſt præter cæleſtis theſauri inuolucra. Iam enim iterum mors mortua fuerat, & ſanctiſſimum corpus, cælum, ne quidquam terra refragante, atque ægre ferente a ſe diuidi amores ſuos, ſurripuerat. Dixiſſes ſarcophagum ſe ipſum quodamodo deuoraſſe, tumulumque terrenum in cæleſtem thalamum migraſſe. Non iniuſtè verò cælum ſibi tanquam ſuum ſubduxit, quod licet terrenum eſſet, in Adamo luteo non peccarat, & aut cælum erat, aut candore, & pretio cælum ſuperabat. Neque enim ſecundus Adam de terra terrenus, ſed de cælo cæleſtis compactus eſt. Natura igitur, & gratia Marianas victorias expendentes, ſerum licet mortuæ Magnę Virgini triumphum decernunt, ſed admirabili modo, quam nullus mortalium explicare poſſit. Effunditur totum cum beatis ſuis ciuibus cælum, & cæleſtis Hieroſolyma, cum habeat, quod veneretur in terris, ad terrenam deſcendit. Occurrit cum Summo Imperatore, excipit, comitatur, acclamat quidquid ſanctum cælo tellus quadraginta ſeculis dederat, & iam cælum æternitati dicarat, atque in vnius triumphi felicitatem omnia Superũ decora, ac vota coniurant. Amplexu ſuo Filius totius gloriæ ſuæ Maieſtatem ſpirat, verbiſque ſuauiſſimis rediuiuam Matrem beat. Innixa Dilecto ſuo Sponſa virgo laureatis totius Empyreæ Aulæ coronata manipulis, adorandum illud corpus cælo infert, virginemque ſinum, vnde ipſa prodijt corporata Diuinitas.

O ſi quis Superum oratorum, quos Deiparæ Aſcendẽtis, totiuſque Mariani triumphi maieſtas ſuſpenſos in ſublimi alternis choris plaudentes, & vocibus, ſtupore defixit, aureo illo ore, quo arcana Numinis venerabiliſſima, ſummoſque amores eloqui fas eſt, diei illius fauſtitatem, naturæ vniuerſæ tripudium, veterum Patrum, præſertim diuinæ familię Progenitorum gratulationes, Solis, aſtrorum, totiuſque cęli lætitiam, Cælitum plauſus, diuinos amplexus, ipſius aſſurgentis ad gloriæ apicem Triumphatricis vultum, omnibus cæleſtibus delicijs affluentem, ſpirantemque totius beati corporis Paradiſum explicaret! O qualem illa vultum, qualia ora ferebat, cum Auguſtiſſima Trias, ac tota Diuinitas ſummos afflauit honores, nunquã morituræ beatitatis! Quantum Dei domui ſanctitatis ſacrarium: quantus aureæ illi, & gemmeę Vrbi felicitatis theſaurus? quanta ampliſſimo regno ſplendoris immenſitas: quantus bonorum omnium patriæ acceſſit cumulus gaudiorum, cum nouus hic Sol inuiſum adhuc diem, ſed pulcherrimum, Empyreo cælo intulit, & faſtigium ſuum tenuit, maximum hoc inter homines gratiæ, & glorię incrementum? Quid cum illam in ſuo ſolio ſupra omnem Angelicæ Reipublicæ Hierarchiam Cęlites omnes adorarunt? Quid cum vtriuſque orbis ſtellantem coronã capiti imponentes, rerum Dominam, militantis, triumphaliſque Eccleſiæ Imperatricem, orbis terrarum patronam, Reginam Regum, Matrem populorum, inaugurarunt? Quid cum iam tum aras conſecrarunt, ac templa, vrbes dicarunt, & regna, omnes Mortalium, & Superum ſum-

mos amores, honoreſque deuouerunt? Quid cum ideam omnium virtutũ, ſummum omniũ ſæculorum negotium, Apoſtolorum Magiſtram, Patriarcharum clauſulam, Primiceriam virginum, Martyrum Choriphæam, Sanctam Sanctorum, vno verbo, ſed cui pretium immenſum eſt a diuino VERBO, DEIPARAM ſalutarunt? Hic illi Pean çternùm canitur: hoc ſublimis triumphi nunquam ſilens epinicion reſonat: hoc laudũ concentu ardent ſemper cælites chori. Et certè cæleſtis illa Aquila Ioannes aſſuetus irretortos oculos ſæpius in æternum Solem figere, ad ſolam Mariani triumphi ſupellectilem, veſtiumque decora, admiratione ſuſpenſus exclamare coactus eſt, Deiparam triumphalem Sole amictam, Luna calceatam, Aſtris coronatam, nouum cçlum in cçlo circumferentem, SIGNVM MAGNVM eſſe, ideſt miraculorũ abyſſum. Ita ne pro mundo muliebri toto cælo vna mulier pretioſè veſtitur? Sol aureum humeris paludamentum imponit, Luna calceos pedibus ſupponit argenteos, ſidera lauream capiti gemmantem innectunt, nec intrat tantùm cælum MARIA, ſed portat. Marianus hic Zodiacus non ſiderum monſtris, ſed virtutũ prodigijs eſt ſplendidè belluatus. Auguſtius Phenomenon gloriæ attolli è terris, cælum tot aſtris oculatum nunquam vidit. Sed maius beneficium eſt MARIA cælum, quam cælũ MARIA donari. Auertite oculos a Iunonia lactea via mortales: veram galaxiam Chriſtiani Heroes habetis, quam Dei Mater, Sponſa, & Filia ſuo lacte, nimirum ſua innocentia ſignauit, & qua MARIA aſcendit, Stellis ipſis æternos ca-

racteres componentibus ſcribite HAC ITVR. Regina rerum, vt ſua purpura totum mundum amanter foueret, Solem induit bonis orientem, & malis; nemini autem occidentem. E cælo detrahite Ariadnæam coronam Aſtrologi: ſua magna Virgo ſatis mundum illuſtrat, cælumque coronat, cum aſtris coronatur. Ecclipſim Luna non timeat, in Solis coniunctione coruſcans: vorari illa Draconis ore non poteſt, quæ virgineis pedibus coronatum ipſius conterit caput. In textili Sole Deiparæ dignitas, in Luna calcata, vtriuſque orbis imperium, in ſerto ſtellanti, omnium virtutum lumina radiarunt. In hoc cælo legenda ſunt fata noſtra: huius vnius cæli ſanctiſſima Iudiciaria in nos imperium agnoſco. In hoc vno cælo, in Solis, & Lunæ coniunctione habemus verum innocentiæ nouilunium. Erratis homines, ſi longæ ſpes non hoc Mariano firmamēto nituntur, in quo vno vera fulget auſpex omnium bonorum cæli fortuna. Si beneficentia Reginam ageret, an non Stellis coronata, Lunæ inſidens regnaret in purpura Solis? Cuius humanæ pacis ſequeſtram MARIAM non ſperemus, quæ implacabile diei, noctiſque diſſidium componit, Solemque cum Luna, ac Stellis fæderat?

O vtinam nos Mariani triumphi appendices triumphalem Virginem catenata mancipia ſequeremur, amplectentesque ſanctiſſima veſtigia, & pulchros greſſus in calceamentis Filiæ Principis poſſemus dicere! Si nauſeas terram nunc o Virgo, ſcande cælum. Si humi vobis reptandum eſt; ſaltem ite Mortales in plauſus Mariano triumpho nunquam morituros.

ros. Iam Domina omnium MARIA triumphatrix rerum potitur: iam cælo imperat: iam orbis terrarum ſe huic Reginæ ancillari gloriatur, cuius in ſinũ collectæ gratiæ per omnes plagas ſparguntur. In eius throno ſimul regnant clementia, & gloria, maieſtas, & amor. Iam illius ſolium Aſylum eſt miſerorum, communis ara indigentium, tribunal gratiarum. Iam pro Mundo cliente cauſas agit, ſolo etiam ſilentio perorans VERBI Mater. Iam Regum Reginæ nemo non faſces, & vota ſubmittit. Vni Erebo æternum bellum indixit. Quid ni timeant Solem Eccleſię, Principes tenebrarum? Ad hoſtes quippe mortalitatis noſtræ tundendos, retundendosque eſt acies ordinata, ac turris clypeata. Aurora deinde Dei nulli non homini diem ſalutis accendit. Vbi regina manus Infantē Deum eſt amplexata, ereptum puello Numini ſceptrum, nunquã deſeruit. Eius dexteram oſculatur obſtrictũ beneficijs, ſolutum ſupplicijs humanum genus. Eius prodigijs horas orbis terrarum, beneficijs momenta diſtinguit. MARIA ſemel Hominem Deum fecit: humanum ſemper. Filium ad dexteram Patris ſedentem, Mater dexterum ſemper Numen orbi exhibet. Sæuire non poteſt prope Virginis Matris gremium Deus dilectus Filius vnicornium. Vbi papillas aperit diuina Mater adulto Filio, iterum ferè Deum exercituum ad infantiam reuocat, & imbellem facit. Vbi tanta clementiæ nubes Tonanti, ac Fulminatori Deo opponitur, iræ fulmen, moriens cum oritur, caſſo tonitru in fulgetro amoris expirat. Et quia nubes roſcida eſt imbre lachrymarum ad radios æterni Solis, in

circuitu ſedis Iridem pingit,in bellico turbinē nuncium pacis. Nullus miſer eſt,niſi ſine MARIA: nemo cum ipſa,niſi felix. Quanta Oratrix eſſe debet illa, quam VERBVM Diuinum implens facundam reddidit, cum fæcundam. Ipſa quoque ſola ſine oratione ſupplex manus, ſtyli eſt omnipotentis eloquentia. Quid humanum ab illis manibus non pendeat, a quibus Deus pependit? Quos nō ſpargat mundo munifica theſauros gratiarum, manus Diuinitate donata?

Sed vnum triumpho deeſt Virgo triumphatrix, nimirū conuiciator,qui ſcommata triumphalia in te iaciat. Verum neque hæ partes mihi deſunt, qui longè infra merita magnam Deiparā laudans,pro conuiciatore haberi poſſum. At excuſat paruitatem meam argumenti magnitudo. Suo ſemel loquens omnia dixit in VERBO cum Patre Mater. Eadem Deipara,& orationis argumentum,& ſilentij, linguas ſoluit infantes,& ſufflaminat eloquētes. Ita promeretur omnes laudes rerum maxima, vt ſingularis nullam admittat. Ineffabilis eſt,ſiue laudetur Filius in Matre, ſiue Mater in Filio. Acta ſupra omnem hominum fidem, hiſtoriam diuinam poſcunt,non humanam. Sola æterna Patris, & interna oratio, poteſt eſſe panegyricus Matris, & debet: hoc vno VERBO oratore ſatis,ſuperque laudatur. Omnes quæ in MARIAM cadunt laudes, IESVM in quem deſinunt, ſonant. Orator Echo factus,non fama,nihil dicam,& omnia,cum MARIÆ addidero IESVM. In conditionem incidit vtrinque felicem:ſuo ipſo VERBI Mater, VERBO explicatur,& ſiletur.

Et hæc terminalia ſunto magnæ Deiparæ, cuius elogia nullo clauduntur termino. Ipſe Sancti Spiritus pneumaticus calamus vltimum apicem veteris teſtamenti MARIAM ſcripſit, & in hac cera virginea diuinum tabularium hæſit.



ELECTIORA

Ex Sacris Scripturis, SS. Patribus, Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Doctoribus ſcholaſticis de Aſſumptione B.V. eiuſque inauguratione in Angelorum & hominum Imperatricem, rerum Dominam, Eccleſiæ Patronam, titulis omnibus maiorem.

SYNOPSIS.

1 ADmiranda Mariani corporis incorruptio, beata reſurrectio, & glorioſa Aſſumptio firmiſſimè ſtatuitur ex Sacris ScripturisSS. Patribus,DoctoribusEccleſiaſticis,& alijs? 2.An Aſſumptio B. V. tertia poſt mortem die acciderit, & vbinam fuerit illo triduo Anima beatiſſima 3. An Marianum priuilegium fuerit reſurgere in ſexu fæmineo? 4 Quomodo Dei Matrem reſurrexiſſe Apoſtoli deprehenderint, & ereptum terris corpus in cælum migraſſe? 5. An omnes Cælites in cælum migrans obuios habuerit? 6. An etiam Chriſtum Dominum, & an innixa ſuper Dilectum ſuum, Cælum intrarit? 7.An Aſſumptio Deiparę in aliquo decoreRedemptoris Aſcenſionem ſuperarit? 8. Quibus verbis Matrem Filius ad cæleſte capitolium inuitarit? 9. De palmata, laureaque cæleſti, & alijs ornamentis Virginis Triumphatricis. 10. Vnde ſignum in cælo magnum, nouumque veluti cælum videri potuit. 11. Fuitque ſummo plauſu, ac planè triumphali excepta. 12. De throni cæleſtis, ad quem euecta eſt Dei Mater Aſſumpta, ſublimitate prope auguſtiſſimum Filij.13. De gloria eſſentiali Animæ,quoad vtrunque obiectum primarium, & ſecundarium, an alios beatos omnes etiam ſimul ſumptos exceſſerit? 14. De gloria corporis. 15.De gloria accidentali, an omnia dona gratiæ, & gloriæ per MARIAE impetrationem nobis conferantur? 16. De Aureolis Virginitatis, Doctoratus, & Martirij. 17. De gaudio ex Aſſumpta Deipara alijs beatis affuſo. 18. An adhuc viuens B. Virgo Deum intuitiuè viderit? 19. De inauguratione MA-

RIAE Aſſumptæ in Angelorum, & Hominum Imperatricem,& in rerum Dominam. Quodnam fuerit hoc dominium, & in quo iure fundatum? 20 In eadem Aſſumptione initiata eſt Eccleſiæ patrona ſummæ potentiæ. 21. Et largiſſimæ beneficentiæ. 22. Honores exhibiti ab Eccleſia Triumphante, ac militante Deiparæ Virgini Aſſumptæ,tanquam Dominæ,ac Patronæ ſuæ in laudum encomijs, exceptis Hæreticis, qui ſoli in eam inofficioſi,& iniurij ſunt. 23. In cultu adorationis,tum ab Angelis, tum ab Hominibus. 24. In Templorum erectione etiam viuenti. 25. In celebratione feſtorum dierum. 26. In imitatione virtutum. 27. In inuocatione nominis, alijſque religioſis officijs, & pijs affectibus. 28. MARIA ad Cælum Aſſumpta, & ibi regnans omnibus titulis, ac laudibus maior.

Admiranda Mariani corporis incorruptio, beata reſurrectio, & glorioſa Aſſumptio firmiſſimè ſtatuitur ex Sacris Scripturis, SS. Patribus, Doctoribus ſcholaſticis, & alijs.

I.

ANima beatiſſima Deiparæ Virginis ſtatim ab obitu illum cumulum gloriæ accepit, quem poſtea adſcribemus, & explicat cum alijs fusè Caniſ. l. 5. Mar. c. 4. Sepulturæ corpus eſt traditum, procuratumque funus ea ratione, qua ex SS. Patribus, & Scriptoribus Eccleſiaſticis demonſtrauimus, & eruditè de more, ex illorum teſtimonio probat Cardinalis Baron. an. Ch. 48. Apoſtolorum funebres laudationes obiter tangit S. Dyoniſ. Areopag. c. 3. de diu. nomin., & fuſius perſequitur Andræas Cret. or. 2. de Aſſumpt.

Sanctiſſimum Dei Matris corpus non fuiſſe obnoxium corruptioni teſtantur luculentiſſimis teſtimonijs D. Io. Damaſc. or. de dorm.

Virg., S. Germanus de eadem, S. Melito de tranſ. eiuſdem, Niceph. l. 1. hiſt. Eccleſ. c. 31. & diſertiſſimè Guillelmus in c. 1. cant. ad illa verba. *Tigna domorum noſtrarum cedrina.* Ait enim. *Cur dicit non tantùm domus tuæ, ſed domorum noſtrarum?* Et reſpondet. *Quia non tantum domui Ieſu, ſed & domui Mariæ hoc priuilegium* (nimirum incorruptionis) *commune fuit*, additque rationem, *quia Ieſus os ex oſſibus, & caro ex carne Mariæ fuit.* Hanc eandem veritatem, eadem prorſus ratione probat Princeps Theologorum Auguſtinus ſ. de Aſſumpt. *A quo opprobrio* inquit (nimirum vermis, quem ſupra dixerat eſſe opprobrium humanæ conditionis) *cum Ieſus ſit alienus, & natura Mariæ excipitur, quam Ieſus de ea aſſumpſiſſe probatur. Caro enim Ieſu, caro Mariæ eſt.* Inde poſt adducta exempla Puerorum in igne Babylonico illæſorum, Ionæ in ventre Ceti, Danielis in lacu Leonum, concludit. *Illud Sacratiſſimum corpus, de quo Chriſtus carnem aſſumpſit, & diuinam naturam humanæ vniuit, non amittens, quod erat; ſed aſſumens, quod non erat, vt Verbum caro, hoc eſt Deus homo fieret, eſcam vermibus traditum, conſentire non valeo, dicere pertimeſco &c.* Audiendus eſt etiam alijs omiſſis Dyoniſ. Areop. l. de diu. nom. qui hæc habet: *Cæterum tametſi Virgo Mater naturæ legibus fuit obnoxia, tametſi mortem deguſtauit, tametſi, vt homo, in ſepulchro eſt depoſita, naturæ tamen fines, atque terminos ſuperauit, & exceſſit, neque ſepulchrum, & mortalitas eam in poteſtate ſua retinere potuit.*

Hoc incorruptionis dono Virgineum Matris Virginis corpus mortem eluſit. Inde rein-

ſerta anima reſurgens, immortalitatem induit ſtola gloriæ circumueſtitum. Hæc eſt cõmunis PP. ſententia, vt infra. Egregiè, & fusè hanc Marianam reſurrectionem deſcribunt Auguſtinus, ſiue quilibet alius l. de Aſſumpt. Virg. Mar. tom. 9. c. 2. & Melito in Biblioth. PP. in feſto Aſſumpt. Admirabilem Reſurrectionem Deip. Virg., & gloriam corporis videntur aliqui pro re omnino certa non habuiſſe, vti Petrus Cluniac. l. 3. epiſt. 7. Beda de locis ſanctis c. 6. Ado in plenior. edition. in Martyrolog. ad 15. Aug. & Fulbertus ſerm. perperam adſcripto D. Auguſt. qui eſt 35. inter ſerm. de SS. vt patet ex Iſidoro ibi citato, qui multò poſterior Auguſtino fuit. Sed contrarium certiſſimum eſt, vnde ei refragari ſine ingenti temeritate nemo poteſt, vt docent Caniſ. l. 5. Marial. c. 5. Suarez tom. 2. 3. p. d. 21. ſ. 2. Card. Baroni. an. Ch. 48. n. 12. & alij. Licet autem Canus l. 12. de loc. c. 11. Soto in 4. d. 43. q. 2. a. 1. & Gabriel ſ. 2. de Aſſumpt. contendant non eſſe de fide; eſſe tamen de fide multis aſſerit Catharinus l. de conſumata Chriſti, & Deiparæ gloria diſputans contra illos, qui eo tempore hanc veritatem in dubium reuocabant. Inclinant etiam valde Corduba l. 1. q. 17. §. 1. & Cantipratenſis l. 2. de Apibus c. 29. Latè confirmat totũ hoc Author. l. de Aſſump. tom. 9. inter libros Auguſtini. Probationes efficaciſſimæ infra adducentur; licet vt notat Card. Baron. propenſiſſima in hanc partem Dei Eccleſia, & communis omnium PP., imò & Fidelium ſenſus, ad ſtabiliendam Marianæ huius excellentiæ certitudinem, ſufficiant.

Et quidem Aſſumptionem glorioſam Dei-

paræ magnum in ſcipturis ſacris fundamentum habere manifeſtum eſt. Illa verba cantic. 3. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij?* B. Virg. ad cælum Aſſumptæ attribuunt Rupertus Abb. hic, Hieronymus, ſiue vt alij volunt Sophronius de Aſſumpt. & alij. Simili interpretatione explicat illud Eccleſ. 24. *Benedictionem omniũ gentium dedit illi* Guillelmus in cap. 3. cantic. vti etiam alia cæleſtis Sponſi ad Sponſam Dilectam verba. *Surge, propera Amica mea, Columba mea, formoſa mea, & veni.* Illud Regij Pſaltis pſ. 131. votiuum carmen. *Surge Domine in requiem tuam, tu, & Arca ſanctificationis tuæ* de Aſcenſione Filij Dei, & Dei Matris Aſſumptione myſticè interpretantur Niceph. l. 2. c. 13. & antiquiſſimus Scriptor Michael Glycas 3. parte annal. Eiuſdem Regij Vatis verba pſ. 44. *Adſtitit Regina a dextris tuis in veſtitu deaurato, circundata varietate* pro Deipara ad cælum aſſumpta intelligit S. Athanaſ. ſ. de Sanct. Deip. qui habetur tom. 3. Hanc explicationẽ communiter patitur illud cant. 8. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, delicijs affluens, innixa ſuper Dilectum ſuum?* Sunt enim voces admirationis illorum Angelorum, qui triumpho Marianę Aſſumptionis acclamabant, plaudebantque. Iure mirantur, nã ex eo, quod ipſa innixa erat ſuper Dilectum ſuum, glorioſior extitit Aſſumptio Matris, vt notat Pet. Damiani ſ. de eadem, quam Aſcenſio Filij. Illa etiam viſio Ioannis Apocal. 12. *Signum magnum apparuit in cælo &c.* manifeſtè ſaltem myſticè ad glorioſam Aſſumptionem B. Virg. alludit,

alludit, vt piè, & eleganter multis modis explicat S.Bernar.in hom.ad hunc locum. In eodẽ ſenſu plura alia ſacræ ſcripturæ loca explicat Io. Carthag. tom. 3. arcan.l.14. præſertim hom. 12. illud pſ. 47. *Deus in domibus eius cognoſcetur, cum ſuſcipiet eam*, quod Pagninus vertit. *Deus in domibus eius notus ad eleuationẽ*.

Innumera SS. Patrum, aliorumque grauiſſimorum Scriptorũ ſuffragia glorioſam Aſſumptionem B.Virg.confirmant, & celebrant, Andr. Cret. in duobus ſermonibus de dorm. B.V. qui extant apud Metaphraſtem, Io. Damaſc. ſ. de dorm. B.V. vbi concludit. *Oportebat eam, quæ Creatorem in ſinu geſtauit Infantem, in diuinis verſari tabernaculis* S. Athanaſ.ſ.de Sanctiſſima Deip. S. Germ. Patr. Conſtant. de dorm. Sanctiſs. Virg. S. Gregor. Nazianz.in trag.de Ch. patiente, Michaelis Glycæ 3. parte annal. B. Andr. Monachi Ciſterc. Leonis Imperat. cui Sapientis cognomentum tributum eſt orat.de dorm. B. Virg. S. Gregor.Turon. de gloria Martyr. l. 1. c. 4. & 9. Timothei Præsbit. Hieroſol.de Proph.Simeone, Iuuenalis Epiſc. Hieroſ. cuius verba refert Metaph. de Aſſumpt. Virg. S. Bern. pluribus in locis Rich. de S.Vict. 4. in cant. Vgonis Victor. l.3. Maximi Abb.in or. de dormit. Honorij Auguſtodunenſis in ſermonibus de Aſſumpt. Pet. Dam. in ſermonibus de eadem, & aliorum innumerabilium, quos recenſere, nedum expendere ſuperuacaneum eſt.

Accedunt Scholaſtici DD. S. Thomas 3.p. q. 27. a. 2. in corp. & opuſc. 8. S. Bonauent. in ſpec. c. 2. S. Anton. 1.p. hiſt.t.6. c 3.Io.Gerſon. Alphab. 14. omnes veteres theologi in 3.

diſt. 3. & recentiores in 3. p. Doctoris Angelici.

At ſummam authoritatẽ conciliat Aſſumptionis Marianæ veritati Eccleſia Cathol. quę vnanimi conſenſu feſtũ hunc triumphum B. V. celebrat ab immemorabili. S. Bern. epiſt. 174. duas tantũ feſtiuitates ab Eccleſia in honorẽ B. Virg. vniuerſaliter præceptas ſuo tempore affirmat, Natiuitatẽ ſcilicet, & Aſſumptionẽ. Aſſumptionis celebratæ meminit Conc. Moguntinum ſub Carolo Mag. c. 36. At id multò magis probant antiqui Patres Mag. Athanaſ., Andr. Cret., Michael Glycas, Iuuenalis Hieroſ. & alij ſupra relati. Hæc pulcherrima ad B. Virg. verba inuenio apud Glycam, ex B. Coſma antiquiſſimo Scriptore. *Victricia tropha a contra naturam o Dei vera Mater erexiſti, & imitans Filium tuum, tuumque Opificem, omnes naturæ leges progrederis. Quare verè ſemel mortua, poſtea cum Filio tuo ſemper victura ſuſcitaris.* In reuelationibus Sanctæ Birgittæ, quas approbauit concilium Conſtantienſe, hæc habentur in ſerm. Angel. *Verè remota omni ambiguitate credendum eſt, ſicut a Dei Amicis corpus illud Virginis Beatiſſimæ ſepulturæ tradebatur mortuum, ita ab ipſo Deo Filio ſuo amantiſſimo ad vitam perpetuam viuum cum anima venerabiliter eſt aſſumptum.* Adducitur miraculum non conſumptorum cereorum in die feſto Marianæ Aſſumptionis a Petro Cluniac. l. 2. de mir. c. 30. & aliud ab Auctore Pomerij ſerm. B. V. l. 10. p. 1. a. 3. de quodam venerabili Antonio Ord. S. Franciſci, cui B. Virgo ſtipata Angelorum Choris dixit. *Securè Antoni veritatem hanc, & credere, & prædicare*

potes.

potes. Hinc cum Eccleſia Catholica iure optimo poteſt totus orbis Chriſtianus exclamare. *Exaltata eſt Sancta Dei Genitrix ſuper choros Angelorum ad cæleſtia regna*, & ſummæ temeritatis reus eſſet, qui huic veritati contradiceret, iuxta ea, quæ habet Card. Baron. in præſenti materia an. Ch. 48. *Perfricatæ frontis*, inquit, *& procacis animi indicium eſt, Eccleſiæ vniuerſalis vſui, & tot Patrum ſenteutijs non aquieſcere*. Cur autem hæc veritas ab initio non ita clara, magis, & magis deinde illuſtrari ceperit, nec totam ſuam lucem primis Eccleſiæ ſeculis explicarit, ipſa B. Virgo apud S. Birgittam l. 6. reuel. c. 67. reſpondet. *Quia verò Aſſumptio mea non multis cognita fuit, nec prædicata à pluribus, hoc voluit Deus, qui eſt Filius meus, vt prius infigeretur cordibus hominum credulitas Aſcenſionis ſuæ, quia corda hominum difficilia, & dura erant ad credendam Aſcenſionem eius, quantò magis ſi prædicata fuiſſet ſtatim initio fidei Aſſumptio mea.*

Efficaciſſimæ etiam rationes non deſunt ad ſuadendam Aſſumptionem B. V. Alijs omiſſis, quas vſque ad nouem expendit Io. Carthag. t. 3. Arcan. l. 14. hom. 13. vnam eligo, cui licet morali, omnes aquieſcere deberent. Nullibi terrarum ſacræ reliquiæ virginei corporis vnquam inuentæ ſunt. An putandum eſt Deũ, qui voluit tot SS. ſeruorum ſuorum corpora illuſtrari miraculis, & ſumma fidelium veneratione cohoneſtari, permiſiſſe, vt ſuæ Matris corpus, ſi non eſſet terris ereptum, cæloque illatum, iaceret tot ſeculis ſine nomine in terræ ſinu, ſine vllo fidelium cultu, ſine vlla prodigiorũ celebritate prorſus ignotum? Abſit

hoc

hoc cogitare de tantæ potentiæ amantiſſimo Filio, de tantæ excellentiæ digniſſima Matre, de corpore Auguſtiſſimo, in quo corporatæ Diuinitatis Sancta-Sanctorum licet venerari, de corpore quod eſt, vt loquitur Gregor. Neocæſar. or. 3. de Aſſ. *domicilium æquiualens cæli, & terræ*, & vt Method. or. de Hypap. *theſaurus amoris Dei Patris*. SS. Petri, & Pauli Apoſtolici Senatus Principum corpora, vt notat S. Bern. ſ. de Aſſumpt. *ita Deus venerabilia reddidit, vt ad ipſa* (melliſtui Doctoris verba ſunt) *mundus properet vniuerſus*. Hinc concludit. *Si Maria corpus ſuper terram eſſe dicatur, cum nec deuota frequentatione fidelium veneretur, nec eidem deputetur locus honoris, nimirum Chriſtus videbitur honorem materni corporis conſumpſiſſe, cum tamen ſuper terram aliorum corpora ſic honoret*. S. Ambroſio e cælo reuelata ſunt SS. Geruaſij, & Prothaſij corpora, ne ignota iacerent, & debitæ venerationis gloria carerent. An permiſiſſet Deus ab initio naſcentis Eccleſiæ, vſque ad hoc mundi ſenium, beata illa viſcera, quæ portauerunt æterni Patris Filiū, beata vbera, quæ lactauerunt Chriſtum Dominum, ab omnibus ignorari, & ſi fas eſt dicere, miſerabiliter latere. Ipſa Clementis, & Catharinæ ſepulchra voluit Deus, nedum corpora innoteſcere orbi chriſtiano, & ſumma religione coli. S. Stephani Primicerij martyrum, vt SS. Patres loquuntur, corpus diuinitus fuit Iuliano Præsbitero reuelatum, & innumeris miraculis, vt teſtatur S. Auguſtinus, illuſtratum, vnde & pio cultu ſingulis annis tota Eccleſia fortunatam ſancti corporis inuentionem celebrat. Hanc prærogatiuam

in

in Dei Matre conuenientiſſimè adſtruimus; quæ non ſolum MARTYRVM prope Crucem, ſed VIRGINVM, vt loquitur S. Bern. ſ. in ſig. mag. & hom. 3; ſuper Miſſus eſt *Primiceria fuit*, imo vt ait Andr. Cret. ſ. 2. de Aſſumpt. *omnibus Sanctis Sanctior*, & vt Pet. Dam. ſ. 3. de Natiu. B. V. *Sacrarium plenitudinis totius Diuinitatis*. Philoſophandum igitur eſt cum Auguſt. ſ. de Aſſumpt. dicente. *Quia in vita præ cæteris illam gratia ſui conceptus honorauit, pium eſt credere ſingulari ſalutatione, eam in morte ſpeciali gratia honoraſſe*. Nec recurrendum eſt ad legem vniuerſalem de Reſurrectione poſt conſumationem ſeculi iuxta illud 1. ad Cor. 15. *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur*, tum quia illi Sancti, qui dormierant, & reſurgente Domino ſurrexerunt, vt habemus Matth. 27. iuxta ſententiam Orig. l. 1. in Epiſt. ad Rom. Clem. Alex. l. 1. Strom. Epipha. hær. 75. Ambroſ. l. 4. de fide c. 1. ac tandem Anſel. in loc. cit. Matth. in cælum cum eodem Domino Aſcendente immortales corpore, & anima aſcenderunt, tum quia vt bene concludit de Deip. Sanctiſs. loquens S. Auguſ. ſ. de Aſſumpt. tom. 9. *Non immeritò ergo excipitur à quibuſdam legibus generalibus vera æſtimatione, quam tanta ſeruat gratia, & attollit dignitatis prærogatiua*. Etiam iuxta humanæ Iuris-prudentiæ effata habetur in lege Princeps ff. de legibus. *Imperator in pignus amoris communicat Imperatrici ſua iura. Qui mihi miniſtrat me ſequatur* (oraculum veritatis eſt Io. 20.) *& vbi ego ſum, illhic & miniſter meus erit*. Idem Auguſt. ibidem poſt explicatum fusè, celebratumque miniſterium eminentiſſimum Matris exhibi-

exhibitum Filio concludit. *Conſideratis igitur his vniuerſis vera ratione confitendũ cenſeo Mariam in Chriſto, & apud Chriſtum eſſe.* Confitendum eſt, *niſi* vt ait S. Method. hom. de Hyp. *forte non creditur Dei Filius honorare Matrem, aut ei, cui obſtringitur, nolle impenſas curas, & beneficia rependere. Quis ergo illius corporis ſplendorem nullis noſtratibus comparationibus adaquandum, quis dotes illius Sacrarij vita, quis prarogatiuas, & ornamenta nullis aliorum Sanctorum corporibus, vel conceſſa prius, vel deinceps concedenda, fando explicet?* Et hæc de veritate Marianæ Aſſumptionis ſufficiant.

An Aſſumptio B.V. tertia poſt mortem die acciderit, & vbinam fuerit illo triduo Anima beatiſſima?

II.

ADmirabilem virginei corporis Reſurrectionem, & glorioſam Aſſumptionem ad cæleſtem gloriam ſequutam fuiſſe tertia poſt mortem die, fert communis SS. Patrum & Scriptorum Eccleſiaſtic. ſententia, licet reuelatio quædam facta S. Eliſabethæ Hungaricæ, quam Card. Baron. ad 15. Aug. refert ex Io. Beletho eidem Sanctæ, æquali lib. de offic. c. 144., & ex S. Antonino quadrageſimam attribuat. Vbi nam fuerit illo triduo ante Reſurrectionem Anima eius beatiſſima, inutilis eſt queſtio? Nam certum eſt fuiſſe beatam. Animæ vero beatæ videnti Deum in ſuo lumine, ſicuti eſt, omnis locus Paradiſus eſt, quo neque carent Angeli Cuſtodes in mundo noſtrate. Aliqui vt ſepulchrum Marianum, glorioſum magis efficiant, dicunt Animam beatã

Deiparę

Deiparę Virginis, fuiſſe corpori veluti aſſiſtentem, vt loquuntur Scholæ de Angelis, quando corpora aſſumunt, non informantem, vlloue vnionis vinculo alligatam. Ineptiæ ſunt, quaſi Chriſti Domini ſepulchrum non ſatis fuerit glorioſum, a triduana ſtatione ſanctiſſimi corporis, & poſt illam Anaſtaſi triumphali. Probabilius eſt Animam glorioſam B. V. ſtatim in cælo empyreo in faſtigio gloriæ ſuæ fuiſſe locatam, ac poſt triduum reinſertam corpori, aſſumptā ſimul cum ipſo ad cælū, ſedemque ſuā.

An Marianum priuilegium fuerit reſurgere in ſexu fæmineo.

III.

AB alia quæſtione pendet, nimirum an fæminæ in Anaſtaſi vniuerſali habituræ ſint ſexum fæmineum, an virilem. Falſum eſt mulieres reſurrecturas in ſexu virili, vt docent S. Auguſt. l. 22. de Ciu. Dei c. 17. S. Hieron. ep. 27 & 61. & antiquus Doctor Tertullianus de Reſurr. Carnis c. 60. Imò fuiſſe hoc definitum in S. Synodo contra Orig. refert Niceph. 17. hiſt. c. 28. Fusè confirmat Caſtro v. Reſurr. hær. 5. Illud Apoſt. ad Epheſ. 4. vbi Apoſtolus dicit *omnes occurſuros Chriſto in virum perfectum* intelligi debet neminē fore cognitione paruulū (ſub hoc typo huius vitæ ſtatus ſignificatur) ſed omnes viros perfectos cognitione rerum diuinarum.

Quomodo Dei Matrem reſurrexiſſe Apoſtoli deprehenderint, & ereptum terris corpus in cælum migraſſe?

IV.

HAnc hiſtoriam narrat ſupra allegatus Niceph. c. 23. ex Iuuenali Patriarcha Hie-

roſolym. his verbis. *Iuuenalis Hieroſolymorum Epiſcopus, magnus ſanè, diuinoque afflatus Numine vir, ex vetuſta traditione rem hanc ſic geſtam ſcriptis ſuis cum fide confirmat. Dicit enim totum triduum Apoſtolos, ad monumentum diuinorum Hymnorum carmina audientes perſeueraſſe. Accidit autem rurſum, vt Thomas ab eis abeſſet, videlicet, vt nota, perſpectaque diuina Genitricis fieret Aſſumptio, vt antea Filij eius, pro eo; atque decebat poſt diem tertium Reſurrectio. Ingenti afficiebatur dolore, nec quieto animo eſſe poterat Thomas, quippe qui tanti boni non fuiſſet particeps. Sacer autem ille chorus iniquum eſſe iudicans, ſi ille quoque diuinum Virginis Matris corpus non ſpectaret, atque complecteretur, aperiri monumentum iubet. Quod quidem vbi ita eſt factum, deſideratum illud corpus non comparuit, ſepulchralia tantum lintea rite compoſita loco manebant itidem, vt Filij quoque eius in ſepulchro relicta, quæ & ipſe, & qui cum eo aderant, cum veneratione exoſculati, incredibilique voluptate, odoriſque ſuauitate repleti, ſepulchrũ quidem ad priſtinum conformant modum; miraculum autem ipſum quaſi per manus ſubinde poſteris traditum ad nos quoque tranſmiſerunt.*

An cælites omnes in cælum migrans obuios habuerit.

V.

OMnes cælites obuios habuiſſe teſtatur S. Hildephonſus ſ. 1. de Aſſumpt. non ſolũ Angelos, ſed etiam Sanctos, & illa præſertim centum quadraginta quatuor Sanctorũ millia, qui ſequuntur Agnum. Subdit, quod *tenentes cytharas ſuas* (eius verba ſunt) cecinere *cum*

omni fragore cæli canticum nouum, quod nemo poteſt dicere, niſi ipſi, qui hodiè feſtiuè veniunt obuiam cum cytharis ſuis, ac latè in ſuo beatam choro excipiunt Virginem, non qualemcunque, ſed vnam de numero prudentum, & primam omnium inter primas, quæ vadit poſt Agnum proximior. De Angelorum Hierarchijs dubitari non poteſt. Si affuerunt morti, an deeſſe poterant Aſſumptioni? Eos ſuauiſſimis cantibus Marianum hunc triumphum celebraſſe omni vocum, & fidium modulatione, alijſque feſtis modis deſcribit S. Athanaſ. ſ. de Aſſumpt. Hac pia meditatione omnium Angelorum officia, & plauſus canoros, ſonoroſque diſtribuit S. Gerardus Epiſ. & Martyr hom. de iubil. Virg. Aſſumpt. *Hodie B. Virginem cæli ſuſceperunt lætando, Angeli gaudendo, Archangeli iubilando, Throni exultando, Dominationes pſallendo, Principatus harmonizando, Poteſtates cytharizando, Cherubim, & Seraphim hymnizando, vſque ad ſupremum diuinæ Maieſtatis tribunal deducendo.* Circa Sanctos occurriſſe dicit antiquus theologus Ord. Prædic. in ſuo Marial. ſ. 7. de Aſſumpt. *Virgines in orbe Lunæ, Confeſſores in orbe Mercurij, Martyres in orbe Veneris, Apoſtolos in orbe Solis, Prophetas in orbe Martis, Patriarchas in orbe Iouis, omnes Angelos in orbe Saturni.* Pium commentum eſt, ſed nullo fundamento nititur, cum talis diſtributio omnino arbitraria ſit, licet aliquibus congruentijs moralibus fulciatur a Io. Carthag. l. 3. Arc. l. 1. hom. 3. a quo etiam ibidem adducuntur Cęlitum omniũ ad B. Virginem encomiaſticæ alloquutiones.

An etiam Chriſtum Dominum, & an innixa ſuper Dilectum ſuum cælum intrarit?

VI.

OCcurrere obuij non tantum omnes Cælites effuſo veluti cælo B. Virgini, ad ſuæ gloriȩ faſtigium aſſurgenti, ſed etiam Rex Regum, & Dominus dominantium, inter cuius diuinos amplexus, teſte S. Bern. ſ. 1. de Aſſ. cælũ intrauit Dilecto Filio ſuo, & Sponſo innixa, iuxta illud cantici 8. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens, innixa ſuper Dilectum ſuum?* Mirati ſunt Cælites omnes triumphatricem Virginem, nullo alio triumphali curru in ſublime euehi, vnde poſſet de Dilecto ſuo dicere. *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* In hoc ſolio Maieſtatis, dum ad ſolium gloriȩ, aſcenderet, Dei Matrem contemplatur mellifluus Doctor, & in hæc dulciſſima, ac mellita prorſus verba erumpit. *Super hunc innititur Mater illa feliciſſima, & in aureo reclinatorio diuinæ Maieſtatis recumbens inter Sponſi, imo Filij ſui bracchia requieſcit. O quanta dignitas, quam ſpecialis gloria inniti ſuper illum, quem reuerenter colunt Angelicæ poteſtates! O amabiles vices! Rependit Filius immenſus cæli, terræque iam Regnator Matri officium, quod ipſa præſtiterat, cum Infantem, & paruulum ſæpius bracchijs ſuis innixum geſtauit, verum nimirum Salomonem in ferculo illo aureo, cuius columnæ argenteæ, & media erant charitate conſtrata.*

An

An Aſſumptio Deiparæ in aliquo decore Aſcenſionem Redemptoris ſuperarit.

VII.

SCio diuina incomparabilia eſſe, & humanis paralella eſſe non poſſe. In aliquo tamen decore Aſſumptio Mariana, vt notat Pet. Dam. ſ. de Aſſumpt. Chriſti Domini Aſceuſionem ſuperauit. *Soli quippe Angeli*, ait, *Redemptori occurrere potuerunt; Matri verò cælorum palatia penetranti, Filius ipſe cum tota curia, tam Angelorum, quam Iuſtorum ſolemniter occurens euexit ad beata conciſtorium ſeſſionis.* Et certè Filium Triumphatorem nubes curulis liquabilis, & euanida ad cęlum extulit; Matrem verò triumphalem ipſe Sol æternus tota lucis ſuæ maieſtate complexus, cælo intulit.

Quibus verbis Matrem Filius ad cæleſte capitolium inuitarit?

VIII.

ALloquium dulciſſimum, quo ad Regni cæleſtis ſolium Filius Matrem inuitauit his verbis exprimit Guarricus Abb. ſ. 2. de Aſſ. *Veni igitur electa mea, & ponam in te thronum meum. Non inprimam labia labijs, ſed ſpiritum ſpiritui, oſculo perpetuo, & indiſſolubili, quia concupiui ſpeciem tuam etiam deſiderantius, quam meam; nec ſatis glorificatus videbor mihi, donec tu glorificeris.*

De palmata, laureaque cæleſti, & alijs ornamentis Virginis Triumphatricis.

IX.

DE his nihil magnificentius dici poteſt, quam id quod dilectus IESV, & MARIÆ

Ioannes diuinitus in ſtuporis extaſi deſcripſit, & habetur Apocal. 12. *Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona Stellarum duodecim*. In hac Muliere, quam Sol, Luna, Stellæ, & omnia cæleſtia decora illuſtrant, Deip. ſanctiſſimã ſignificari aſſerunt S. Epiph. de laud. Virg. S. Auguſt. l. 4. de ſymb. ad Catechum. c. 1. S. Bern. hic S. Ambroſ. in 12. Apoc. & alij multi. *Signum*, inquit tanti prodigij admirator, laudatorque Bernardus, *magnum mulier illæſa manens amicta Sole! Non eſt mulieris potentia, vt ſuſtineat Solis amictum, non eſt virtutis humanæ, ſed nec Angelicæ quidem. Sublimior quædam neceſſaria eſt. Stupendum miraculum* exclamat etiam S. Epiph. de laudibus Virg. *Mulier Sole amicta lucem in vlnis geſtans!* Ita aſcendens cæli Regina æterno Sole paludata fuit, vt ipſa etiam Sol ſereniſſimus videri potuerit. *Sol myſticus* appellatur a Philippo Abb. l. in cant. c. 10. Rich. a S. Laur. l. 7. a pag. 453. fuſiſſimè, Iordane p. 14. c. 13. & alijs. De ea intelligit S. Hieron. illud Regij Pſaltis *In Sole poſuit tabernaculum ſuum*, & iure cum illam ediderit cuius *nomen oriens*, & qui *Sol iuſtitiæ* fuit, *& ſanitas in pennis eius*. Illa verba cantic. 6. *Quæ eſt iſta quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens, pulchra vt Luna electa, vt Sol &c.* de B. V. explicat Rup. Abb. l. penul. in cant. ita vt aurora conſurgens ſit MARIA naſcens, Luna pulcherrima MARIA diuini Verbi Mater, Sol electus MARIA ad cælum aſſumpta. Ille itaque Sol eſt iuxta Petrũ Dam. ſ. de Aſſumpt., qui omnium Stellarum, Empyrei nimirum SS. omnium lucem glo-

riæ

rię ſuę ſplẽdore incomparabili hebetat. Vnde meritò dicebat magnus ille, & ſanctiſs. Vir Thomas a Villanoua conc. 1. de Annunc. *Tolle Solem: quid eſt in mundo niſi tenebræ? Tolle Mariam ab Eccleſia; quid reſtat niſi caligo?* & ſapientiſſimus Idiota in prol. de B. Mar. *Non eſt, qui ſe abſcondat a calore eius, ideſt a charitate, & dilectione ipſius*. Sol ſpectabilis mundi noſtratis a S. Thoma *fons ſplendoris* apellatur, & *fornax ardoris*, & a Martiano philoſopho apud Authorem Incognitum de propriet. rerum *Principium lucis, Rex naturæ, mens mundi, fulger Olympi*, & a S. Ambroſ. in exam. *iucunditas diei, & pulchritudo cæli*. At potiori iure hi tituli in myſticum noſtrum, Solem cadunt, qui vt aduertit Philippus Abb. loc. cit. *Sol eſt, cuius ortus neſcit occaſum*, & vt eleganter, ſed verè pronunciat Honorius Auguſtodun. in ſig. S. Mar. c. 1. *Sol eſt, totus meridies de Spiritu Sancto feruens, ac ſplendens*.

A Sole, quo purpurata apparuit MARIA Deipara in ſua triumphali Aſſumptione nullã ecclipſim paſſa eſt. Luna pedibus, veluti ſoliũ volucre argenteum ſuppoſita, nullam combuſtionem, licet in tanta vicinia ſummi fulgoris. Hæc eſt Eccleſia Sancta iuxta D. Antonin. 4 p. t. 15. c. 20. *quoniam Eccleſia*, ait, *iure ſub pedibus eſt Virginis, non tantum ſub eius patrocinio, verum etiam ſub eius dominatione, ac poteſtate*. In eodem ſenſu loquitur S. Bern. in ſig. mag. vnde ipſa B. Virgo hac Luna calceata videri potuit, non vt apud impios idololatras ficta cæli Regina, ſed vt canit S. Eccleſia *vera Regina cælorum*, cui illud Eccleſiaſ. 11. conuenit *Vas caſtrorum in excelſis, in firmamento cæli re-*

ſplendens glorioſè, iuxta obſeruationem Voraginis Archiepiſ. Ianuenſis ſ. 8. de B.V. Iuſtum opus ſub Lunæ myſticæ nouæ, ecclipſatæ, plenæ, dominatricis, ac bellatricis titulo editũ eſt a Maximiliano Sandeo Societ. Ieſu. *At quis*, vt exclamat S. Bern. ſer. 1. de Aſſumpt. *illas aſtimet gemmas: quis ſtellas numeret, quibus Maria Regium diadema compactum eſt?* Hæc corona gloriæ, & diadema ſpeciei procul dubio inæſtimabilis pretij fuit. Vtcunque ſplendidiſſimæ fuerint coronariæ ſtellæ, quibus diademata rerum Domina radiauit, illas ſuæ faciei ſplendoribus longè ſuperauit, iuxta eundem Bern. ſ. in ſig. mag. *Dignum* ait *planè ſtellis coronari caput, quod ornet potius eas, quam ornetur ab eis*. Ipſe Chriſtus Dominus, & Filius *corona Matris* dicitur a Guillelmo Abb. ſ. 2. in cant. & a B. Amed. Lauſan. hom. 6. de B. V. cum ait. *Corona capitis eius Chriſtus eſt, dicente ſapientiſſimo, quod Filius ſapiens ſit corona Matris ſua*. Ipſa quoque B. Virgo his ſtellis coronata, fuit corona Chriſti, & corona ſtelligera quidem, ſed omnino noctis neſcia, inſolenti commercio ſtellarũ, & Solis, ſemper illuſtris. Vnde potuit dicere Philipp. Abb. l. 4. in cant. c. 6. ad illud cant. 3. *Egredimini Filia Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum Mater ſua. Quidquid in Virgine agitur noctem neſcit, cui Regem carne coronanti dies infunditur, lux ſplendeſcit*. Eius virtutes ſignificari ſtellarum nomine planè cæleſtes, & ferè innumerabiles SS. Patres, & MARIÆ Panegyriſtæ paſſim aſſerunt. Elegantiſſimè expreſſum eſt Protheo illo verſu, qui idem metrum poeticum retinens mille viginti duas in

vocum

vocũ tranſpoſitione variationes admittit, quo numero ſpectabilia aſtra ab Aſtrologis cenſentur.

TOT TIBI SVNT DOTES VIRGO, QVOT SIDERA CÆLO.

Iure itaque B. Virgo non ſolum ſub ſtellæ nomenclatura a SS. Patribus celebratur, ſed in altercatione Synagogæ, & Eccleſiæ cap. 7. *ſtella ſtellarum* indigitatur.

Vnde ſignum in cælo magnum, nouumque veluti cælum videri potuit.

X.

IN hoc paludamento Solis, Lunæ ſolio, & corona ſtellarum videri potuit B.V. aſcendens in cælum *ſignum magnum* Dilecto Ioanni, & a S. Epiph. or. de laud. Deip. dici *miraculum ſtupendum in cælis*, a S. Io. Chryſoſt. or. de Hypap. *miraculum magnum mundi*, & a S. Io. Damaſc. or. 1. de Natiu. B.V. *miraculorum abyſſus*. Imò quia aſcendit in cælum Regina cælorum nouo hoc, & admirabili cælo induta, nouo titulo ab eodem Io. Damaſc. or. de Aſſumpt. animatum cælum ſalutari meruit. *Virgo immaculata* ait *cum eſſet nouum cælum in cæleſtibus tabernaculis collocatur*, & or. 1. de Natiu. *Cælum viuum, cælis ipſis latius*, & iure cum Deum capere potuerit, non cælo tantum, ſed mundo maiorem. *Cælum eſt B. Virgo, tum quia* inquit S. Bonau. in ſpec. *cæleſti puritate, cæleſti charitate, cæleſtibus alijs virtutibus abundauit, tum quia ſedes Dei altiſſima fuit, qui in cælo parauit ſedem ſuam*, *Cælum* vt loquuntur S. Epiph. or. de Deip. & Rich. a S. Laur. lib. 7. *ſplendidũ incomphrehenſum cælis, Deũ continens.*

 Fuitque

Fuitque ſummo plauſu, ac planè triumphali excepta.

XI.

ILla, quæ ad Aſſumptionis glorioſæ triumphum pertinent, Aſcenſum Matris, Occurſum Filij, Cælitum plauſus copioſè deſcribunt Rich. a S. Laur. l. 6. de Deip. p. 430. Dyoniſ. Carthuſ. l. 4. de laud. Deip. a. 11. & 12. Io. Carthag. t. 3. Arcan. l. 14. hom. 27. Maſellus l. 6. vitæ B. V. & alij. Si tamen deſcribi poſſunt, nam ineffabilia eſſe teſtatur S. Bern. ſ. 1. de Aſſumpt. his verbis. *Quis cogitare ſufficiat, quam glorioſa hodie Mundi Regina proceſſerit; & quanto deuotionis affectu tota in eius occurſum, cæleſtium regnorum prodierit multitudo? Quibus ad thronum gloriæ canticis ſit deducta? Quam placido vultu, quam ſerena facie, quam diuinis amplexibus ſuſcepta a Filio, & ſuper omnem exaltata creaturam, cum eo honore, quo tanta Mater digna fuit, cum ea gloria, quæ tantum Filium decuit.* Mihi quando Deip. Sanctiſſimæ glorioſam Aſſumptionem, quam S. Hildeph. ſ. 1. de Aſſ. *ingentem triumphum* vocat, explicare nulla verborum vi valeo, licebit ſaltem terræ, cælique Triumphatricem, Virginem Matrem Magni Theol. Gregor. Nazianz. in trag. de Ch. pat. nobiliſſimo tetraſticho adorare, ac ſalutare.

O ter beata Mater, ò lux Virginum,
Quæ templa cæli lucidiſſima incolis,
Mortalitatis liberata ſordibus!
Ornata iam immortalitatis es ſtola!

De throni cæleſtis, ad quem euecta eſt Dei Mater Aſſumpta, ſublimitate prope Auguſtiſſimum thronum Filij.

XII.

IMmortalis, & beata iam anima ſimul, & corpore Dei Mater ad cælum Aſſumpta in ſublimi throno locata eſt, infra quidem, ſed prope Filium ſedentem ad dexteram Patris. *Aſſumpta eſt* canit S. Eccleſia *Maria ad æthereum thalamum, in quo Rex Regum ſtellato ſedet ſolio*. Hinc a S. Ephrem de laud. Virg. cum exaltata fuerit ſuper omnes choros Angelorum ad cæleſtia regna, dicitur *Regina, ac Domina cunctis ſublimior*. Sedit ſuper Thronum ſuum Salomon, ſiue pluſquam Salomon Dei Filius, Princeps pacis, vt habemus 3. Reg. 2. *poſituſque eſt thronus Matris Regis, quæ ſedit ad dexteram eius*. Ad hunc thronũ *ſuper- ſolemniter* erectam fuiſſe dicit S. Hildeph. ſ. 1. de Aſſump. Similia habet Sophron. ſ. 1. de Aſſ. *Hæc dies* inquit *omni ſeculo veneranda, in qua meruit exaltari ſuper choros Angelorum, & peruenire vltra quam noſtra humanitatis eſt natura, vbi non ſubſtantia tollitur, ſed gloriæ magnitudo monſtratur, cum eleuatur in dexteram Patris: vbi Chriſtus pro nobis introijt Pontifex factus in æternùm ad cæli palatium*. Hunc Throni Mariani apicem deſcribit etiam S. Auguſt. ſ. 35. de SS. & ſ. de Aſſump. his verbis. *Tibi Domina dignè thronus Regis gloriæ debetur: te ipſe Rex gloriæ, vt Matrem veram, & decoram Sponſam præ omnibus diligens amoris amplexu aſſociauit*. Magnificẽtiſſime quoque de hoc ſublimi trhono loquuntur B. Pet. Dam. ſ. de Aſſ. & S. Io.

Damaſc. or. 2. de dorm. Virg. Sed nullus mã-gnificentius D. Bernardo loquutus eſt, cum dixit ſ. de Aſſ. *Sublimior eſt iſta dies, & ſplendidiori Sole refulgurans, in qua Virgo Regalis, ad Tronum Dei Patris euehitur, & in ipſius Trinitatis ſede repoſita, naturam etiam Angelicam ſollicitat ad videndum. Tota conglomeratur Angelorum frequentia, vt videant Reginam ſedentem a dextris Domini virtutum, in veſtitu deaurato, & in corpore immaculato, circundatam varietate gratiarum, & diſtinctam multiplicitate virtutum.* Hæc ad theologicam lancem expenſa nihil aliud euincunt, quam id, quod docet Suarez 3. p. q. 37. a. 4. nimirum Virginem Matrem ſupra omnes Angelorum choros infra Filium peculiarem quandam Hierarchiã, & ſupremam conſtituere. Id ipſum expreſſit egregiè alterũ Societatis noſtræ lumen Card. Bellarm. ad illa verba pſ. 44. *Aſtitit Regina a dextris tuis.* Sed apertiſſimè omnium loquutus eſt Io. Gerſon Cancell. Pariſ. cum de B. Virg. tr. 4. ſuper Magnif. dixit. *Sola conſtituit Hierarchiam ſecundam ſub Deo Trino, & vno Hierarcha primo, & ſummo, apud quem Hierarcham Humanitas Filij ſui ſola ſublimata ſedet a dextris virtutis Dei, per vnitatem ſuppoſiti.* In faſtigio gloriæ ſuæ vicinam Filio Dei Matrem eſſe fusè luculentiſſimis SS. Patrum teſtimonijs probat Spinellus in Throno Dei c. 12., additque incomparabilis ſupra alios gloriæ ſolida inſignium rationum fundamenta. Concludendum eſt ergo cum D. Bern. ſ. 1. de Aſſumpt. magnificentiſſimo illo magnæ Virginis elogio. *Nec in terris locus dignior vteri virginalis templo, in quo Filium Dei Maria ſuſcepit,*

ſcepit, nec in cælis regali ſolio, in quo MARIAM Filius ſublimauit.

De gloria eſſentiali animæ quoad vtrunque obiectum primarium, & ſecundarium, & an alios beatos omnes etiam ſimul ſumptos excesserit.

XIII.

IN Throni MARIÆ Deiparæ ſublimitate, gloriæ eius ſublimitas ſuſpici poteſt. Certum eſt eius gloriam abyſſo gratiæ, cui immerſa eſt, fuiſſe commenſuratam, in ea ſingulari, quam ipſa conſtituit infra Chriſtum Dominũ, ac Filium ſuum, Hierarchia, plena gloria, vti prius fuerat plena gratia. De hoc Dei Matris gloriæ faſtigio agunt fusè Sybillanus decade 2. c. 10. q. 2. Spinellus in Throno Dei, Dyoniſius Carthuſ., Richardus a S. Laur. Nouarinus in vmbra virginea, & alij innumeri, tum SS. Patres, tùm Doct. Scholaſt. tùm vitæ Marianæ Script. tùm laudum eius Panegyriſtæ. *Tota Chriſtianitas* inquit S. Anſelm. de excell. Virg. c. 4. *quæ illam nouit, ſuper omnes cælos exaltatam, & Angelicis choris prælatam certiſſimè*. S. Epiph. eam alloquens dicit *Maria ſolo Deo excepto cunctis ſuperior exiſtis*. Vnde iure a S. Ephrem de laud. Virg. *Omnibus ſuperis exercitibus glorioſior dicitur, præſtantiſſimum orbis terræ miraculum, omnium SS. corona ob fulgorem inacceſſa*. In hoc ſenſu eam admirans B. Laur. Iuſtin. ſ. de Aſſ. ſic exclamat. *Magnum reuera miraculum Fratres dilectiſſimi fuit ſemper B. Virgo Maria. Quid namque illa maius, aut illuſtrius vllo vnquam tempore inuentum eſt, ſeu aliquando inueniri poterit? Hæc ſola cælum, ac terram*

magnitudine ſuperauit. Similia habent S. Io. Damaſc. or. 1. de dorm. Virg. S. Hieronymus ſ. de Aſſumpt. & allj SS. Patres, quando de gloria B. Virginis agunt, vt probat S. Bonau. l. de laud. Virginis. Sed expreſsè excellentiam Marianæ gloriæ ſupereminētem omnibus explicat Angelicus Doctor S. Th. per ſeptem Beatorum ordines diſcurrens, Angelorū, Patriarcharum, Prophetarum, Appſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, & Virginum l. de ſolemnit. SS. ad illa verba Eccleſ. 24. *Quaſi Cedrus exaltata ſum in libano, concluditque quod ſicut habuit meritum omnium, & amplius, ita congruum fuit, vt ſuper omnes ponatur ordines cæleſtium*. Hic tamen dubitari poteſt an ſola B. V. non tantùm ſingulorum, ſed omnium ſimul Beatorum gloriā, gloriæ ſuæ magnitudine ſupereminens excedat. Scio hoc etiam a grauiſſimis Doctoribus inſinuari, ſed non audeo definire controuerſiam. Audio B. Laur. Iuſtin. ſ. de Aſſumpt. dicentem. *Meritò quidquid honoris, quidquid felicitatis habetur in ſingulis, hoc totum abundat in Virgine*. B. quoque Pet. Dam. ſerm. 40. ad illa verba *Electa vt Sol* comparans Deiparā cum Sole, & alios Sanctos cum Stellis concludit his verbis. *Sic & Virgo inter animas Sanctorum, & Angelorum Choros ſupereminens, & euecta, merita ſingulorūm, & omnium titulos antecedit*. Hæc queſtio definienda eſt iuxta ea, quæ de plenitudine gratiæ diximus, nam gratia ſemen eſt, & menſura gloriæ. Illud certum eſt, quod Virgineus Procus magnæ Virginis protulit S. Bernardinus Sen. t. 3. ſ. 11. a. 3. c. 7. *Sicut Filius Mariæ eſt Sanctus Sanctorum, ita conſtat, quod Mater, quæ ipſum portauit, eſt Sancta*

Sta

cta Sanctorum. Iure ergo obſtupeſcit admirator tantæ gloriæ doctiſſimus Vir Nicolaus Card. Cuſanus l.4. ad illa verba. *Maria optimā partem elegit*, vbi ait. *O quam excellenter tum eleuata Virgo Maria ſuper omnes cælos ad electionem optimi perducta eſt, quæ electa eſt Mater Ieſu, & Verbi, & lucis, & rationis, & veritatis! O quam altè ſuper viſiones intellectuales ipſa illud vnum indiuiſibile videt, & quam ſano palato vnum fontem vitæ guſtauit, & guſtat!*

Hæc de gloria eſſentiali quoad obiectum primarium, nimirum Deum. Alia eſt ratio de gloria quoad obiectum ſecundarium, nimirū illas creaturas, quas beatus videt ex vi talis luminis gloriȩ in Deo tanquam in ſpeculo voluntario. Aſſerendum eſt B. Virginem videre plura, quā omnes beatos, quia Dei Mater, vt notat Theoph. Rayn. in Dipt. Mar. parte 2. p. 10., præter ſtatum ſuum particularem, habet quendam ſtatum vniuerſalem, vt ſub Chriſto aliquatenus cauſa vniuerſalis in genere gratiæ, eſt Eua innocens Mater viuentium, Eccleſiæ Patrona, Regina rerum. Hunc ſtatum firmant tituli illi, quibus apellatur B. Virgo à S. Hieron. epiſt. de Aſſumpt. *Mediatrix noſtra*, & a S. Auguſt. ſ. 17. de Natiu. Dom., qui explicandi ſunt iuxta ea, quæ ſupra diximus in queſtione, an Mater Filium iuuerit in Redemptione mundi. Cum ergo Beati videant in Verbo Diuino, quæ ad proprium ſtatum pertinent, patet B. Virginem videre quidquid alij Beati vident, & multa alia. Ita Doctiſſimus Raynaudus Philoſophatur.

De gloria corporis.

XIV.

ANimæ gloriam, cum ſuis dotibus ſequitur inſeparabiliter gloria corporis. Dyoniſius Carthuſ.l.4.de Laud Deip.a.7.aſſerit quadruplicem prærogatiuam corporum beatorũ, eò illuſtrius veluti floruiſſe in Dei Matre glorioſa, quò maior fuit, & perfectior animę gloria, ad quam iſtæ dotes beatæ progerminant. Vnde iure ad animæ, & corporis pulchritudinem reſpicientes, Dei Matrem cum Georgio Nicomed. or. de Oblat. Deip. ſalutare poſſemus. *O pulcherrima pulchritudo pulchritudinũ!* Sed qui Aſſumptæ Deiparæ pulchritudinem miramur: cur affixi terris volutamur in luto, cur non eius veſtigia ſaltem per vota cæleſtia, amoris aligeri pennis vecti nõ ſequimur, monente præſertim Bernardo mellifluo ſ. in ſig. mag. illis verbis. *Amplectamur Mariæ veſtigia Fratres mei, nec dimittamus eam, donec benedixerit nobis. Quod ſi corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, ac terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.* Triumphatrici Virgini dicamus. *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis Filia Principis. Trahe nos poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum,* vt de Matre triumphali, vti de Filio prædicari deinde poſſit. *Aſcendens in altum captiuã duxit captiuitatẽ, dedit dona hominibus.*

De gloria accidentali, an omnia dona gratiæ, & gloriæ per Mariæ impetrationẽ nobis cõferantur.

XV.

ACcidentalis gloria Deiparæ Virginis intrinſeca tranſiens, & in gaudijs acciden-

talibus

talibus conſiſtens incomparabilis fuit, ſi cum gloria accidentali aliorum Beatorum conferatur. Vniuerſalis Eccleſiæ Sanctæ patrona, multa bona, ſi non omnia, tum temporalia, tum æterna Beatis omnibus ipſa impetrauit. Aliqui ſimpliciter dicunt omnia bona nobis per impetrationem MARIÆ Deip. prouenire. S. Germ. Conſtant. or. de Zona ſic ait. *Nullus eſt, qui ſaluus fiat, niſi per te o Sanctiſſima! Nullus eſt qui liberetur a malis, niſi per te o puriſſima! Nemo eſt, cui donum concedatur niſi per te o caſtiſſima! nemo eſt cui miſereatur gratia, niſi per te o honeſtiſſima!* S. quoque Bernardus ſ. 3. in vig. Nat. Dom. hominem alloquens inquit *Quia indignus eras, cui donaretur, datũ eſt Mariæ, vt per illam acciperes, quidquid haberes, quæ per hoc, quod Mater eſt, genuit ſibi Deum per hoc, quod Virgo eſt, exaudita pro reuerentia ſua in cauſa tua, & totius generis humani. Si ſola Mater eſſet, ſufficeret ei, vt ſaluaretur per Filiorum generationem: ſi ſola Virgo, ſufficeret ſibi, nec benedictus fructus ventris eius mundi pretium eſſet. Cum ergo in prima ſit remedium, in ſecunda adiutorium eſt; quia nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non tranſiret.* Similia habet ſ. de Aquæd. vbi Deip. ſanctiſs. aſſerit eſſe collum Eccleſiæ, per quod omnis ex capite influxus in totum corpus dimanat, conteſtans ſic *eſſe voluntatem eius, qui totum nos habere voluit per Mariam.* In hoc ſenſu loquuti ſunt Idiota in contempl. de Deip. in prol. quando B. Virginem *Theſaurariam Dei* apellat, & Pet. Dam. ſ. 1. de Natiu. B.V. Suffragantur Rich. a S. Laur. l. 2. de Deip. p. 1. Benzon. in pſ. 86. c. 28. & 43. Salazar in

c. 8.

c.8. prou.a n.167. & tract. de concept. c. 21. & Alarcon tract. de prædeſt. c.6. n. 3. addens B.Virginem meruiſſe de congruo prædeſtinationem omnium hominum, ſicuti illam Chriſtus Dominus meruit de condigno. Pia ſententia eſt, ſed non apparet multis fundamentum efficax huius congrui meriti, & perpetuæ, ac nunquam interruptæ impetrationis omnis dati optimi, & doni perfecti, quod deſcendit a Patre luminum. Explicari poſſunt SS. Patres de cauſalitate mediata reſpectu Chriſti Domini, quem vt vera Mater produxit, vt docet Adam de Perſe in Alleg. Tilman. ad c. 24. Eccleſ. vbi concludit. *Species morum, operum decor, meritorum gloria totum de gratia Mariæ ſuſcipitur, cum amatur. Cum enim plena ſit gratia, & tota miſericordia delicijs affluens, nihil gratiæ omnino accipimus, quod non nobis conferat partus eius*. In hoc ſenſu magnificum illud elogium Marianum Seraphici Doctoris in ſpec. c. 7. intelligendum eſt. *Glorioſum gloria Mariæ priuilegium eſt, vt quidquid poſt Deum pulchrius, quidquid dulcius, quidquid iucundius in gloria eſt, hoc Maria, hoc in Maria, hoc per Mariam eſt.*

De Aureolis virginitatis, Doctoratus, & Martyrij.
XVI.

DE his Aureolis B. V., quæ ad accidentalem gloriam, ſtabilem tamen pertinent, qui eius vitam ſcripſerunt fusè agunt. S. Th. theologici cæli Intelligentia motrix, non ſolum, vt ſupra vidimus, ſupereminens meritũ & conſequenter gloriam ad omnes Sanctos, attribuit

attribuit MARIÆ beatiſſimæ, ſed expreſsè in 4. d. 49. q. 5. a. 5. tres illuſtres Aureolas Virginitatis, Doctoratus, & Martyrij attribuit, ita vt iure Dilectus Sponſus ei dixerit. *Veni de Libano Sponſa mea, veni coronaberis de capite Amana, de vertice Sanpir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum*, eique conueniat ad triplicem Aureolam exprimendam illud Eccleſ. 45. *Corona aurea ſuper caput eius, expreſſa ſigno ſanctitatis, gloria honoris, & opus fortitudinis*. De Aureola virginitatis dubitari non poteſt in Virginum Virgine. Ipſam votum virginitatis emiſiſſe omnes PP., ac Theologi ſcholaſtici affirmant; quidquid aduerſus hoc votum Marianum blaterent cum Hæreſiarcha Caluino ſectarij centuriatores. Imò vt ſupra multiplici authoritate probatum eſt, MARIA Deipara prima omnium, voto ſe virginitatis obligauit. Ita docet S.Th.3.p.q.28. a. 4. Vnde ipſa iure dicitur ab Idiota c.6. contempl. *Primipila virginitatis*, & a S. Bonau. in lit. B. V. *Virginum ſignifera*. Probat fusè hanc ſententiam Fran. de Mendozza in ſuo virid. l. 2. probl. 6. adductis luculentis grauiſſimorum Patrum Auguſt., Hieron., Ambroſ. Epiphan., Origenis, Hildephonſi, Bedæ, Bernardi, Ruperti, & Scholaſticorum Doctorum Suarez, Vaſquez, aliorumque innumerabilium teſtimonijs. Albertus Mag. ſup. miſſus eſt c. 82. vocat eam non tantum Virginem Virginum, ſed Virginum Matrem his verbis. *Beata Virgo eſt Mater omnium in virginitate, quæ virginitatis munus Deo obtulit, per quod omnes Virgines, per imitationem virginitatis genuit &c.*

De Aureola, ſiue cæleſti laurea Doctoratus,

dubitari non poteſt, cum fuerit, vt ſupra diximus Eccleſiæ infantis Magiſtra ex Anſelmo Ruperto, & alijs, Doctorum Doctrix &c. Alber. Mag. in miſſus eſt c. 117. & Pelbartus l. 10. p. 2. a. 2. quæſ. 1. alio modo hanc doctrinæ coronam capiti Deiparæ ſanctiſſimæ vindicant ex eo nimirum, quod vera fuerit Mater VERBI, quod magiſter eſt veritatis, imò ipſa veritas loquens. Hæc tamen non recta eſt, ſed obliqua.

Aureolam martyrij in B. V. iam illam duobus modis defendi, cum de eius doloribus in morte Filij ageretur. Addi poſſunt ad maius firmamentum huius Marianæ Aureolæ præter relatos ibi auctores Catharinus l. 3. de conc. imm. perſ. 7. Philippus Abb. Ep. 14. Pelbartus l. 10. Stell. p. 2. a. 2. Spinell. c. 11. Th. Dei Carthag. hom. 6. Iacobus de Val. in cant. Deip. v. 4. & alij, quos refert expenditque Malonius ad c. 4. Paleotti de Synd. A S. Hildeph. Deip. Virgo apellatur, *vti clariſſima inter Virgines, ita candidior inter Martyres.*

De gaudio ex Aſſumpta Deipara alijs Beatis affuſo.

XVII.

HOC ingens gaudium elegantiſſimis dictis explicant SS. Patres B. Pet Dam. ſ. de Aſſ., S. Hildeph. ſ. 2. de Aſſ., S. Anſel. de excell. Virg. c. 8., Sophron. ſ. de Aſſ. Virg., S. Bern. ſ. de Aſſ. Virg. & alij. *Hac eſt* inquit Pet. Dam. quem inter alios audire libet *illa dies, quæ cælorum officinas ſublimiori gaudio cumulauit, annua mundo, Angelis continua, homines Angelis, & Angelos hominibus felici fæ-*

dere

dere coniungens. *Præter Aſſumptam* inquit ſeraphicus Doctor in ſpec. c.7., rationem huius acceſſionis gaudij reddens, *a Verbo naturam, nullum eſt opus, nulla creatura, in qua tanta diuinæ gloriæ materia reluceat, ſicut in Maria, & cap.16. Mariæ priuilegium eſt, quod poſt Deum maior gloria noſtra, maius noſtrum gaudium de Maria eſt*. Et certè in illa ſpecioſa inter filias Hieruſalem, magis quam in vlla alia creatura relucent diuina attributa, vt notat Pet. Dam. ſ. de Natiu. Virg. vnde beatis omnibus noui, & magni gaudij fomes eſt. In fine itaque cit. ſerm. B. Virginem alloquens ſic concludit. *Reuertere Sunamitis, vt intueamur te, quia ſumma gloria eſt poſt Deum te videre, adhærere tibi, & in tuæ poſſeſſionis munimine demorari*. Hoc Beatorum gaudium MARIAM eſſe explicant tituli, quibus a SS. Patribus celebratur. *Mater omnium Beatorum, gaudium plenum poſt Deum, omnium ſupernorum ciuium ſolatiũ* dicitur a S. Bonauent. in cant. *Gaudium noſtrum ineffabile* a Method. or. in Hyp. *Lætitia Sanctorum, & præclariſſimum cæleſtis Hierarchiæ ornamentum* a S. Ephrem or. de laud. Virg. *Præmium gloriæ noſtræ magnum, cuius vultum deprecantur omnes diuites plebis* a S. Hildeph. c. 12. de Virginit. *Lætitiæ inſtrumentum* ab Andrea Cretenſi in ſalut. Angel. Omnibus alijs omiſſis magnifica illa verba. S. Bern. ſ. 1. de Aſſ. ſilentio premi non debent. *Mariæ præſentia* inquit *totus illuſtratur orbis, adeò vt, & ipſa cæleſtis patria clarius rutilet virgineæ lampadis irradiata fulgore*. Huic conſonat nobilis ſalutatio Method. or. in Hypap. ſic Deip. Virg. alloquentis. *Tu feſti noſtri principium,*

Tu medium, Tu finis, pretioſiſſima regni margarita.

An adhuc viuens B. Virgo Deum intuitiuè viderit.

XVIII.

ANtequam a faſtigio Marianæ gloriæ calamum, animumque auocemus, alia quæſtio expendenda eſt, nimirum an adhuc viuenti Deiparæ viſio beata aliquando conceſſa fuerit. Auendañus in Mariali ſ. de Annunc. diſc. 7. B. Virginem a conceptione diuini VERBI deinceps fuiſſe ſimul viatricem, & glorioſam affirmat. Hanc ſententiam tanquam temerariam damnat Theophil. Raynaud. in Dypt. Mar. parte 2. p. 10. & iure, cum ſit contra omnium SS. Patrum, & Doctorum Eccleſiaſt. authoritatem, qui ſoli Chriſto Domino hoc priuilegium concedunt. Augmentum meritorū, & gratiæ B. Virginis tota vita, & multa alia id euincunt. Inſolentibus hiſce priuilegijs non augentur Marianæ laudes, ſed minuuntur; nam hinc aliorum, quæ alioquin certa ſunt, ferè nutat authoritas. Aliquando in vita habuiſſe viſionem beatam affirmant Alb. Mag., Io. Gerſon, S. Antoninus, & alij, quos piè, & probabiliter loquutos eſſe ſtatuunt Suarez t. 2. 3. p. d. 19. ſ. 4., & Vaſquez p. 1. d. 15., & 56. Subſcribunt Brulefer ſ. in illud VERBVM caro factum eſt, Carthuſ. l. 2. de laud. Deip. a. 12. Spinellus in Thro. Dei c. 6. Ægidius Luſitanus de beatit. t. 2. l. 12. q. 8. a. 4. §. 1. & alij multi, quos hi referunt, quibus accedit Franciſcus de Mendozza in virid. l. 2. publ. 10. Pro tempore Conceptio-

nis,

nis, & Natiuitatis Deip. Virgini viſionem beatam adſcribit proximè allegatus Mendozza in fine prænot. problem. Pro natiuitate etiam pugnat Zamorrus l. 2. de eminentiſs. Deiparæ perfectionibus c. 36. De tempore Conceptionis diuini VERBI, nemo illorum, qui Deip. Sanctiſs. viſionem beatam attribuunt, dubitat. Id expreſsè tradunt duo magna lumina vtriuſque ſanctiſſimi, & doctiſſimi ordinis Prædicatorum, ac Minorum S. Antoninus 4. p. t. 15. c. 17. & S. Bernardin. Sen. t. 4. ſ. 36. p. 3. Idem dicunt ferè omnes in virgineo Dei Infantis partu; quibus accedit Vbertinus Caſalius l. 1. arb. vitæ c. 9. & affert ad hoc probandum illa verba Luc. 2. *Maria autem conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo*, in quibus videtur notari omnium illorum, quę fiebant in VERBO Diuino clara, & vt vocant Scholaſtici Auguſtino Doctore, matutina cognitio, non veſpertina tantùm in ſe ipſis. Idem cenſuit Be. Pet. Dam. ſ. 1. de natiu. B. Virginis, dùm illam aſſerit in virgineo partu lucidiores mentis obtutus in ipſamet Dei ſubſtantia defixiſſe. Habuiſſe viſionem beatam Dei Matrē in Filij Reſurrectione aſſerit S. Th. de Villanoua Arch. Valent. ſ. de Reſ. quaſi par eſſet, vt inundaretur torrente voluptatis, quæ fuerat amaro tot dolorum felle potata. Signant tempora, quibus B. Virgo in vita mortali Deum vidit Salazar. l. de concept. c. 32. §. 4. Fernandius in c. 27. Gen. ſ. 3. & alij. Minus probabilem eſſe ſententiam contrariam affirmat Benzonius in pſ. 86. c. 40. tradit. 13. Maiorem probabilitatem habet pia ſententia, ſi ve plures SS. Patres contendunt magno Moyſi

poſſibilitas &c

& Paulo Apoſtolo conceſſa fuit aliquando viſio beata, & abrogatum in aliquo alio capitale edictum diuinum. *Non videbit me homo, & viuet.*

De inauguratione Mariæ Aſſumptæ in Angelorum, & hominum Imperatricem, & in rerum Dominam, & quodnam hoc dominium fuerit, & in quo iure fundatum?

X.I X.

IN Aſſumptione ſua B. Virginem fuiſſe inauguratam, coronatamque Hominum, & Angelorum Imperatricem, Dominamque rerum, & vtriuſque mundi Reginam auguſtiſſimam eruunt S. Auguſt., & S. Bernard. ex *ſigno magno* Apoc. 12. ea nimirum muliere, quã ſupra ſuſpeximus Sole amictam, cuius ſub pedibus luna erat, & circa caput aſtrorum Zodiacus. Eccleſiam enim ſub Lunæ nomine veluti titulo poſſeſſionis, pedibus calcatam, & ſub ſtellarum nomine Angelorum choros, qui Empyrei cæli ſtellæ ſunt, intelligunt. De ipſa dicitur illud Eccleſ. 24. *In omni populo, & in omni gente primatum tenui, & omnium ſuperborum colla propria virtute calcaui.* A Ruper. Abb. in comm. illius loci cantic. *Veni coronaberis,* B. Virgo apellatur *Regina regnorum. Ita coronaberis,* inquit, *vt & in cælis Regina Sanctorum, & in terra Regina ſis regnorum. Vbicunque enim prædicatum fuerit illud de Dilecto dictum. Minuiſti eum paulò minus ab Angelis, gloria, & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum, prædicabitur, & de te, quod ſis o Dilecta, & Mater huius coronati, ac proinde Regina cælorum totum iure*

poſſidens Filij Regnum. Fines ergo Regni Matris, ſunt ipſi fines illimitati regno Filij conſtituti. Vnde ſicuti Apoſtolus ait. *In nomine Ieſu omne genuflectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum*, ita Seraphicus Doctor in ſpec. c. 3. ait. *Virgo Maria eſt Domina cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Regni Mariani termini ſtatuuntur a S. Bernardino Sen. ſ. de Aſſumpt. cum ipſa dicitur *Regnans ſuper omnem creaturam a Mari gratiæ vſque ad mare gloriæ, & a flumine influxuum diuinorum, vſque ad terminos orbis terrarum.*

At quodnam eſt, & quale hoc Marianum dominium? In iure naturali fundatum fuiſſe defendit Io. Carthag. t. 3. l. 14. hom. 15. ex S. Bernardino Sen., imò etiam in ciuili. Cenſeo proprium dominium immediatũ, ſiue Iuriſdictionis, ſiue proprietatis in vtroqūe mundo non competere Deiparæ Virgini, ſed tantum eius, Deique filio Ieſu Chriſto ratione vnionis Hypoſtaticæ, non ſolum quatenus Deus eſt, verum etiam quatenus homo, vt probant, omnibus Scholis theologicis cõſentientibus, Franciſcus Suarez in 3. p. & Io. de Lugo de Incar. Diu. Verbi. Marianum dominium mediatum eſt, quatenus in Filio, qui omnibus imperat, omnia poteſt. Per Filium etiam moraliter Domina rerum eſt, quatenus a Filio efficaciſſimis precibus omnia impetrat. Hanc triregnem coronam, & tergemini mundi Superni, Noſtratis Inferni dominium, tum iuriſdictionis, tum proprietatis agnoſcunt vnanimes SS. Patres, & vno ore teſtantur. Illud inijt B. Virgo, cum primò Dei Mater extitit iuxta illud Io. Damaſc. apud Carthag. loco

iam alleg. *Speciali iure rerum omnium conditarum Domina effecta eſt, cum Creatoris Mater extitit, & ſuper omnes creaturas primatum tenuit. Meritò* vt loquitur D. Bernar. ſ. in ſig. mag. *facta eſt rerum Domina, quæ omnium Se exhibebat ancillam*. Expreſsè non aliam rationem reddit materni Dominij, quam ipſum Filium Dominum omnium, Mag. Athanaſ. ſ. de B.V. his verbis. *Quia ipſe Filius Rex eſt, & Dominus, Mater, quæ eum genuit, & Regina, & Domina verè cenſetur*. Hinc etiam dixit S. Anſel. de excell. Virg. c. 9. *Mariam iure materno cælo, terraque cum Filio eſſe præſidentem*. In hoc ſenſu *Regina* a tota Eccleſia Cathol. apellatur, *Regina Angelorum, & SS. omnium inuocatur*: in ſacris ſupplicationibus, *Domina noſtra* dicitur a fidelibus populis, & glorioſiſſimis titulis a SS. Patribus cohoneſtatur. A S. Ephrem or. de B. V. vocatur *Domina, Princeps, atque Regina præſtantiſſima, & perquam benedicta Dominorum Domina*: a S. Anſelm. alloq. cæl. 26. *Domina magna, bona Domina, Domina mundi*: a S. Bernar. ſ. in Salue Reg. *Domina rerum, Regina cælorum*: a S. Chryſoſt. in lithuig. *Domina noſtra ſanctiſſima, incontaminata ſuper omnes, benedicta, & glorioſa*: a S. Iac. Apoſt. & S. Marco Euangeliſta in vtraque lithurg. *Domina noſtra ſola*, vti a S. Germ. or. de Præſent. B. V. Sed longe magnificus titulus eſt, & MARIÆ Aſſumptæ, coronatæque conueniens, quo a S. Greg. inter Pontifices huius nominis ſeptimo l. 8. c. 21. dicitur *Regina ſummi cæli, ſuper omnes choros Angelorum exaltata, decus, & gloria omnium mulierum, ſalus & nobilitas omnium electorum; quia ſola meruit*

Virgo,

Virgo, & Mater edere naturaliter Deum, & hominem, caput, & vitam omnium bonorum.

In eadem Aſſumptione initiata eſt Eccleſiæ patrona ſummæ potentiæ.

XX.

Eccleſiæ patronam ſummæ potentiæ Deiparam ſanctiſſimam eſſe nemo dubitare poteſt, qui MARIAM nouerit, vt iam ſupra vidimus materno quodam imperio apud Filium omnia potius imperantem, quam impetrantem. *Non deeſt* inquit S. Bern. apud Carthag. loc. cit. hom. 16. *Maria poteſtas, quia Mater eſt omnipotentiæ, nec impetrandi induſtria, quia Mater eſt ſapientiæ, nec voluntas, quia Mater eſt miſericordiæ.* Huic conſonat S. Anſelm. de Conc. Virg. c. 12. *Scimus* ait *B. Virginem tanti eſſe meriti, & gratiæ apud Deum, vt nihil eorum, quæ velit efficere, poſſint aliquatenus effectu carere.* Nec minus expreſsè loquitur Gregor. Nicomed. or. de exitu B. Virg. *Nihil tuæ* ait *reſiſtit potentiæ, nihil tuis repugnat viribus, omnia cedunt tuo iuſſui, omnia tuo obediunt imperio, omnia tuæ poteſtati ſeruiunt.* Similia vno ore clamant SS. Patres vniuerſi S. Ephrem Diac. de S. Dei Mat. laud. B. Pet. Dam. ſ. 1. de Natiu. B. V. S. Germ. de Zona Dom. B. Andr. Hieroſol. or. de dorm. Virg. Rup. Abb. in cap. 4. cant. S. Epiph. hær. 78. Idiota nomine, re doctiſſimus l. de Virg. Mar. c. 4. & alij paſſim. At præcipuè mellifluus Bern. nobiliſſimis, ſed veriſſimis elogijs totus eſt in celebranda benefica Dei Matris miſeratione erga homines ſ. de Nat. Virg. ſ. 3. in vig. Nat. Dom. ſ. 2. in die Pentec. ſ. 1. de verbis

Apoc.

Apoc. ſ. de aquæd. ſ. 4. de Aſſump. & alibi paſſim. Tantæ potentiæ Magnæ Matris, vt ſupra vidimus, vnica ratio Magnus Filius eſt. *Reuera* inquit S. Bernardinus de exalt. Virg. art. 2. c. 8. *Maternitas Dei hanc in mundo naturali iure obtinuit dignitatem, vt Regina miſericordiæ, ſicut prædictum eſt meritò nuncupetur, & hoc propter Filij magnificentiam, qui eſt Rex Regum, & Dominus Dominantium.*

Et largiſſima beneficentia.

XXI.

HVius beneficentiæ argumentum efficax eſt omnia diuina beneficia, vt ſupra ex SS. Patribus vidimus, nobis per MARIÆ manus conferri. Illud mirandum, quod Pet. Dam. dixit ſ. de Annunc. nimirum decretum ipſum Redemptionis humanæ latum ſine MARIA non eſſe. *Euocatur* inquit ipſe *cæleſtis ille conuentus: init Deus concilium, facit ſermonem cum Angelis de reſtauratione eorũ, de Redemptione hominum, atque ſtatim de theſauro Diuinitatis Mariæ nomen euoluitur, ac per ipſum, cum ipſa, & in ipſa totum hoc faciendum decernitur, vt ſicut ſine ipſo nihil factum eſt, ita ſine illa nihil refectum ſit.* Admirabilem facilitatem Mariani patrocinij his melleis verbis explicat S. Bern. ſ. de Nat. Virg. *Ad Patrem verebaris accedere, ſolo auditu territus ad Filium fugiebas. Ieſum tibi dedit Mediatorem. Quid non apud talem Patrem Filius talis obtineat? Exaudietur vtique pro ſua reuerentia; Pater enim diligit Filiũ. An verò trepidas, & ad ipſum accedere? Frater tuus eſt, & caro tua, tentatus per omnia abſque peccato, vt miſericors fieret.*

Hunc

Hunc tibi Fratrem Maria dedit. Sed forſitan, & in ipſo Maieſtatem vereare diuinam? Quod licet factus ſit homo, manſerit tamen Deus. Aduocatum habere vis ad ipſum? Ad Mariam recurre. Pura ſiquidem humanitas in Maria, non modo pura ab omni contaminatione, ſed & pura ſingularitate naturæ. Nec dubius dixerim, exaudietur, & ipſa pro reuerentia ſua. Exaudiet vtique Matrem Filius, & exaudiet Filiũ Pater. Porrò beneficiorum Marianorum numerum iniri non poſſe aſſerit S. Germ. Patri. Cõſtant. ſ. de Zona Dom. *Non eſt inquit* B. V. alloquens *ſatietas tuæ defenſionis, non eſt numerus tuorum beneficiorum*, quæ ſæpe ſæpius prodigioſa ſunt, vt innumerabilia a Matre miſericordiæ patrata miracula in bonum generis humani teſtantur. Id ipſum manifeſtè aſſerit Rup. Abb., imo nullum beneficium erga homines a MARIÆ beneficentia ſeparat ad illa verba. *Emiſſiones tuæ Paradiſus* cum ait. *Quidquid gratiarum, quidquid virtutum, quidquid operationũ cæleſtium mundus accepit, emiſſiones tuæ ſunt.* Iam ergo totus, qui cælum, terramque implet diuinorum beneficiorum Paradiſus, Nazarenę Virginis flores ſunt. Hanc prope infinitam Virginis beatiſſimæ beneficentiam luculentis teſtimonijs cõfirmant SS. PP. præſertim S. Ephrem or. ad Virg. & S. Bern. ſ. cit. de Aquæd. Eloquentiſſima quoque beneficiorum MARIÆ Deiparæ enumeratio legitur apud Amed. Lauſan. hom. 8. Idem argumentum magna, vti rerum, ita verborum copia perſequitur Rich. a S. Laur. in toto opere de Deipara, ſed nominatim l. 11. At omniũ copioſiſſimè Mariana beneficia deſcribit An-

tonius de Balinghen in libro quem inſcripſit *kalendarium Sanctiſſimæ VirginisGenitricis Dei*, in quo ſinguli dies totius anni aliquid exhibent ad eam ſpectans, quod eo ipſo die contigit, aut alicuius eximij eius cultoris eodem die obitum, & erga eum ſtudium repræſentant. Et certè orbis vniuerſus non minus Marianis miraculis vbique illuſtratus fuit, quam ſolis, aſtrorumque ſplēdoribus beneficis. *Abyſſum gratiæ* Deiparam Virginem, *& pelagus curationum* apellat S. Io. Damaſc. or. 2. de dorm. Virg. *officinam, & fontem vniuerſo orbi medicinam afferentem* or. 1. de Natiu. Virg. *omnium miraculorum, quæ quomodocunque facta ſunt, aut fiunt effectricem* Andr. Cret. or. 2. de Aſſ. De MARIÆ miraculis ſelectioribus præter puros centuriatores miraculorū, egregiè ſcripſerunt Io. Carthag. t. vlt. ſuorum arcanorum, & Spinellus in Th. Dei c. 20. Extendunt aliqui Deip. Virg. beneficentiam ad purgatorium, vt notat Theoph. Raynaud. in tract. de purg. ſ. 3. p. 1. Illud probabiliſſimum eſt precibus B. V. adiutos fuiſſe multos, ne purgatorijs ignibus obnoxij eſſent, quod de Alex. 3. Summo Pontifice narrat Menolog. Ciſtercienſe 27. Auguſti. S. Hildeph. ſ. 5. de Aſſ. fideli, vt ipſe dicit, præſumptione, & pia temeritate etiam ad infernum B. MARIÆ beneficentiam protendit, remedium aliquod, refrigerium, & immunitatem a vexatione dęmonum damnatis in die Aſſumptionis concedens. Sed hæc nimia indulgentia non videtur admittenda. An B. Virgo aliquem aliquando a pœnis inferni liberauerit, iam ſupra definiui, ſicuti an certa ſit ſalus MARIÆ cultorum, de quibus

fuſè Philoſophatur Fran. Mendozza in virid. l. 2. probl. 5., & 9.

Honores exhibiti ab Eccleſia triumphante, ac militante Deipara Virgini Aſſumpta tanquam Domina, & Patrona ſua in laudum encomijs, exceptis hæreticis, qui ſoli in eam inofficioſi, & iniurij ſunt.

XXII.

DE his honoribus Cælitum erga B.V. fuſè loquuntur Dyoniſ. Carthuſ. l. 4. de laud. Deip. a. 15. & Amed. Lauſan. hom. 7. vbi habet hæc verba. *Beati igitur Cælites, qua ſunt viſus mentalis perſpicacia, & voluntatis effectu, aduertentes plenitudinem bonorum a Deo in Deiparã iam glorioſam magnificentiſſimè profuſam, non poſſunt non honorare eximio cultu Arcam ſanctificationis Domini*. De eminenti MARIÆ gloria iam ſupra multa diximus. Sed emphatica prorſus teſtimonia PP., tum Græcorum, tum Latinorum de eius magnitudine affert Spin. in Thr. Dei c. 6. quibus has propoſitiones piè, & eruditè probat gradatim, nimirum ſupra omnes SS Animas, & Angelorum choros fuiſſe B. Virginem in gloria euectam, ibique in eo faſtigio ſupra omnes Beatos ſeparatam Hierarchiam conſtituere, imò plus gloriæ habere, quam omnes SS., & Angelos ſimul. *Sanctis Sanctiorem* appellat Io. Damaſc. or. 2. de dorm. Virg. *Sacris Sacratiorem, & pijs magis piam: in cælo Reginam Sanctorum, & in terris Reginam regnorum* Rupert. Abb. l. 3. in cant. 4.: *Sanctorum coronam* in laud. B. V. *O Sancta* exclamat Andr. Cret. or.

de dorm. Virg. *Sanctis Sanctior, & omnis ſanctitatis ſanctiſſime theſaure*. Eandem gloriæ eminentiam magnificentiſſimis elogijs celebrant S. Bern. ſ. 1. de Aſſ., S. Io. Chryſ. in ſ. qui legitur infra oct. natiu. Virg., S. Baſilius Seleuc. or. de Ann. Deip., S. Io. Damaſc. or. 2. de dorm. Virg., S. Anſel. de excell. Virg. c. 4. Guarr. Abb. ſ. de Aſſ., S. Bernardinus Sen. paſſim, ſed præſertim t. 3. ſ. 3. de glor. nom. Mar. a. 2. c. 1., S. Antoninus 4. p. t. 15 1., S. Bonau. vbique, ſed maximè in ſpec. c. 2., B. Pet. Dam. ſ. de Aſſumpt., S. Hildeph. ſ. 2. de Aſſ., & alij innumeri. Inexplicabilem, inæſtimabilem, incomprehenſibilem eſſe gloriam B. Virginis plures Patres affirmant ap. Spin. loc. cit. imo ineffabilem. Hæc dicta aliquo modo temperanda ſunt, & multò magis illud Io. Damaſc. or. 1. de dorm. Virg. vbi ait, *Dei Matris, & ſeruôrum Dei infinitum eſt diſcrimen*. Explicari debet de infinitate morali, nimirum de eminentia quadam, & eximia, ac ſingulari excellentia. Et certè veriſſima eſt ratiocinatio Bernardi ſ. 1. de Aſſ. *Si oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus ſe: quod præparauit gignenti ſe* (& quod omnibus eſt certum) *diligenti ſe præ omnibus, quis loquatur?* Hinc omnes Sanctos in viginti quatuor ſenioribus, qu i ſunt in conſpectu diuinæ ſedis venerari in cælo Dei Matrem impenſiſſimis laudibus, atque æternis encomijs, probat fusè allegatus iam Spinellus, plures SS. Patres afferens præſertim ad illa verba pſ. 44. *Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis*.

Ingens iſtorum honorum copia exhibita eſt

in

in ipſo Dei Matris Aſſumptæ triumpho, & inauguratione ad vtriuſque mundi imperium. Hic enim triumphus Paradiſum veluti geminauit; ideſt immenſo nouo accidentali gaudio MARIA beata, tum animi, tum corporis pulcherrimi præſentia, æterna Cęlitum omniũ gaudia cumulauit, quæ lætitia nunc in æuum perennat. *Nobis* inquit S. Bern. ſ. 1. de Aſſ. *Chariſſimi quæ in Aſſumptione ſolemnitatis occaſio? quæ cauſa lætitiæ? quæ materia gaudiorum? Mariæ præſentia totus illuſtratur orbis, adeò vt & ipſa iam cæleſtis patria clarius rutilet virgineæ lampadis irradiante fulgore. Meritò profectò reſonat in excelſis gratiarum actio, & vox laudis. Sed plangendum nobis, quam plaudendum magis eſſe videtur. Quantum enim de eius præſentia cælum exultat, nunquid nõ conſequens eſt, vt tantum lugeat hic noſter inferior mundus eius abſentiam?* Sed iubet tandem hunc luctum ceſſare, & concludit. *Aſcendens ergo in altum Virgo beata dabit ipſa quoque dona hominibus. Quid ni daret? Si quidem, nec facultas ei deeſſe poterit, nec voluntas. Regina Cælorum eſt, miſericors eſt, denique Mater eſt Vnigeniti Filij Dei.* Quàm immenſum poſt triumphum ſuum cæleſtem Aſſumpta Deipara congiarium gratiarum nobis effuderit, ac prodegerit prodigioſa liberalitate, & quomodo omne hominum genus nunc iuuet, ac protegat, demonſtrat in toto ſuo opere vmbræ virgineæ doctiſſimus, & pijſſimus Aloyſius Nouarinus, alijque Marianæ vitæ, eiuſque innumerabilium beneficiorum Scriptores. Imitari militantem hanc Eccleſiam cæleſtem *Hieruſalem*, Eccleſiam nimirum triumphantem, *quæ ſur-*

ſum eſt Mater noſtra demonſtrant Caniſius l.5. de Deip. c. 8., & Coccius t. 1. l. 5. a. 13. Certè eius laudibus vterque mundus reſonat. Iam ferè nullus Scriptor Eccleſiaſticus eſt, qui ſit in laudibus MARIÆ Deiparę non dicam ieiunus, ſed parcus. Nullum ſeculum, imo nulla dies vbique terrarum, & cælorum laudibus Marianis vacat. Hæretici ſoli inofficioſi ſunt, & iniurij in B. V. Immania probra in MARIAM Deiparā coniecta ab Hæreticis Veſpertilionibus, tanti Solis radios non ferentibus, refert Iacobus Grætſerus erudițiſſimus Hæreſeomaſtyx in præloquijs ad tres Autores contra Valdenſes c. 3. ex Chron. Altiſſiodor. quæ vt à Theoph. Raynaudus in Dip. Mar. p. 2. puncto 10. ſine horripilatione a pio oculo legi non poſſunt. Eiuſdem ſentinæ ſunt, & mephitim infernam olent Bezæ veſaniæ, & virulenta Vireti dicta. Impij Magdeburgenſes non erubuerunt dicere MARIAM ita fuiſſe affectam, vt ſtatuto tempore more aliarum coniugum voluiſſet ex Ioſepho Liberos ſuſcipere. Lucas Tudenſis l. 2. contra Albigenſes cap. 9. refert Monoculam ob maiorem contemptum ab illis fuiſſe depictam. Alij ſalutationem Angelicam magicum exorciſmum apellant. Alij virginitatis votum ab ea emiſſum abſurdum, ridiculum, & reprehenſione dignum prædicare audent. Sed non eſt hiſce ſordibus amplius inquinandus calamus. Legi poſſunt iſtorum nouorum Antidicomarianitarum deliramenta apud Cathar. l. de certa Sanctorum gloria, Caniſium in præfat. ad ſuū l. de Deip. Feuardentium ad 3. Irenei c. 33. Ferreolum Locrium l. 1. MARIÆ Auguſtæ c. 3. & 4.

& 4. Bozium l. 9. de ſignis a cap. 6. Theophil. Raynaud. cautione prima prologomena ad Diptyca Mariana, & alios. At illam laceſſunt, quæ ſola cunctas Hæreſes interemit, vt copioſiſſimè, & erudititiſſimè probat Spinellus in Th. Dei c. 23. & 24.

In cultu adorationis, tum ab Angelis, tum ab hominibus.

XXIII.

De cultu adorationis erga B. Virginem, & eius titulis agit fusè, & eruditè Raguſa 3. p. tom. 2. diſp. 44. Tituli ſunt excellentia ſanctitatis, Maternitas Dei, & corporati Filij Dei, ac ſui, contactus. Si reſpiciamus excellentiam ſanctitatis, & gratiæ ſanctificantis, debetur cultus, qui alijs Sanctis exhibetur, licet intra eandem ſpeciem multò ſublimior, & eminentior, qui a Paludano in 3. diſt. 9. q. 2. & ab alijs hyperdulia vacatur, licet hæc adoratio propriè ad ſecundum titulum ſpectet. Titulus Maternitatis Dei iuxta S. Th. 2. 2. q. 103. a. 4. ad 2. hyperduliam meretur, quia reſpicit ordinem vnionis hypoſtaticæ, vnde quia eſt notabiliter perfectior, & eminentior, cultum nobiliorem poſtulat, quam ſit Dulia, debita ſanctitati accidentali gratiæ ſanctificantis. Quis enim non videat Matri maiorem venerationem deberi, quam ſeruis? Subſcribit Suarez t. 2. 3. p. d. 22. ſ. 3. cum omnibus fere alijs theologis, licet negetur a Vaſquez l. 1. de ador. diſp. 8. c. 1., in hoc antiquiores Patres Athanaſ. Damaſc. Gregor. Epiphan. ſequentibus. Imo Suarez putat probabiliorem opinionem, quæ affirmat ratione Mater-

nitatis, Deiparæ Virgini deberi latriæ cultum aſſentiēte Mendozza in virid. l. 2. probl. 4., quia idem habitus inclinat ad adorandū Regem, & Matrem Regis. Etiam ordo vnionis hypoſtaticæ in Chriſti Domini humanitate exigit latriæ cultum. Et certè excellentia Maternitatis Dei, licet in ſe finita, & limitata, ratione tamen termini, quem reſpicit, à S. Th. 1. p. q. 25. a. 6. ad 4. dicitur in genere ſuo infinita. Tertius titulus, ſi abſit ſcandalum, non minus, quam crux, & huiuſmodi admittit latriam, nec S. Th. 3. p. a. 25. a. 3. hoc negat ſimpliciter, vt exponit eius Interpres Card. Caiet., ſed quando eſt periculum idololatriæ. Non debetur tamen latria abſoluta, & primaria, ſed reſpectiua, & ſecundaria ab eodem habitu religionis profluens, vt notat Suarez t. 2. in 3. p. q. 37. a. 4. ſ. 3.

De impenſiſſimo cultu, quo omnes Angeli Reginam ſuam colunt, mira ſunt SS. Patrum teſtimonia, præſertim Io. Damaſc. or. 1. & 2. de dorm. Virg. & alibi. Sophron. de Aſſ. Virg. S. Athanaſ. ſ. de Deip. S. Auguſt. ſ. 35. de Sanctis, S. Epiph. ſ. de laud. Deip. S. Gregor. Nicomed. or. de oblat. Deip. S. Bonauent. in ſpec. c. 3. & alibi, S. Bernardini Sen. tom. 1. conc. 6. a. 1. c. 6. S. Vincentij Ferrer. ſ. 2. de Natiu. Virg. & aliorum. *Beatam prædicant* inquit S. Athanaſius *omnes Angelorum, & terreſtrium Hierarchiæ, quæ & in cælis benediceris, & in terris beata prædicaris.* Hinc illam hoc titulo ſalutat S. Ephrem ſ. de laud. Virg. *Aue præclariſſimum Hierarchiarum cæleſtium ornamentum.* Sed non minus ſingularis titulus eſt, quo eam Andr. Cret. or. 2. de dorm. Deip. his verbis:

Tu

Tu es res illa magna veneranda æconomia, quam cupiunt inſpicere Angeli. Nec illam tantum beatè intuentur, ſed ei famulantur turmatim: *Non oportebat* inquit Greg. Nicomed. loc. cit. *vnum ſolum ſeruire Angelum, ſed decies mille millia eam ſtipare*. Imo omnes ei ſeruiunt, quia eorum Regina eſt, & Regis Regum, per quem ipſi purgantur, illuminantur, conſumantur, & omnem gratiam, & gloriam acceperunt, Mater. *Tot creaturæ* ait S. Bernardin. Sen. loc. alleg. *ſeruiunt glorioſæ Virgini Mariæ, quot ſeruiunt Trinitati*. At cur ita ſeruiunt? Rationes affert Spinellus in Th. Dei c. 26. Sed earum epilogum habemus paucis verbis expreſſum a S. Bernardino Sen. t. 3. ſ. 3. a. 3. Nam vbi dixit ex ſententia Hugonis ſuper c. 9. de Angelica Hierarchia, maximum eſſe numerum Angelorum, ſubdit. *Omnes igitur Angelici Spiritus ſunt huius glorioſæ Virginis Miniſtri, atque ſerui*. Et paulò poſt. *Verè igitur Domina dici poteſt, atque meritò habent de illa omnes cæleſtes Spiritus confiteri, & dicere iuxta illud* 4. *Reg*. 10. *Serui tui ſumus, quæcunque iuſſeris faciemus*. An Angeli initio ſuæ beatitudinis cognouerint Dei Matrem, eamque adorarint, quæſtio theologica eſt. Affirmat doctiſſimus Suarez t. 2. in 3. p. d. 22. ſ. 1. quia, cum eſſet futura Dei Mater, & Angelorum Regina, ad eorũ ſtatum pertinebat. Ea ſiquidem, quæ ad proprium ſtatum pertinent, a beatis videri docet Angelicus Doctor 1. p. q. 64. a. 1. ad 4. Propter has omnes rationes S. Anton. 4. p. t. 15. c. 14. §. 3. putat aptè Dei Matrem dici Matrem Angelorum. *Sed Angeli* inquit *recipiunt illuminationem, perfectionem, & beatificationem à Ieſu, per quem*

omnia reſtaurantur in cælo, & in terra: ergo B. Virgo cum ſit Mater Ieſu, cauſa eſt aliquo modo gloriæ Angelorum, vt aptè dicatur Mater eorum. S. Birgitta in ſerm. Angel. quem Angelus ei dictauit de Dei præcepto c. 20. vbi Angelos omnes interfuiſſe morienti Deiparæ dixit, addit hæc verba. *Qui quidem Angeli ita poſtmodum obedientes Virgini effecti ſunt, quod omnes inferni pœnas libentius ſuſtinerent, quam aliquibus ſuis præceptis in aliquo contradicere.* Iure itaque ad cultum Deiparæ Sanctiſſimæ exhibendum hortabatur omnes Angelos S. Bernardus hom. 1. ſuper miſſus eſt his verbis. *Honorate Sancti Angeli veſtri Regis Matrem, qui noſtræ adoratis Virginis prolem, ipſum vtique noſtrum pariter, ac veſtrum Regem noſtri generis Reparatorem, veſtræ Ciuitatis Inſtauratorem.*

Imitatur in MARIÆ cultu Angelicã Rempublicam, humana. Angelos ſemper per ſuos ordines perpetuis hymnis pangere, Deiparæ Virgini laudes teſtatur S. Athanaſ. ſ. de Sanctiſs. Deip. At nunquam muti homines ſunt in eius commendatione. Sanè, vt reliquas ſcriptiones, quæ innumeræ ſunt, omittã hymnis, alijſque canoris laudibus grauiſſimi Patres vtriuſque Eccleſiæ Græcæ, ac latinæ ante Arcam Dei religiosè luſerunt, & Deiparam Virginẽ elegantiſſimè exornarunt Andr. Cret. Gregor. Nazianz. Io. Damaſc. Coſmas Hieroſolym. Theophanes, Theodorus Studita, Io. Geometra, Sedulius, Prudentius, S. Bonauentura, Adamus de S. Victore, Hermannus Contractus, & alij. Vnde iure Dei Mater a S. Ephrem de laud. B. V. apellatur *Oratio pulchra Hymnographorum omnium*. De

pio

pio erga B. Virginem cultu copioſè agit Spinellus in Thr. Dei c. 34. Ad illum nos inuitat melleis illis verbis Eccleſ. 24. ſuauiſſima Virgo: *Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & a generationibus meis implemini; Spiritus enim meus ſuper mel dulcis.* Multa ſunt ad hunc cultum incitamenta, nimirū Dei Matris maxima dignitas, innumera beneficia ab ipſa nobis collata, religionem erga ipſam eſſe veluti prędeſtinationis caracterē, iuxta illud prouerbiorum 8. *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem a Domino.* Illorum Sanctorum Heroum, & Principum Virorum, qui impensè erga B. Virginem ſtudioſi fuerunt longum elenchum inuenies apud Spinellum in Th. Dei c.35., allatis etiam inſignibus eorum exemplis. Sed omnium fuſiſſimè perſequutus eſt pluribus libris editis Summorum Pontificum, Imperatorum, Regum, S. R. E. Cardinalium Eminentiſſimorum, & aliorum nobilium humanæ Reipub. Ordinum obſequia, & cultū erga magnam Deiparam pijſſimus, & eruditiſſimus Hyppolitus Maracius ex Clericis Regularibus S. Mariæ Lucenſis.

In Templorum erectione etiam vincenti.

XXIV.

DE Templis in honorem magnæ Deiparæ erectis agit fusè Spinel. in Thr. Dei. Extant etiam aliorum Scriptorum lucubrationes de Templis B. Virginis, vt notat Theophil. Raynaudus in Dipt. Mar. p. 2. puncto 10., & celebriora litteris conſignarunt Caniſ. l. 5. Marial. a c. 23. Bonifacius l. 2. hiſt. Virg. c. 1. 2. 3. 4. Ferreolus Locrius l. 4. Mar. Aug. & alij

Multa Templa viuenti etiam B. Virgini fuere conſtructa, eaque refert, ac deſcribit Franc. Quareſmus tom. 2. elucid. terræ ſanctæ c. 23. peregrin. 2. Primũ ædificatũ fuiſſe a S. Sauiniano, qui fuit vnus ex ſeptuaginta duobus diſcipulis ſcribit Lyranus in c. 24. Matthæi; ſecundum a Martha, & Sorore eius Maria Magdalena apud Maſſiliam Annales Francorum, Caniſ. in ſuo Marial. c. 23. & Vincentius Belluac. l. 8. ſpec. c. 29. referunt, tertium a S. Petro Principe Apoſtolorum ex Incolarum traditione acceperunt, qui cum Godofredo Bullionio memorabilem illam in terram ſanctam expeditionem inierunt. Nec mirum videri debet, cum Niceph. l. 2. c. 39. 40., & 41. in vniuerſum ſcribat Apoſtolos in locis, in quibus prædicabant euangeliũ, præſertim in Aſiæ, Syriæ, Ethiopiæ, & Indiæ Ciuitatibus plurima templa exædificaſſe, ac Deo dicaſſe. In ſola vrbe Romana quadringenta Templa Deiparæ Virgini fuere dicata, vt teſtatur Andreas Fuluius l. de antiq. Vrbis. Vbi enim agit de Baſilicis Chriſtianorum, hæc habet. *Fuerunt in Vrbe, in illa primitiua Eccleſia Chriſti templa ſupra tria millia, ex quibus quadringenta D. Mar. Virg. Deip. dicata, quorum extant hodie aliqua veneranda vetuſtatis veſtigia.*

In celebratione feſtorum dierum.

XXV.

DE feſtis diebus in honorem, & gloriam Sanctiſs. Dei Genitricis decretis, & præſertim de Sabbato ei perpetuò dicato eruditè, & copiosè diſſerit citatus Spinellus in Thr. Dei c. 39. vti etiam Azor t. 2. l. 1. c. 17. ad 23.

Suarez

Suarez l. de feſtis c. 8. & t. 2. 3. p. d. 22. ſ. 1. Bonifacius l. 2. hiſt. Virg. c. 5. & alij. Feſtum Sabbati latè firmat, ſtabilitque præter Spinellum Coccius tom. 2. l. 3. a. 6.

In imitatione virtutum.

XXVI.

DE imitatione MARIÆ iuſto tractatu agit pius, ac doctus vir Franciſcus Arrias. Toti ſunt SS. Patres in celebranda imitatione B. Virginis, quæ omnium prorſus virtutum eſt Idea perfectiſſima. Imitationem hanc Dei Matris pijs Cultoribus, nimirum Filijs ſuadent S. Ambroſ. l. 2. de Virgin. S. Bernar. ſiue quilibet alius inter eius libros inſertus ſuper Salue Reg. S. Hieronym. ep. 22. ad Euſtochium S. Io. Damaſc. or. 1. & 2. de dorm. Virg. & alij paſſim: S. Bernard. ſ. 2. de Pentec. Vterum Virgineum MARIÆ, in quo fuit Deus, iuxta Mercurij Triſmegiſti dictum centrum omnium, ſed nullibi circumferentiam habens, mundi centro conferens, ſubdit. *Ad illam enim ſicut ad medium, ſicut ad Arcam Dei, ſicut ad rerum cauſã, ſicut ad negotium ſeculorum, reſpiciunt, & qui in cælo habitant, & qui in inferno, & qui nos præceſſerunt, & nos qui ſumus, & qui ſequentur;*

Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.

Audio etiam S. Hildeph. ſ. 1. de Aſſumpt. ſic dicentem. *Imitamini Matrem Virginem, & Sanctos omnes, quos laudatis, quoniã non tantũ illis prodeſt noſtra laudatio, quantum nobis eorum imitatio.* Eadem habet S. Bonau. in ſtim. diu. am. cap. 7. & in epiſt. 25. memor. Sed Sophronius inter opera S. Hieron. inſertus omnium apertiſſimè loquitur ſer. 5. de Aſſumpt. Igitur

ait

ait. *Dilectiſſimi amate Mariam, quam colitis. colite quam amatis, quia tunc verè colitis, & amatis, ſi imitari velitis ex toto corde, quam amatis.*

In inuocatione nominis, alijſque religioſis officijs, & pijs affectibus.

XXVII.

DE nominis Mariani inuocatione plura dicta ſunt. cum de impoſitione ſanctiſſimi nominis. Imaginum veneratio eadem eſt cum cultus adoratione. De illa multa habet Caniſius lib. 5. Marial. c. 22. Inuocationem B. Virginis per pias preces defendit præter Coccium t. 1. l. 3. a. 4. & 5. Caniſius l. 3. de Deipara c. 10., & 11. contra Galaſſium Fenardent. ad l. 5. S. Irenæi c. 19. & contra Hoſpinianũ e Caluiniana Hara Gretſerus l. 12. de bened. c. 46. Hæc innocatio proditur oratione trina ſingulis diebus, ſigno ad id dato, matutino, meridiano, veſpertino. De hac agit Suarez l. 3. de orat. oſtenditque piam, atque vtilem eſſe. Proditur etiam in litanijs, tam communibus, quam particularibus, præſertim in Templo Lauretano cantari ſolitis, in recitatione roſarij, de qua præter Caniſiũ lib. 5. c. 26. agit Nauarrus Miſcell. q. de orat. cum alijs, in officio peculiari, quod anno 1056. vt notat Card. Baronius, Vrbanus II. approbauit in concilio Claramontano, in pio vſu ſalutandi, & inuocandi B. Virginem initio concionum, qui defenditur, & laudatur a Caſtro v. oratio, & a Theoph. Rayn. in Heteroclytis ſpiritualibus de tractat. Verbi Dei, in officio maiori die Sabbati, in commemoratione

ne quotidiana in alijs officijs, in proceſſionibus ad eius Deiparæ honorem decretis, in ſtationibus, & peregrinationibus ad eiuſdem Templa, in Religionibus, Vrbibus, Inſulis, & partibus, quæ a MARIA Virgine nomen deſumpſere, & alijs innumeris. Hecatombem religioſorum exemplorum, & piarum precum in honorē B. Virginis exhibet Paulus Barry in aureo libello, cui titulus eſt *Paradiſus apertus*.

Intenſiſſimis affectibus nos deinde debere proſequi Dei Matrem amoris, reuerentię, congratulationis, fiducię, & alijs huiuſmodi luculentiſſimis Sanctorum Patrum teſtimonijs, & robuſtiſſimis rationibus probat ſcitè, & copioſè Spinellus in Th. Dei c. 36. proportione ad ea, quæ de deuotione erga Deum docet Angelicus Doctor 2. 2. q. 82. a. 1. Circa amorem hoc titulo eam inuocat S. Bonau. in ſuis litanijs. *Sancta Maria ſuper omnes diligētius amanda*. Certè ipſa præ omnibus alijs amantiſſima Noſtri eſt. Vnde iure dixit Pet. Dam. ſ. 1. de Natiu. Virg. *Scio Domina, quia benigniſſima es, & amas nos amore inuincibili. Nos in Te, & per Te Filius tuus, & Deus tuus ſumma dilectione dilexit. Imo ipſa ſibi deuotos peculiariter diligit iuxta illud* prouerb. 8. *Ego diligenter me diligo. Et quoniam amor non niſi amore rependitur, idcò eam redamare pro virili ſtudeamus.* Summam reuerentiam a nobis exigit B. Virgo propter infinitam quodamodo ſuam dignitatem. *Tanta* inquit S. Bonau. in 1. ſentent. diſt. 44. *fuit Maria dignitas, vt ſi omnes creaturæ quantumcunque aſcenderent in gradu nobilitatis, eſſent præſentes, omnes deberent reuerentiam Matri Dei.* At de dignitate Deiparæ,

& eius adoratione ſupra ſatis diximus. Ad cõgratulationem nos inuitat Sancta Eccleſia in perſona B. Virginis in feſto Viſitat. illis verbis. *Congratulamini mihi, quia, cũ eſſem paruula placui Altiſſimo, & de meis viſceribus genui Deum, & hominem.*

Fiduciam eius potentiſſima authoritas, & benefica vis ſuadent. Vnicum omiſſis innumerabilibus SS. Patribus S. Thomam aſſero in opuſc. 8. ſic acutiſſimè, & pijſſimè philoſophantem. *Magnum eſt* (loquitur de patrocinio) *in quolibet Sancto, quando habet tantum de gratia, quod ſufficit ad ſalutem multorum. Sed quando haberet tantum, quod ſufficit ad ſalutem omnium hominum de mundo, hoc eſſet maximum, & hoc eſt in Chriſto, & in B. Virgine; nam in omni periculo potes obtinere ſalutem ab ipſa Virgine glorioſa, vnde cantic. 4. Mille clypei, ideſt remedia contra pericula pendent ex ea.* Beneficiorũ deinde genera duodecim enumerat Spinellus loc. cit., ſed verè innumerabilia ſunt, & ſupra omnem numerum.

MARIA ad cælum aſſumpta, & ibi regnans titulis omnibus, & laudibus maior.

XXVIII.

ASſumpta Deipara Virgo, quibus inaugurata fuerit titulis per æuum conſequens, admirandis prorſus verbis deſcribit S. Bernardinus Sen. t. 3. ſ. 11. a. 2. c. 3. de Aſſ. Virg. *Tota Trinitas* inquit *vniformi, & concordi voluntate hanc inæſtimabilem Virginem oſtendit eſſe ſuam Sponſam incommunicabilis charitatis, cæli Reginam inattingibilis dignitatis, mundi Dominam imparticipabilis poteſtatis, electorum omnium Ge-*

nitricem

nitricem piam inextinguibilis pietatis, omnium Dei hoſtium conculcatricem triumphaliſſimã inſuperabilis ſtrenuitatis, omnium cæleſtium theſaurorum diſpenſatricem largifluam pro ſuæ complacentiæ voluntatis. Chriſti Generationem, & Mariæ Aſſumptionem quis enarrabit? Quantum enim gratiæ in terris adepta eſt præ cæteris, tantum, & in cælis obtinet gloriæ ſingularis. At adhuc his, & alijs omnibus titulis, ac laudibus maior eſt; nam eſt, vt apellatur aureis Pet. Chryſol. verbis ſ. 143. *Virgo maior cælo, fortior terra, orbe latior, quæ Deum, quem mundus non capit, ſola cepit*, & vt ab Ephrem Syro in eius laudibus *Regina, ac Domina cunctis ſublimior*. Magnam Dei Matrem nunquam ſatis celebrari poſſe agmine facto clamant vno ore SS. Patres, & Eccleſiaſtici Scriptores, eamque prædicant tanquam argumentum Oratoribus non ſolum hominibus, ſed etiam Angelis impar, ſupra omnem noſtratem, cæleſtemque eloquentiam S. Anſel. de excell. Virg. c. 9. B. Per. Dam. ſ. 2. de Natiu. S. Io. Damaſc. or. 1. de Aſſ. S. Baſil. Seleuci. or. 39. S. Cyrill. Alex. hom. Epheſi habita contra Neſtorium S. Epiphan. or. de laud. Deip. S. Gregor. Neocæſ. or. 2. de Ann. S. Auguſt. ſ. 18. de SS. Sophron. ſ. de Aſſ S. Germanus Conſtant. or. de Nat. B. V. Fulbertus ſ. de Aſſ. Amedeus Lauſan. Auctor ſerm. 2. ſuper Salue Reg. apud S. Bernardum, Arnoldus Carnot. in laud. Deip. Bleſenſis ſ. 28. Richar. a S. Laur. prolog. 1. ad laudes Deip. Virg. Petrus Comeſtor apud Vincentium in ſpec. hiſtor. l. 30. c. 1. EKerbertus Abb. or. ad Virg. quæ ſolet ſermoni D. Bernardi in 12. Apoc. ſubnecti, Philipp. Abb. l. 4. in cant. c. 1. Leo

ſapiens

ſapiens or. de Dorm. Deip. & alij innumeri.

Inter ſcyllam ſe quodamodo eſſe, & charybdim fatetur Bernardus ſ. 4. de Aſſumpt. dum illum Marianæ dignitatis excellentia ad laudes prouocat, & a laudando deterret. *De eius* inquit *gloria, nec ſilere deuotio patitur, nec dignum aliquid ſterilis concipere cogitatio; aut inerudita poteſt loquutio parturire. Hinc eſt, quod, & ipſi cæleſtis curiæ Principes in conſideratione tantæ nouitatis clamant non ſine admiratione. Quæ eſt iſta &c.* Et infra *Non eſt equidem, quod me magis delectet, ſed nec eſt, quod terreat magis, quam de gloria Virginis Mariæ habere ſermonem.* In eodem freto ſe æſtuare teſtatur Epiphan. loc. cit. additque in fine *cælorum virtutes in ſtuporem conuertere. Hærent* ait Philippus Abb. loc. cit. (de Angelis loquitur), *neque dignè ſufficiunt admirari, nec inueniunt quibus eam laudibus poſſint congruè venerari.* Eius laudem *indicibilem eſſe linguis hominum, & Angelorum* fatetur Petrus Bleſ. loc. cit. In eodem ſenſu loquitur Arnoldus Carnot. cuius egregia verba omitti non debent. *Si linguis hominum* ait *loquar, & Angelorum, nihil dignè, nihil propriè de Sanctæ, ac perpetuæ Virginis Matris Chriſti Mariæ gloria eloqui potero. Quia verè in laudibus eius medulandis non inuenitur conueniens organum; & hebes eſt cuiuſcunque ſubtilitatis ingenium.* Et huius reddit rationem efficaciſſimam. *Cum enim* ſubiungit *debita venerationis ſumma ad Chriſtum reſpiciat, ex cuius plenitudine roratum eſt deſuper, quod Maria prædicatur gratia plena, manifeſtum eſt indiuiduam eſſe Matris, & Filij gloriam, & commune eſſe vtriuſque præconium, cuius definitio*

omnem ſuperat intellectum. Similia prorſus habet Rich. a S. Laur. concluditque. *Scio enim, quod ineffabilis eſt laus eius, nec ad eam poterit homo viuens, etiamſi loqui detur Angelorum linguis, & hominum; vel ſi plenè cæleſte nouerit idioma, quoniam maior eſt omni laude.* Magnæ Deiparę laudem eſſe ſupra omnem laudem fatetur etiam Greg. Neoceſ. loc. cit. qui legitur tom. 6. Græc. & ab aliquibus tanquã Io. Chryſoſ. refertur. Magis etiam emphaticè, ſed verè loquitur S. Cyrill. loc. cit. *Ecquis ait hominum laudabiliſſimam illam Mariam pro dignitate celebrare queat? Ipſa Mater, & Virgo eſt. O rem admirandam! Miraculum hoc me in ſtuporem rapit.* Suffragatur Io. Damaſc. or. 2. de Aſſumpt. cum eadem prorſus Emphaſi. Neque cum minori loquitur Thomas Cantiprat. l. 2. Apum c. 29. n. 34. cuius hæc verba ſunt. *Sed quid conor florentiſſima Virgo, pia Mater, & Domina, quid conor proſequi virtutes tuas? Si cuncta mei corporis membra, & omnes guttæ vitalis ſanguinis verterentur in linguas, potius tamen mihi laudis tuæ verba deficerent, quam exempla.* Alijs omiſſis vnus Audiendus eſt Author ſerm. 2. ſuper Salue Regina. *Si linguæ centum* inquit *reſonarent, oraque centum, ferrea vox, Maria nihil dignum tibi dicere poſſem, Stella maris, quæ Virgo beata vocaris. O quam te memorem Virgo, quibus laudibus efferam? Infantiſſima lingua mea, quæ coinquinata eſt cum mortuis, incircunciſa labijs, nec purgata igne altaris, inquietum malum, habens in naribus ſpiritum rimis effluens vndique, quid dignum laudibus tuis poterit immolare? Eleuata eſt magnificentia tua ſuper cælos, & ſuper omnem terram*

vam gloria tua, ita vt nec in cælo inueniatur creatura, quæ tuam dignè laudare queat magnificentiam, nec in terra ſit, quæ gloriam tuam exprimere valeat. Vincimur apertè profiteor cum Amed. Lauſan. *& nos vinci gratulamur. Valde ſupra nos, quod attentauimus; longe inferius iacemus*. Sed an propterea abſtinendum eſt a Magnæ Deiparæ laudibus, quia nunquã ſatis laudatur? Egregiè reſpondet ſupra citatus Io. Damaſc. his verbis. *Ipſa encomiorum omnium legem excedit, tamen quia Deo gratum eſt &c.* concludit ſemper eſſe laudandam, quia nunquam ſatis laudatur. Nec minus luculentè reſpondet Ekebertus Abb. in deprecatione ad Virg. quam aliqui D. Bern. Abb. eſſe putarunt; ſed reuera, Ekeberti eſſe teſtatur Rich. a S. Laur. *Glorioſa* inquit *dicta ſunt de te Sancta Dei Genitrix, ſed adhuc locus eſt tuæ laudi; adhuc in tuis laudibus omnis lingua balbutit. Non enim ſunt loquelæ, neque ſermones, in omni natione, quæ ſub cælo eſt, quibus amplitudo gloriæ tuæ ad plenum valeat explicari, o pia, o magna, o multum amabilis Maria!* Liceat etiã tandem mihi reſpondere, ſed pijſſimis, & confidentiſſimis Petri Cell. verbis l. 6. epiſt. 23. *Cataractas cæli, & fontes abyſſi libentius in obſequium Virginis ſoluerem, quam clauderem. Et ſi filius eius Ieſus aliquid omiſiſſet in prærogatiua exultationis ſuæ Matris, ego ſeruus, ego mancipiũ non quidem de effectu, ſed ſaltem affectu ſupplere geſtirem. Mallem certè non habere linguam, quã aliquid dicere contra Dominam noſtram.* Non ergo me pænitet hæc pauca de magna Deipara dixiſſe, niſi quia multò plura locupletiori ſtylo, & liberaliori cultu debueram. Ceterum

potiori

potiori iure mihi vſurpabo illa plena demiſſionis, & pietatis verba, quæ a Ludolpho in vita Chriſti p. 2. c. 86. Auguſtino tribuuntur, vti etiam a Dyoniſ. Richelio l. 1. de laud. Virg. art. 3. ſed reuera vt obſeruat eruditiſſimus Theoph. Raynaudus in Diptycis Mar. caut. 1. prolog. Fulberti ſunt ſerm. de Aſſumpt. *Sed quid nos tantilli, quid actione puſilli, quid in eius laudibus referimus, cum etſi omnium noſtrum membra verterentur in linguas, eam laudare ſufficeret nullus. Altior cælo eſt, de qua loquimur: abyſſo profundior, cui laudes dicere conamur.* Adnectere lubet etiam S. Epiphanium loco cit. ita loquentem. *Miſer ego ſum, qui effulgentes ſplendores, Deiparæ radios, terribiles, & incomprehenſas facultates, cæli, & terræ inhabitatæ myſterium, admirandumque propitiatorium verbis conſequi tentaui.* Sed aliqua felicitas eſt quidquid in magnæ Deiparæ laudem impenditur, etiam minus felici conatu. Preterquamquod maiora rependuntur impenſis; in ipſo labore ſummum pretium eſt.

Inopes itaque conatus meos in magna Deipara celebranda aurea oratiuncula magni Athanaſij or. de Sanctiſs. Deip. coronabo. *Recordare noſtri Sanctiſſima Virgo, quæ etiam a partu Virgo permanſiſti, & retribue nobis pro exiguis iſtis eloquijs magna Domina diuitias tuarum gratiarum. Tu quippe gratia plena es.*

Laus D. O. M. & Mag. Deip.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Errata:	Corrige:
iilam pag. 9. 1. p.	illam
filiam pag. 20. 1. p.	filium
ſe ibidem	te
creant pag. 28. 1. p.	coeant
quanam ibidem	quænam
domum pag. 37. 1. p.	donum
S.Bapantherius pag. 56. 1. p.	S. Bapantheris
meter pag. 65. 1. p.	Mater
ſtellante pag. 66. 1. p.	ſtillante
prætorianes pag. 82. 1. p.	prætorianos
annatarum pag. 114. 1. p.	armatarum
ſuegentium pag. 121. 1. p.	ſurgentium
Argonauſæ pag. 157. 1. p.	Argonautæ
ſcopulas pag. 162. 1. p.	ſcopulos
magna pag. 169. 1. p.	magnam
hæhæa pag. 171. 1. p.	hebræa
faſcibus pag. 172. 1. p.	faſcijs
Jabentiæ pag. 181. 1. p.	lubentiæ
vauiſtis pag. 210. 1. p.	vouiſtis
pacorum pag. 218. 1. p.	purorum
Dominam ibidem	Dominum
pueorum pag. 219. 1. p.	puerorum
auctorium pag. 225. 1. p.	auctorium
tanſionibus pag. 256. 1. p.	tunſionibus
quem pag. 333. 1. p.	quam
comburebatis pag. 347. 1. p.	comburebaris
initus pag. 360. 1. p.	intus
perpretem pag. 374. 1. p.	perpetem
minuat pag. 377. 1. p.	nunciat
rapem pag. 415. 1. p.	rupem
radicontem pag. 440. 1. p.	radiantem
ſublima pag. 462. 1. p.	ſublimia
peculianter pag. 465. 1. p.	peculiariter
eum pag. 6. 2. p.	cum

telli-

Erata.	Corrige.
teſtina pag. 12. 2. p.	feſtina
Putificationem pag. 14. 2. p.	Purificationem
impoſſibilem pag. 18. 2. p.	impaſſibilem
orbe pag. 38. 2. p.	vrbe
præſtit pag. 49. 2. p.	præſtitit
intentiſſimo pag. 66. 2. p.	intenſiſſimo
ſumma pag. 67. 2. p.	ſummi
ſamit pag. 68. 2. p.	ſumit
apellant pag. 101. 2. p.	apellans
orbe pag. 112. 2. p.	vrbe
peritis ibid.	periti
cæſo pag. 114. 2. p.	cæco
Ægyptij pag. 115. 2. p.	Ægyptijs.
duse pag. 125. 2. p.	durè
compeſuiſſet pag. 132. 2. p.	compeſcuiſſet
prætextu pag. 167. 2. p.	prætexta
molucres pag. 188. 2. p.	volucres
holocauſta pag. 196. 2. p.	holocauſtum
catartaſi pag. 261. 2. p.	cataſtaſi
auctior pag. 262. 2. p.	acutior
aculeota pag. 274. 2. p.	aculeata.
ſcopulam pag. 338. 2. p.	ſcopulum
innactans ibid.	innatans
Filias pag. 369. 2. p.	Filius
cordis pag. 390. 2. p.	cordi
pollinctare pag. 395. 2. p.	pollinctorem
ſuam pag. 425. 2. p.	ſuum
thimiaonatis pag. 473. 2. p.	thimiamatis
circi pag. 488. 2. p.	circa
etian pag. 513. 2. p.	etiam
quam pag. 555. 2. p.	quem.
poſſint pag. 599. 2. p.	poſſit,

MEDIOLANI,

Ex Typographia Philippi Ghiſulphij. M.DC.LIX.

Superiorum permiſſu.

5-3-3